Dott. ETTORE PANCOTTO
Primario degli Spedali Civili
BRESCIA - Via Trento, 15 d

N. 25.=

Giovanni Andrea DELLA CROCE
==

Volume in folio, con illustrazioni, edito nel 1573 a Venezia da G. ZIletti (insegna).
Contiene la ~~prima~~ edizione in latino (la prima??) de la
"CHIRURGIA" in libri 7 di G.A. DELLA CROCE.

(vedi al N. 29 di queste D/ine l'edizione italiana)
====

G.A. Della CROCE. nato a Venezia nel 1509, ~~(=1515=??)~~ dopo un soggiorno a Feltre quale chirurgo, nel 1532 fu accolto con onore nel collegio dei chirurgi di Ve.
Fu ottimo chirurgo e nel suo libro descrisse tutti gli strumenti in uso a quei tempi: introdusse sinonimi per i nomi latini, greci, arabi delle malattie.
Il suo fu un testo classico per tutto il 1600.
Fu anche sindaco di Ve. (1533). Morì a Venezia nel 1575

====

Bibliografia

Treccani- Brambilla- Pazzini- Castellani
==

li 28.3.1962 (E.P.)

CHIRVRGIAE IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI Libri Septem,

Quamplurimis instrumentorum imaginibus Arti Chirurgicæ opportunis suis locis exornati, Theoricam, Practicam, ac uerissimam Experientiam continentes.

In quibus ea omnia, quæ optimo Chirurgo in curandis vulneribus conuenire videntur, ordine quodam amplissimo concerni possunt:

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITI.

Cum Indice copiosissimo rerum omnium memorabilium.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS,
Apud Iordanum Zilettum. 1573.

AD LECTOREM.

INTER eos, qui de Chirurgia, præsertim de caluariæ curatione doctissime & cumulate scripserunt, Lector candidissime, locus nimirum primus semper Hippocrati est tributus. Quæ enim ab eo edita sunt, non iam ex Antiquorum scriptis, sed propria ipsius methodo, ueluti à medicinæ parente, felici breuitate, ac mirifico ordine consignata litteris fuerunt. Quare eadem in facultate annos quàmplurimos cum ego insudarim, ac diligentia minime vulgari, lectione assidua, diuturno usu, omnia expertus sim; prolixiori quidem enarratione, sed certissima praxi secutus Hippocratis sententiam, Chirurgiæ studiosis, librum hunc de caluariæ curatione, quoad licuit absolutum, bona fide communicare uolui. Quod quidem à me ita factum fuit, non quin multi extent de hac re libri, sed ut, quæ Hippocrates ipse, tum cæteri omnes, siue ueteres, siue recentiores, sparsim uarijsq; uoluminibus exhibuissent: ea in unum omnia ordine quodam commodissimo redigerem, eorumq; sententias, ubi obscuritas officiat, pro uirili illustrarem, ubi breuitas aliquid supprimat, aut ambiguitatem inducat, copiosius explicarem. Quibus profectò multa nuperrime à me excogitata, ab illis fortasse prætermissa, dum grauioribus destinentur, addere atque interserere curaui. Quæ studiosis futura usui, uel eo nomine non dubito, quod omnia unoquoque in capite singulatim, in affectibus uidelicet ad solutam continuitatem pertinentibus, ac si multorum scripta, uariaq; uolumina uoluta essent, quòd sine multo tempore multoq; labore fieri non potest, his nostris facile legendis intelligere possunt. Subijciemus præterea oculis, cũ germana nomenclatura multorũ instrumẽtorũ imagines, nullibi apud scriptores nostrates explicatas, singulari profectò usui, & vtilitati, vbi res tulerit, futuras, quas nos ex veterũ lucubrationibus, Græcorum, Arabum, Latinorum acceptas, in publicam lucem & commodum protulimus. Quod mihi pudori ascribere non debeo, quando ab illis idem factitatum est, eam videlicet afferentibus rationem, sua laude non carere, qui post alios, licet præclaros, aliquid diligentius, vel ordinatius collegisset. Ac planè ita fieri debere natura comparatum est, ab ijs præsertim, qui ad humani corporis salutem, eo in ministerio, quòd non tam vtilitatis, quàm necessitatis causa excogitatum est, aliquod moliuntur opus. Hanc itaque rationem hisce meis chirurgiæ institutionibus secutus, hæc uobis ex præstantissimis collecta authoribus in ma-

nus dare non dubitaui. In quibus affectus omnes, qui ſimplicibus organicisq; ſedibus occurrere ſolent, per cauſas proprias, & ſigna patognomonica demonſtraui, ſingillatim etiam, in quamq; manus operationem, obſeruationes permultas uulgaribus ignotas, expoſui. Vniuerſalia pariter omnia, rationibus firmiſſimis repetens, confirmaui. necnon remediorum ingentem numerum, topicorum copiam, quæ eſſent opportunis indicationibus appoſita, in ſimili quoque morbo tollendo, ac ſymptomate profligando, accurate deſcripſi. Vbique uerò ſumma adhibita diligentia, neque ſanè mediocri labore, vt Hippocratis, Celſi, Galeni, Aetij, Pauli Aeginetæ, Auicennæ, & Albucaſis methodus nunquam non ſeruaretur. Neque non complexus ſum præſagia cuiuſque affectus finem commonſtrantia, certam demum curandi rationem proſequor. In qua eo ordine, quæ intelligenti chirurgo, dum in facienda medicina manum adhibet, in promptu ſint neceſſe eſt, ſic omnia explicantur, ut alius ſanè melior, commodior, tutior excogitari uix poſſit. Quod ſi quæ hiſce uigilijs dedi, cum medicinam facientibus commoda & grata, tum laborantibus vtilia & ſalubria, doctorumq; uirorum calculis non improbari cognoro, dabo in poſterum operam, ut quæ in huius operis fine pollicemur, iam ad umbilicum deducta, quamprimum emittantur. Primam igitur ſtudioſi adoleſcentes meæ huius chirurgiæ de ſolutis continuitatibus ſectionem, ordine, artificio, perſpicuitate, uera praxi, aliorum laboribus non poſthabendam, quam ſumma animi in ueſtra commoda propenſione recens promo, hilari animo, ac prorſus obuijs (quod aiunt) ulnis, accipite, amate, & legite. Interim mei memores. Valete.

INDEX EORVM QVAE PER CAPITA IN HAC PRIMA SECTIONE CONTINENTVR.

Procemium octo continet capita.

Vid ſit Chirurgia cap. 1. fol. 1
Sub qua Medicinæ parte locanda ſit Chirurgia. cap. 2. f. 2
De ſubiecto artis chirurgicæ cap. . fol. 2
De his quæ ab arte chirurgica conſiderantur. Cap. 4. fol. 3
De actionibus artis chirurgicæ cap. 5. f. 3
De modo acquirendi artem chirurgicam. ca. 6. f. 4
De optimi chirurgi generalibus conditionibus. ca. 7. fo. 5
De optimi Chirurgi præcipuis conditionibus. cap. 8. fo. 6

Digreſſio in qua continentur
Rerum præternaturalium extractio,
Sanguinis profluuij cohibitio
Vulnerum ſutura
Turundarum apparatus,
Pulluillorum uſus.
Faſciarum utilitas,
Faſciarum conditiones,
Faſciarum aduolutio,
Faſciandi ratio. f. 6

LIBER PRIMVS

In quo materia de caluariæ curatione diffuſiſsime tractatur, hæc habet.

De cranij anatome cap. 1. f. 9
Craniorum imagines 11
De eſſentia uulnerum capitis, ac fracturarum caluariæ earumque differentijs cap. 2. f. 12
De cauſis fracturarum caluariæ ca. 3. f. 15
De caluariæ fracturarum ſignis, ac externorum & internorum affectuum dignotione ca. 4. f. 15
De caluariæ fractæ, ac internarum læſionum præſagijs cap. 5. 20
De caluariæ fracturarum regimine in ſex rebus non naturalibus cap. 6. ol. 21
De aere 21
De cibo, & potu, ac modo nutritionis f. 22
De plenitudine, inanitione, ac modo euacuandi. fol. 23
De ſomno, & uigilia f. 24
De motu, & quiete f. 24
De animi affectibus f. 25
De leui ac ſimplici capitis uulnere, & eius curatione ca. 7. f. 25
De ſimplici capitis contuſione abſque cutis aut cranij manifeſta ſolutione cap. 8. f. 26
De uulneribus capitis contuſis, abſque caluariæ nocumento ca. 9. f. 28

DIGRESSIO.

De caluariæ anguſta fractura non detecta, nec læſa mẽbrana ca. 10 f. 30

PRAXIS. f. 33

De internis membranis detectis, ob caluariæ manifeſtã fracturam ca. 11. 34
De prima ſecta empirica f. 34
De ſecunda ſecta empirica f. 35
De tertia ſecta rationali 36
De operandi ratione ferreis inſtrumentis f. 36
De tempore ad opus conuenienti f. 38

DIGRESSIO. f. 39

De ſitu, & loco operibus opportuno f. 39
De quantitate oſſis extrahendi f. 40
De terebris, Modiolis, Phacotis, Scalpris, Cicliſchis, Meningophilacis, ac alijs inſtrumentis ad cranij perforationem opportunis ca. 12. f. 40
De ratione operandi in caluariæ fractæ curatione. ca. 13. f. 51

Clypei ad mollia oſſa eleuanda. 54

De medicinis poſt operationem opportunis. cap. 14. f. 54

PRA-

INDEX

PRAXI 56

De membrana conuulnerata 57
De cerebro sauciato 57
De symptomatum profligatione cap.15.f.59
De inæquali temperie f.59
De dolore f.59
De inflammatione externa f.60
De inflammatione interna f.61
De membrana,& cerebro extuberante f.62
De febre f.63
De alienatione f.63
De uoce deperdita f.63
De conuulsione f.64
De Paralysi in parte affecta,& conuulsione in appo-
sita opiniones diuersæ. 65
De paralysi f.66
De epilepsia f.67
De apoplexia f.67
De uulneris siccitate f.67
De membrana denigrata f.68

DIGRESSIO. f.68

De carne nimis aucta 68
De usitatis medicinis in fractæ caluariæ curatione.
ca.16.f.69
Vt sanguis cohibeatur
Vt fluxiones inhibeantur:
Vt uulnus præparetur.
Vt absterſio perficiatur.
Vt noua caro producatur
Vt cicatrix inducatur.
Medicamenta anodina id est dolores sedantia f.70
Emplastra cephalica antiquorum,& modernorum.
fol.70
Cerata capitalia antiquorum,& modernorum.
fol.71
De empirica praxi ca.17.f.72
Modi uarij medendi capitis uulnera,orationibus,&
aqua f.73
Obseruationum Chirurgicalium in caluariæ fractæ cu
ratione breue compendium f.74

LIBER SECVNDVS

Quæcunque ad faciem uulneratam, ac eius cu-
rationem uidentur pertinere pertractat.

De facie uulnerata cap.1.f.75
De oculorum uulneribus ca.2.f.76
De naribus sauciatis ca.3.f.78
De labrorum uulneribus ca.4.f.78
De auribus sectis ca.5.f.79

LIBER TERTIVS

Omnia quæ ad neruos, & ad neruosas partes,
tum sectas,tum contusas, aut perforatas, ac
carum curationem spectare uidentur conti-
net.

De neruis ac neruosis partibus sectis cap.1.f.79
De formali uulnerum neruorum differentia.
ca.2.f.80
De causis uulnerum neruorum ca.3.f.80
De neruorum uulnerum signis ca.4.f.80
De modo præsagandi in neruis sauciatis. ca.5.f.81
De uniuersali ratione curandi neruorum uulnera.
ca.6.f.82
De neruorum longitudinali fissura ca.7.f.83

PRAXIS. 84

De neruis transuersim cæsis ca.8.f.84

DIGRESSIO. f.84

De neruorum punctura ca.9.f.86
De neruis contusis aut attritis ca.10.f.87
De symptomatum correctione ca.11.f.87
De dolore f.88
De inflammatione f.89
De putredine f.89
De conuulsione ca.12.f.90
Conuulsionum differentiæ f.90
Conuulsionum productiones f.91
Conuulsionum notæ fol.92
Conuulsionum præsagia f.92
De conuulsionum curationibus cap.13.f.93
Conuulsionis ex plenitudine curatio fol.93
Conuulsionem siccam sanandi ratio fol.94
Conuulsionem ex affinitate medendi methodus f.95
De Ancyle siue Ancyloses & earum regimine cura-
tiuo ca.14.f.95

LIBER QVARTVS

Thoracis quæcunque uulnera manifestat,& mo
dum curandi declarat:in quo leguntur quam
plurima,quæ nullibi scripta reperiuntur.

De thoracis uulneribus,& eorum differentijs cap.1.
f.97
De thoracis leui ac simplici uulneris notitia,& cura
cap.2.f.98
De thoracis uulnere penetrante,eius dignotione & pro
gnostico cap.3.f.98
Pleuræ uulneratæ indicia f.99
Pericardij secti notæ f.99
Cordis læsi signa f.99
Venæ cauæ ac arteriæ aorti perforatæ notæ f.100
Pulmonum sectorum symptomata f.100
Trachææ uulneratæ accidentia f.100
Septi transuersi offensi indicia f.100
Nuchæ ac spinæ incisæ notiones f.101

Meri

INDEX

Meri aperti prædictiones f.101
De thoracis penetrantium uulnerum curatione,in qua
multæ ingrediuntur indicationes. cap.4.f.102
De prima indicatione,quæ ne sanguis, aut alia humidi
tas in pectore cadat,ac ibi retineatur prohibere do
cet f.102
De secunda indicatione, quæ ne a toto corpore ad se-
dem affectam succi alieni defluant inhibere conatur
f.102
De tertia indicatione,quæ extrauenatos humores in pe
ctore coniunctos commode euacuat f.103
De quarta indicatione,quæ quomodo thoracis vulne-
ra internis præsidijs regi debeant tutissime demon-
strat f.104
De quinta indicatione, quæ uiscerum seu internorum
membrorum affectus sanandi modos declarat.
f.106
De pulmonum vulneratorum curatione ca.5.f.107
De trachææ incisæ cura ca.6.f.109
De meri secto & eius curatione ca.7.f.109
De modo curandi spinam uulneratam ca.8.f.110
De nucha incisa, aut perforata, & eius cura ca.9.
f.110

ADDITIO.

De sexta indicatione,quæ modum corrigendi acciden-
tia declarat ca.10.f.110
De copioso sanguinis fluore ca.11.f.110
De uulneris angustia ca.12.f.111
De sanguine in pectore conglobato ca.13.f.112
De sputo sanguineo ca.14.f.112
De distillatione seu catarrhali defluxu ca.15.f.112
De tussi molesta ca.16.f.113
De dolore ca.17.f.113
De inflamnatione ca.18.f.113
De duritie labrorum uulneris ca.19.f.113

ADDITIO.

LIBER QVINTVS

In quo multa de infimi uentris & suarum par-
tium uulneribus, necnon eorum curatione
pertractantur,hæc habet.

De infimi uentris uulnerum curatione ca.1.f.114
De penetrantis uulneris signis ca.2.f.115
De uentriculi læsi indicijs ca.3.f.115
De iocinoris offensionum notis ca.4.f.115
De lienis uulnerati accidentibus ca.5.f.115
De intestini secti symptomatibus ca.6.f.115
De uesicæ incisæ cognitionibus ca.7.f.116
De renum læsionum prædictionibus ca.8.f.116
De uteri affecti prænotionibus ca.9.f.116
De uenæ cauæ ac arteriæ magnæ uulneratæ præsagijs.
ca.10.f.116

ADDITIO.

De infimi uentris simplicium uulnerum curatione.
ca.11.f.116
De infimi uentris compositorum uulnerum curatione.
ca.12.f.117
De egresso omento ca.13.f.117
De intestinis prolapsis & sanis ca.14.f.118
De prima indicatione,quæ quomodo intestina,quæ ex-
ierint situari debeant declarat ca.15.f.118.
De uarijs suturarum modis sectis intestinis adhiben-
dis ca.16.f.119
De secunda indicatione,quæ quomodo abdominis uul-
nus aliquo uiri debeat ingenio demonstrat.
ca.17.fol.119
De tertia indicatione, quæ quomodo opportuna medi-
camenta extrinsecus applicanda sint manifestat.
ca.18.f.121
De quarta indicatione,quæ uiscera a nocumentis præ-
seruare,& affecta curare ostendit f.121
De intestinis sectis & eorum curatione ca.19.f.121
De uentriculo uulnerato & eius cura ca.20.f.122
De iecore læso & eius cura ca.21.f.122
De liene affecto,& eius cura ca.22.f.123
De renibus incisis & eorum cura ca.23.f.123
De uesica sauciata & eius cura ca.24.f.124
De utero perforato & eius cura ca.25.f.124
De testibus uulneratis & eorum cura ca.26.f.124

LIBER SEXTVS

Quàm breuissime de sagittis è corpore extrahen
dis tantum pertractat.

De sagittarum extractione ca.1.f.126
De affectis sedibus,modo operandi,& instrumentis ad
opus idoneis. ca.2.f.127

LIBER SEPTIMVS.

Sclopetorum uulnerum essentiam & eorum cu-
rationes demonstrat.

De sclopetorum uulneribus & eorum curatione. ca.1.
f.131
De modo extrahendi a corpore quæ sunt præter natu-
ram ca.2.f.132
De uictus ratione instituenda,ac doloribus sedandis.
ca.3.f.136
De medicamentis concoquentibus & pus mouentibus.
ca.4.f.137
De medicamentis abstergentibus & carnem inducen-
tibus ca.5.f.138
De accidentibus, quæ huiusmodi fulminatis uulneri-
bus occurrere solent,corrigendis. ca.6.f.139
De contusione,& attritione carnis f.139
De combustione f.139
De neruosis partibus laceratis f.140

De

INDEX

ossium fracturis
spasmo
veneno
sphacelo

f.140 Hæc sunt quæ pro fine huius primæ sectionis habentur, ubi ea ferè instrumenta, quæ singulatim in qualibet curatione usui seruantur, delineata suis locis uidentur.
f.141
f.142
f.143

FINIS.

IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI, IN SVAM CHIRVRGIAM,

Præfatio.

ARS medica [a] omnium præclarissima, in [b] tres partes diducta est; ut una sit, quæ uictu; altera, quæ medicamentis; tertia, quæ manu medeatur. Primam Diæteticam; secundam Pharmaceuticam; tertiam Chirurgicam Græci nominarunt. Porrò ex his tribus medicinæ partibus, ut difficillima ac laboribus plena, sic etiam antiquissima, nobilissima, & alijs certior ea est, quæ morbis, manibus ac instrumentis, medetur. At nos, rem nostram pro uiribus aggredientes, de hac artis curatricis parte in hisce nostris elucubrationibus ante omnia sermonem habebimus. Quapropter [c], ut antiquorum mos semper fuit, implorato diuino auxilio, à diffinitione rei, de qua agere intendimus, iuxtà Philosophi [d] præceptum, initium capiamus; postmodum nominis, ac diffinitionis significationes explicabimus. Sic [e] enim in artibus & scientijs procedendum esse manifestò constat; nec quicquam intelligi posse, nisi nomen, ac nominis significatum intelligatur. Decet ergò primò, ut quid sit Chirurgia, quæ præcipua eius munia, quæ ministerij sui ratio prænoscamus: siquidem, ut Galenus [f] ait, oportet quenque cuiuslibet institutionis principia susceptum, quid sit id, quod consequi studeat, prius edoceri; ita namque fiet & ad audiendum paratior, & ad prosequendum multò diligentior.

a ¶ Hipp. lib. de lege.
b ¶ Cels. in suo proh. Gal. 1. reg. ac. com. 6. lib. de par. ar. m. c. 2. Intr. m. c. 1. Auic. 4. primi. c. 1.
c ¶ Rasis primo suor. Apho. Hali abb. 1. the. c. 1. Zoar. 2. the. trac. 3. cap. 2. Auic. 1. can. c. 1. & li. de uir. cor. c. 2.
d ¶ Li. 1. de Phy si. ausc. Cice. lib. 1. officio.
e ¶ Arist. 4. di ui. philos.
f ¶ Li. 1. de not. loc. aff. & 1. meth. cap. 5.

QVID SIT CHIRVRGIA.

VARIAE, ac sub diuersis rationibus, huius partis Medicinæ diffinitiones seu potius descriptiones sumuntur, quemadmodum interdum à propria artis nobilitate, & sic diffinitur. [a] Chirurgia est uetustissima pars Medicinæ, cuius effectus inter omnes partes euidentissimus est: multoties ab eius ethymologia seu nominis significatione, & hoc pacto diffiniri solet [b]. Chirurgia est ars manualis, quæ tantum in humano corpore ad externos morbos profligandos exercetur: ab operatione etiam, unde dicitur [c] Chirurgia, est alieni per diuisiones cõpositionesq; cum uia quadam & ratione ablatio, nec non uulnerum ac ulcerum humano corpori accidẽtium curatio: Ex operationis forma sæpe diffinitur [d] & ob id Chirurgia est ad commodum finem intremiscentium manuum operatio per incisionem, adustionem, & circa ossa articulationem sanans hominem: à fine etiam diffinitionem sumit, & ea ratione dici potest [e]. Chirurgia est medicorũ utilis manuum actus ratione & experimento regulatus, ut alicuius membri uiuentis deperdita unitas reddatur: Nonnunquam etiam ab opere, & fine diffinitionem acquirit: unde dictum est [f]. Chirurgia est Medici effectus utilissimus, qui opportunis instrumentis, ac artificiosa manuum operatione, experimento comprobata, corporis humani uiuentis manifestos & sanabiles morbos propellit, insanabiles uero corrigit & præ-

a ¶ Hipp. lib. de flatibus, Celsus lib. 7. in proh.
b ¶ Gal. li. 1. de usu par. c. 7. & 6. meth. cap. 6.
c ¶ Gale. lib. de Medico, ubi de Chirurgia.
d ¶ Gal. li. de dif finit. med. in intro. med. c. 10. & 1. reg. acu. com. men. 6.
e ¶ Gal. li. 1. de dignot. pulsuũ. ca. 1.
f ¶ Gal. cõ. 2. de frac. Hipp.

seruat: Nos uero ex omnibus hanc selegimus, approbamus, & sic explicandam esse putamus. Chirurgia est uetustior ac certior pars totius Therapeutices, & habitus intellectus practici, ex multis Theorematibus ac experimentis acquisitus, ut opportunis instrumentis, nec non artificiosa ualidarum manuum actione uniendo, diuidendo, ac demendo, morbum in unitate, aut compositione, humano corpori occurrentem cito, tuto, lete, ac quàm minimo cum dolore sanare ualeat. Opus nimirum artificiosum ipsarum manuum est, ab operationibus intellectus admodum diuersum [a], quæ fiunt diuidendo, componendo, definiendo, demõstrando, siue quouis alio modo operando: est tamen opus, quod methodo, id est ordine, arte, & prudentia perficitur; ac ab anatome, & longa praxi, quæ in ijs consistit, quę certa ratione excogitata sunt, & frequenti usu confirmata, dirigitur. Et, quoniam ars curatiua est, proprias indicationes à morbi essentia, quæ rationibus declaratur, perpetuò assumit; & eius prima intentio, quam ultimo consequitur, est alicuius singularis membri morbum in unitate expellere, & unionem deperditam resarcire. Et hic est finis commodus, ac utilitas, quam Chirurgia consequi studet; siquidem omnis eiús actio & finis sit, quod diuisum est aut disiunctum unire, aut in propriam sedem reponere, præsertim in corpore humano uiuente, ut ab actionibus differat, quæ in brutis, aut cadaueribus perficiuntur. Ars [b] non immeritò nuncupatur, & artificiosa est, ac inter correctiuas enumeratur; & dicitur à uoce græca cheir, quæ manum, & ergia, quæ actionem seu operationem significat; quasi quòd Chirurgia sit manuũ operatio, eò quòd manibus exerceatur, aut à Chirone illo magni nominis Centauro, Saturni filio, antiquissimo Chirurgo, qui primò eã excoluit, & ab eo primùm repertam fuisse multi testantur, nomen sibi uendicauit. Hæc duas in partes diuiditur, nempe uti medicina, in partem Theoricam, siue docentem, quæ fortasse Chirologiæ nomen meretur, à chiros dictione, quam manum, & logos, quam sermonem interpretamur; unde Chirurgia Theorica, siue Chirologia largo modo sumpta, scientia est, quæ tradit precepta, quibus munitus artifex esse debet, ac modum & qualitatem manibus operandi in corpore humano uiuente ad commodum finem; ideò ea, quæ contemplatiua dicitur, & quæ meditando præcepta & methodum tradendo, non manibus operando adipiscitur, Chirurgus instructus esse debet, qui rectè operaturus est, antequam ad opus se accingat. Diuiditur & in Practicam, siue agentem, aut factiuam, quæ uerè est Chirurgia, cuius finis est effectio; & est actus alterius potentiæ, quàm intellectus; quare est ars, quæ manibus & instrumentis operatur; & eius munia exerceat, aut in membris mollioribus, quæ à sangui ne oriuntur; aut in partibus durioribus, quæ à semine procreantur, ut multa uitia, coniungendo, diuidendo, aut demendo, à corpore hominis propellat. Hæc enim tota ars in opere, & effectione consistit. Constat ergo Chirurgiam propriè artem, & non scientiam esse; factiuam nempè, quæ id uerè exequitur, quod ab altera est præceptum. Ars itaque Chirurgica, quamuis postremum medicinæ instrumentum appellatur, non tamen quò ad perfectionem, aut subiecti nobilitatem, vel demonstrationis certitudinem, vel tanquàm vilis, vel neglecta, & odio habita, sic nuncupatur; sed postremum, ratione usus, & ad extremos labores ueluti sacra anchora reseruata, ut pote quoniam quod nec uictus ratio, nec conueniens pharmacum ad hominis salutem adimplere ualet, id sæpè, citò, & tutò agit medica manus, & Chirurgia, quæ etiam & diæta & potione uti solita est, teste Cornelio Celso [c], dum inquit, tertiam esse medicinæ partem, quæ manu curet; & uulgo notum & à me propositum est: ea non medicamenta quidem, atq; uictus rationem omittit, sed manu plurimùm præstat, estq; eius effectus inter omnes medicinę partes eui dentissimus; quod à Scribonio Largo [d] medico antiquissimo his uerbis comprobatur: Ita implicitas medicinę partes inter se, & cõnexas esse constat, vt nullo modo diduci sine totius professionis detrimento possint: Ex quo patet, neq; Chirurgiam sine Diætetica, neque hanc sine Chirurgia, & sine ea parte, quæ medicamentorum

a ¶ Aristo. 2. de Anima. Gal. cõ. 1. de offi. m. cõ. 2

b ¶ Atist. lib. de ar. mech. Gal. li. de cõst. art. m. & li. ad Trasibulũ.

c ¶ Lib. 5. c. 1. & lib. 7. in proh.

d ¶ Lib. de cõp. m. descrip. 200.

torum vtilium vsum habet, perfici posse; sed aliam ab alia adiuuari, & quasi consummari. Quod à Galeno [a] etiam sic dicente confirmatur: Pharmaciam esse partẽ curæ, per nuda pharmaca intrinsecas & extrinsecas passiones sanantem; indigentem quidem quandoque diæta, quandoque etiam Chirurgia; sicut Chirurgia indiget, ac vtitur diæta, & pharmacia. Adhuc inquit Galenus [b]: Medicinę partes mutuam opem requirunt; tùm quæ manu, tùm quæ medicamentis, tùm etiam quæ victu medetur, at illa præsertim, quæ manu curat, reliquis duabus indiget. Non immeritò ergo optimus Chirurgus, verus medicus appellari debet. Igitur hac ratione tot tantiq; illustres patres Chirurgiam summis laudibus extulerunt; neque tamen satis; quoniam, si verum fateri volumus, ex se satis superq; laudatur, ac illustratur, nempe ratione vtilissimi finis, antiquitatis, nobilitatis subiecti, ac demonstrationũ certitudine. Ex fine adeò laudibus exornatur, & effectu ipso semetipsam probat, veluti quæ sæpissimè è miseris corporibus animas iam iam exilientes detineat, & eas penè omni auxilio destitutas in proprias sedes reuocet; quod non opes, non dignitates, non imperia, non leges, non animi dotes facere possunt. Quò fit, vt hac lege & officio verus Chirurgus, qui artifex omnium nobilissimus ac prestantissimus est, amandus, & mirum in modũ colendus, ac inter probatos medicos summis suis meritis connumerandus sit. Achillem [c] Pelei filium legimus à Chirone Centauro Chirurgicam artem edoctum, in bello Troiano quàm plurimos sauciatos, ac mortis propinquos vitæ restituisse: & Aesculapium Apollinis filium, ac eiusdem Chironis discipulum, Hippolytum Thesei filium ab equis dilaniatum, ad pristinam sanitatem perduxisse, ac Androgeum Minois filium multis plagis infixum mirabiliter sanasse. Hinc est, q; penes maximos viros, Chirurgia semper floruerit, maximoque in honore habita fuerit, atque à veteribus magis, quàm à recentioribus exculta, & exercitata, vt à Podalirio, & Machaone Aesculapij filijs; ab Hippocrate, & Philoxeno, qui ipsam plurimis voluminibus diligentissimè complexi sunt; qui quidem etiam omnes à Celso mirificè, ac summis laudibus celebrati fuerunt. Est igitur hæc pars medicinæ, vt maxime necessaria, ita certe antiquissima, & ob hoc primum celebrata, atque illustrata. Floruit in Aegypto apud Philoxenum, Gorgiam, Sostratum, Hieronem, & Ammonium: Romæ verò apud Tryphonem, Euelpistum, Megetem, & Galenum. Quare eam vnam maximè inter omnes artes laudandam, ac ceteris anteponendam esse iure existimandum est; quę & vetustatis, & originis splendore, & constituentium claritate, ac professorum excellentia, atque operum inter cætera memorabilium, alias omnes artes antecellit: antiquitas namque verè præstantiam indicat; & in re medica quid antiquius parte ipsa vulneraria? Verùm, quoniam ab Hippocrate magis, quàm ab alijs exculta fuit, nos in proximis his nostris enarrationibus, ipsum præcipuè Hippocratem secuturos fore pollicemur.

a ¶ In intr. m. c. 10.

b ¶ Lib. 3. de consp. m. secun. genera.

c Homer. Iliad. 2.

Sub qua medicinæ parte locanda sit Chirurgia.

VM medicina in Theoricam, & Practicam diuidatur, nec ulla huius diuisionis pars manibus quicquam agere teneatur, nullibi Chirurgia cùm manuum actio sit, locari posse credimus. Legimus apud Auicẽnam, [a] quòd Artium quædam est, quæ est Theorica & Practica, ut de Philosophia & Medicina dicitur. Siquidem Medicina prima sui diuisione in duas secatur partes, nempe in Theoricam & Practicam, & harum duarum partium nulla habet quid manibus agere, aut operari: aliud enim dicitur, inquit Auicenna, cùm dicimus Theoricam, & aliud cùm dicimus Practicam, & cùm idem de Medicina dixerimus, existimandum non est, unam diuisionis partem esse, scire; & alteram operari, quemadmodum multi hunc locum perscrutantes, existimarunt: Sed aliud, sciendum est, quod

a ¶ Prima pri. cap 1. Tertia pri. ea. t. Primo cane 2. Secundo cane. 1

uolumus, & nullam diuisionis partem esse, nisi scientiã vnã ad sciendũ principia, & alteram ad sciendum operandi qualitatem, in qua non intrat operatio in effectu, neque corporalis labor; sed ambas esse scientias speculandi. Quod autem nomine Theoricæ propriè denotatur, est illud, quod in demonstrando sententias tantùm confert, ita quòd in operis demonstratione nullo modo auxilium præbet, sicuti pars, in qua res sciuntur complexionum, humorum, uirtutum, specierũ ægritudinum, accidentium, & causarum. Illud uerò, cui nomen Practicæ propriè attribuitur, est, quod in demonstrando operationis, & regiminis qualitatem, auxiliatur, sicuti pars, quæ iuuat ad demonstrandum quomodo sanitatem corporis, quæ in illa, & ex illa prouenit dispositione, custodiamus, atque tueamur; & quomodo corpori huiusmodi ęgritudine laboranti medeamur; nec existimemus partem, quæ dicitur practica, esse operationem & actionem, sed artem esse, quæ docet nos quomodo sit agendum, & operandum. Huic quæsito cum Auicenna respondere oportet dicente, Medicinam Practicam adhuc in duas diuidi partes, nempe in scientiam regendi corpora sana, ut in sui remaneãt sanitate; & hęc pars scientia tuendi, aut custodiendi sanitatem uocatur; & in scientiam regendi corpora ægra, quo pacto ad salutis dispositionem redimantur; & hæc, medendi scientia dicitur, aut ars curatiua, quæ tribus [a] perficitur instrumentis, uel uictus regimine, uel medicaminum usu, uel manus artificio. Hac ratione Chirurgia, quæ postremum medicinæ instrumentum nuncupari solet, cùm sit actus operatiuus, sub hac ultima medicinæ practicæ diuisione, est collocanda.

a ¶ Cels. li. 7. in proh. Gal. in intr. m. cap. 9. 10. primo reg. 2c. com. 6 li. de par. ar. m. c. 2. 2. Auic. 4. pri. cap. 1.

De subiecto Artis Chirurgicæ.

IN vnaquaque arte & scientia commune esse solet, ut unum quid sit, circa quod omnes actiones accuratè uersentur, & eius operationes, ac munia obeant. Id autem Philosophi & medici subiectum, uel artis materiam, seu finem uocant. Igitur, cùm ars Chirurga sit nobilissima, & nobiliorem tractet materiam, & finem habeat omnium longè præstantissimum atque utilissimum, quãuis effectio quædam sit, necesse est, ut aliquid habeat, quod sibi, materiæ uice sit, atque subiecti. Hac ratione pars illa artis Chirurgicæ, quæ docens uocatur, & solum habet operandi modum docere, proprium scopum considerare tenetur, nempe sub quadam uniuersali & confusa consideratione; qui quidem scopus est terminus, in quem postea actiones eius diriguntur, pariter & indicationes, id est agendorum insinuationes; sicuti etiam & finem, qui terminus est, in quem cessant operationes, & hic sanitas est in aliquo membro malè affecto inducenda, quatenus manu & instrumentis introduci possit. Hic sanè finis, eius subiectum est, ob id, quia ad actionem non deuenit, & actio iuxta Philosophi præceptum [a] circa particularia, scientia uerò circa uniuersalia uersatur: proinde à Galeno [b] dictum est, Methodum in uniuersalibus, & in particularibus exercitationes consistere: prout uerò est ars, & actus operatiuus, agit ratione finis particularis, quia artes [c] propter talem finem constituuntur. Porrò artium quædam sunt, quarum cessante operatione, nihil amplius apparet, & nullus uidetur effectus, ut in cantilenis, & tripudiandi arte contingit: quædam uerò opus aliquod uerè & re ipsa ostendunt, uelut ædificatoria, aut calciamentaria; & harum aliquæ quid noui ostendunt, aliquæ uerò tantùm restaurant, aut corrigunt, sicuti ars factiua circa hominem, Chirurgica uocitata, quæ nihil noui affert, sed solum restaurat, & est purus actus circa aliquod membrum singulare, ut eius deperdita unitas redimatur. Hac ratione huius partis operatricis VNIO erit semper subiectum, quod in solutis continuitatibus perpetuo dignoscitur: siquidem, ut tãtum partes diuortium patientes coeant, laborat

a ¶ 1. Metaph.
b ¶ 9. Meth.
c ¶ Gale. lib. de const. ar. m. c. 12 & lib. de opt. secta ad Trasibul.

laborat chirurga manus. Est enim [a] continui solutio, morbus simplicium, & compositorum membrorum communis; &, ut dictum est, [b] solutionis continuitatis cuiuis ratio intentionem quidem habet unionem. Sicuti enim continuitatis solutio unitate, sic substantiæ iactura generationem indiget. Eadem ratione qui aliquod apostema curare tentauerit, quanuis sit ægritudo communis communitate aggregationis, non tamen sub hoc fine illud curare intendit: sed quatenus commune est communitate subiecti, cùm in qualibet organica corporis parte apostema siue tumor præter naturam oriri potest: in similari uerò, non, quoniam membri formã & compositionem corrumpit, & [c] eius methodus curatiua est, ut omnis in eo contenta materia, aut sensibiliter, aut insensibiliter euacuetur, & absumatur; & ut partes membri tumidæ separationem internè patientes denuò uniantur, aut substantiam propriam deperditam adipiscí possint. Tumor enim præter naturam fieri nequit, quin partes membri insimul separationem patiantur. Et quemadmodum fracta ossa iustam naturam & compositionem exposcunt; ita luxationes propriam sedem desiderant; quod nil aliud est, præter propriam unitatem, aut contiguitatem. Porrò alicuius artis subiectum illud est, circa quod illius artis tota uersatur intentio; & æquale esse debet cum arte; & quod est principale in ea consideratum; cuius partes & passiones in ea declarantur; & ad quod cætera, quæ in ea cõsiderantur, habent attributionem. Et manifestum est id quod primò à Chirurgo consideratur, & ultimò in omni & unaquaque operatione eius consequitur, fore semper unionem. Ergo [d] unio, id est partium segregatarum corporis humani uigentis constitutio naturalis, aut in membris mollioribus, aut in partibus durioribus, erit perpetuò partis Chirurgiæ operatricis proprium subiectum.

a ¶ Gal. lib. art. par. m. cap. 88. & 3. Meth. cap. 1.
b ¶ Gal. lib. art. par. m. cap. 90.
c ¶ Gal. 13. Meth.
d ¶ Gale. 3. Meth. ca. 1. Pau. lib. 6. cap. 1.

De his, quæ ab arte Chirurgica considerantur.

ARS Chirurgica practica est, ea præsertim, quę operatur; & artes practicæ, [a] in eo quòd tales sunt, tria continere uidentur. Primò notitiam locorum suorum subiectorum. Secundò finem adducendum in locum illius subiecti. Tertiò opportuna instrumenta, quibus uti debet, ut finis ille in id subiectũ introduci possit. Porrò hæc omnia à perito Chirurgo in suis operationibus necessariò considerantur. Sit ergo Chirurgus in anatomicis administrationibus; id est corporum mortuorum recta sectione diligens & exetcitatus: siquidem [b] talis cognitio non minoris est utilitatis, quàm scientia agendi & iuuandi, ea ratione, quia uniuscuiusque membri compositiones, & potentias, quæ per operationes dignoscuntur, insinuat. At, [c] cùm in interioribus, & exterioribus membris & dolores, & morborum uaria genera nascantur, nemo putet se ijs adhibere remedia posse quæ ignorat. Ergo mortuorum corpora quàm plurima secare oportet, eorumque uiscera, ac partes externas scrutari; non autem uiua, ut legimus Herophylum & Erasistratum fecisse, qui nocentes homines à regibus impetratos, & ex carcere eductos, uiuos inciderunt. Est igitur anatome huic arti admodum necessaria, & à Chirurgo consideratur, non ut Chirurgus est: nam ut talis artifex principia in illa arte recepta considerare non potest, quanuis ea intelligat, & sciat: nescit enim ea, nisi in quantum artifex est alterius artis: Porrò ipsum oportet suæ artis principia ex eo loco, in quo magis nota sunt, accipere. Differt nempe ars Chirurgica ab anatomica, ratione subiecti in quo; siquidem una in uiuentibus, altera in cadaueribus exercetur, & ratione finis, ac operationis: nam hæc uniendo, illa destruendo, & rectè diuidendo operatur. Secunda Chirurgi consideratio [d] illa est, in qua aduenit finis, qui in aliqua sede morbo in unitate laborante inducendus uenit. Quicquid enim agit Chirurgus, ut partes membri uiuẽtis diuisæ ad pristinam unitatem

a ¶ Auer. 1. coll. cap. 1.
b ¶ Gale. 1. de nat. loc. affect. cap. 1.
c ¶ Cels. in suo proh.
d Gal. 2. de crisi cap. 7. Auerr. 7. coll. 32.

deducantur, operatur. Hic enim est eius finis primò petitus, & ultimò compara- 10
tus; & est terminus, in quo omnes eius quiescũt operationes. Effectiuarum[a] enim
artium finis est ipsum opus, & non actio: nam artes primò per se finem considerat,
reliqua uerò, quatenus ad hunc conducunt. Attamen quãuis Chirurgo sit proposi
ta perpetuò pro fine sanitas morbi in unitate; non eam ob hoc semper assequi ar
te poterit, cùm sint multi existis morbis, qui sub arte cadunt, insanabiles, hac ratio
ne, quia suapte natura tales sunt. Tertia chirurgi consideratio, est auxiliorum, à
quibus finem assequi possit: Hæc in genere[b] triplici instrumento adimpleri solent,
nempe optimo uictus regimine, medicaminum usu, & manus artificio: quorum
duobus ut theoricus, & uno ut operator, uti solitus est diligens Chirurgus. 20

a ¶ Gal. 2. cõ. 1. in lib. Hippo. de his quæ in medi catr. hunt.

b ¶ Scribon. lib. de med. comp. descr. cc. Cels. li. 1. in proh. Gale. in intr. m. ca. 10. Auic. 4. pri. ca. 1.

De actionibus artis Chirurgicæ.

a ¶ Hipp. lib. de off. med. Gal. lib. ar. par. m. ca. 87. & lib. 9. de plac. Hipp. & Plat.

NAQ TAE QVE[a] actio Chirurgica præcipuè sumitur à membrorum affectorum similitudine & dissimilitudine, in unitate, forma, numero, quantitate, & situ: & horum omnium cognitio acquiritur VISV, ut inflammationum, siue tumorum omnium præter naturam, solutionum continui, & cutaneorum affectuum. TACTV, ut in luxatis, aut fractis ossibus, scirrhosis, aut ædematosis dispositionibus, ac effectibus calidis & frigidis. AVDITV, ut in magnis ossium fracturis, 30
nempe crepitu, & rumore; aut uocis raucedine, uel mentis alienatione. Secundariò omnis Chirurgi operatio utpote ex quatuor sumitur, nempe A QVIBVS, PER QVAE, QVIBVSCVM, & CIRCA QVAE. A quibus, uidelicet medicis, ministris, & aromatariis, qui omnes Chirurgo operanti auxilia præstare solent. Per quę, organa, seu instrumenta, aut medicamenta, & quæ exterius adhibentur. Quibuscum, lumine, loco, & tempore. Circa quæ, utiatæ partis naturam, & morbi essentiam. Quæ aũt in uniuersum à Chirurgo considerantur, sunt AEGROTVS, MINISTRI, ORGANA, LVMEN, QVANDO, LOCVS, VBI, CORPVS, QVOMODO, & MODVS. Aegrotus, an sit infans, puer, adolescens, consistens, senex, aut decrepitus, fœmina aut masculus, effœminatus & timidus, aut fortis, audax, & 40
laboribus deditus. Ministri, nempe periti, audaces, & affabiles, in quibus consideratur numerus, ne plures sint, quàm deceat. Locus, ut prompte seruitia præstent, nec impedimento sint; habitus expeditus, ut citò mandata exequãtur, præter hæc. membrum quod curatur eo modo continere debent, quo traditum fuerit, reliquum uero corpus sic, ut immobile permaneat. Item silentium seruent & eum qui præest auscultent. ob id mulieres & pueri expellantur: Organa, scilicet ferrea, lignea; linteamina, magna aut parua, quæ in ossium fracturis, aut luxationibus à Chirurgo, curationis gratia, parata conseruentur, ueluti scaphia, scamna, glossocoma, scalæ, & alterius formæ similia. Lumen, naturale, artificiale, auersum, aduersum, magnum, aut paruum. Quando, in uere, æstate, autumno, aut hyeme. Tempus, in morbi initio, incremento, consistentia, aut declinatione: quippe aliqui sunt 50
morbi inducias non admittentes, in quibus quàm celerrimè medicus manu, aut instrumentis uti debet, ut in gangrænis, & dolore atroci; interdum in morbi statu, ut in abscessuum sectione: interdum in declinatione, ut suffusiones acu deponendo. Locus, in supremo, aut medio, aut infimo uentre, aut in sede extrema, aut cutaneis partibus. Vbi, in aere aut calido, aut frigido, aut æquinoctiali, particulatim in loco opportuno, cùm non minus idoneum locum ægrotus requirat, cui manus curatio adhibenda est, quàm medicus instrumentum & lumen. Corpus, in membro nobili, aut nobilibus seruienti, aut ignobili, duro, molli, aut mediocris consistentiæ. Quomodo, æger se medico exponere debeat, stando, sedendo, cubando, ratione commodi aut sui, aut operantis, aut luminis. Modus, uidelicet diæta, siue

recta

recta uiuendi ratio; potio, id est conueniens pharmacum, & manuum operatio, 10
quam Græci Chirurgiam uocant, in qua multa considerare tenetur artifex, nempe ut benè & elegantèr agat: elegantia enim, & uenustas in Chirurgorum actionibus maximè probatur. Iucundè etiam, & quàm minimo cum dolore. Citò in morbis, qui celeritatem expostulant, ac Tutò, ut morbus sanetur, & ne ampliùs re uertatur, aut reuiuiscat. Quæ uerò propriæ à Chirurgo considerantur actiones, illæ sunt, quæ ab eo immediatè perficiuntur, & munia propria dicuntur, in quibus uniuersa artis ratio sita est, uidelicet solutum continuare; Continuum soluere, & superuacaneum demere. Solutum continuat in cruentis & magnis uulneribus per accidens aut sutura, aut fibulis, aut laqueis, aut fasciis, aut glutine; reliquum ue-
rò per se à natura adimpletur. Continuum soluit abscessus secando aut ferro, 20
aut igne, aut medicamento uim urendi habente. Absumit, & tollit quod superuacaneum, & superadditum est, medicamento, aut ferro, aut igne, ut polypum, thimum, acrocordonem, & sarcomata omnia. At genera noxarum, quæ propriè à Chirurgo tractantur, sunt, CVM QVID EXTRINSECVS VENIT ET LAEDIT, ut uulnera, & quæ telis, globulis plumbeis, sagittis, spinis, & similibus causis procurat ictis fiũt. CVM QVID INTRA SEIPSVM CORRVPTVM EST, ut ulcera putrida, gangræne, carcinomata, & affectus omnes, qui à prauis succis, & internis causis procreantur. CVM QVID INNATVM EST, ut fistulæ, sinus, teredines, & occultæ dispositiones morbosæ. CVM QVID INCREVIT, ut omnium tumorum præternatu-
ralium genera. CVM QVID ADDITVM EST, ut morum, uerucha, sarcoceles, 30
& excrescentiæ omnes. CVM QVID DEEST, ut pars aliqua dempta, aut curta, aut uulnera caua, aut magni sinus, & similia. CVM QVID IVSTAM NON SERVAT NATVRAM, ut luxationes, ossium fracturæ, monstrosa, & affectus in numero, ut sextus digitus, aut in quãtitate, ut elephantiasis, & ex his omnibus alia sunt, in quibus plus medicamenta, alia uerò, in quibus plus manus proficiunt. Porrò dictum est, a actiones, quæ circa ægrotum fiunt, sub triplici esse discrimine: nam aliquæ à solo medico celebrantur, ueluti luxata ossa in propriam sedem reponendo, & fracta coniungendo, & alia id genus, quæ solum manus operam desiderant: Aliæ à natura tantum, ut quod in carnosis partibus deperditum est, resarciatur: 40
Multæ verò à medicamentis tantummodo, ut quicquid superadditum est absumatur. Adhuc & quàm plurimæ aliæ operationes à Chirurgo aliquo mediante auxilio perficiuntur: & hac ratione mediatæ operationes nuncupantur, ueluti fluentem sanguinem sistere, destillationes repellere, materiam coniunctam aut discutere, aut suppurare, cruditates præparare, quod immundum est purgare, disiunctũ unire, tensum aut durum mollire, humidum exiccare, siccum humectare, frigidum calefacere, calidum refrigerare, corruptum resecare, cariosum adurere, dolores sedare, imbecille corroborare, & similes indicationes alterius auxilio adimplere. Organa autem, siue instrumenta ad uarias operationes requisita, quæ apud bonos Chirurgos in quotidianum usum ueniunt, quibus etiam munitus perpetuò esse de 50
bet Chirurgus, uario modo & ex diuersa materia formantur, & propè operatorem ea exponenda sunt, ne, ubi operari expedit, operam impediant, si longius distent, quàm ut possint capi: Collocentur ergo circa eam corporis partem, quæ tractatur; quòd si operatori ab altero præbeantur, is optimè oculatus paulò antè paratus sit. Quorum aliqua facta sunt ad EXPLORANDVM, ut in fistulis, quas Græci syringas uocant, & cauernosis ulceribus, uel teredinibus, & cariosis ossibus, Specilli argentei, aut plumbei, uel in uesicę calculis Argalia seu Alchartir, quam isti syringam uocant. Aliqua ad CONIVNGENDVM, ut in uulneribus de recenti illatis, Acus triangulata, Fasciæ, & Ferulæ. Aliqua ad INCIDENDVM, ut ad pilos denudãdos, Forcipes aut Forfices; ad cutim scarificandam, Nouacula; ad uenas incidendas, Scalpellum Chirurgum siue phlebotomicum: ad abscessus aperiendos, Scolopomacherion: ad fistulas diuidendas, Syringotomum: ad corrupta membra

resecanda,

a ¶ Gale. lib. 1. uirt. natur. li. de const. ar. m. cap. 12. 4. de comp. med. sec. gen. & 3. Meth. cap. 8.

resecanda, Serra magna. Aliqua ad PERFORANDVM, vt in caluariæ affectibus, Terebra, & Modiolis in suffusionibus, Alberid: in ægilopa, Terebra triangulata: in hydropa, Manubriolum. Aliqua ad APERIENDVM, vt in faucium morbis, Glossocatocon: in morbis vteri, Diopter: in vitijs ani, Catopter. Aliqua ad EXTRAHENDVM, vt in suppuratis, Piulcum: in aqua inter cutim, Clepsydra: in fœtu emortuo Vncus: in sagittis extrahendis, Diocleum. Aliqua ad IMPONENDVM, vt in sinibus, Clysteres oricularii cotenchytas græcè dicti: in vtero, Metrenchitas; in uesica, Catheteras, aut recti Syphones. Aliqua ad RESTAVRANDVM, vt in fractis ossibus, Glossocomia, Scamna, Tripastrum, Capsulæ, & similia. Aliqua ad ANATOMIZANDVM, vt cultelli excisorii diuersi, radioli, uncini, syphones recti & obliqui, acus multæ, calami uarij, Malleus, Flabellum, & filum. Aliqua verò ad CAVTERIZANDVM, vt aurum, æs, plumbum, sulphur, cucurbita, gossipium, pagina, clauilia multa ferrea diuersarum formarum, nempe cultellaria, lunata, scutalia sphærica, triangulata, quadrata, mallearia, oliuaria, lingualia, cannulata, radiolata, & similia. Quæ autem semper à Chirurgo circunferuntur, sunt acus, forfices, volsella, specilli uarij, nouacula, phlebotomum, & eleuatorium. Quæ omnia instrumenta hinc inde suis locis, ac in uniuersum Deo Maximo fauente in nostra Chirurgiæ officina concinnè delineata videbuntur.

De modo acquirendi artem Chirurgicam.

OVI verò in addiscenda Chirurgia laborat, primò intelligat, quòd vnaqueque [a] facultas & ars multiplicem habet modum notitiæ: vnum scilicet rerum pertinentium ad naturam illius facultatis vel artis, id est, quòd sit facultas vel ars vera, vtilis, & comprehensibilis: alterum, qui est modus acquirendi illam facultatem, vel artem; & vanum est, ait Philosophus, [b] velle simul addiscere artem, & modum eam acquirendi; sed [c] prius decet modum eam sciendi addiscere, qui fit per principiorum cognitionem, quæ illius artis theoremata, siue notitiæ esse dicuntur; q̃ primò in anima addiscentis esse debẽt. Secundò partes illius artis: Tertiò inter eadẽ tibus principiis, & partibus totã ipsam artem. Hac ratione & Galenus in addiscendis artibus hæc in primis obseruanda iusit, procedendo nimirum à cognitione rerum communium ad singularia; aut à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia; siue, vt ait [d] Philosophus, ab his, quæ magis nota sunt, ad minus nota. Porrò quæ magis vniuersalia, & magis nota sunt, à parte theorica, & antiquorum [e] libris petenda ueniunt. Quare bonarum litterarum studijs Chirurgus deditus esse debet. Praxis verò, siue quæ ad vsum pertinent, postmodum acquiruntur militando, & externos exercitus sequendo. Sic enim quispiam peritus euadet, præsertim eis seruitia præstando, qui in ipsa arte periti, valdeque occupati in curandis morbis, Chirurgicis operationibus, fuere; ac instrumentorum, machinarum, & medicamentorum inuentores extiterunt. Inchoet ipse deinceps in apparẽtibus morbis experiri, ac operari, atque in his potissimum, qui magis noti sunt, ac simpliciores, & magis sanabiles nosc̃untur; eos quippe dimittendo, qui culpabilẽ medicũ reddere possunt, nẽpe cacoethes, chironeos, phagedenicos, teredinosos, atrabilarios, aut ad interitũ tẽdẽtes; alioqui nemo unquã optimus Chirurgus euadere poterit. Præterea [f] in arte frequenter se exerceat, & cæteros artis peritiores operari sæpissimè uideat; & quæ ab alijs facta viderit, ac ipse expertus fuerit, memoriæ mandet, ac diligenter obseruet: nam dictum est, artium omnium opera frequenti exercitio firmantur; & artis necessaria sæpè tractanda sunt, ut inferius ad unguem in singularium morborum curatione explicaturi sumus.

a ¶ Aristo. 1. de par. ani. cap. 1. & 2. Physf. com. 16.

b ¶ 2. Metap. co. 15.

c ¶ Gale. lib. de const. ar. m.

d ¶ Lib. 1. de physf. au.

e ¶ Hip. li. de offi. med. de calu. curat. de fracturis. de luxatis, de ulceribus. Celf. lib. 5. 7. & 8. Gal. li. de cõp. med. sec. genera. & li. 3. 4. 5. 6. 13. 14. meth. Paul. lib. 3. & 6. Auic. 3. & 4. 4. Albuc. ubique.

f ¶ Gale. 6. de comp. med. sec. gen. & 9. Meth. & 4. Aphor. có. 22.

De optimi Chirurgi generalibus conditionibus.

PTIMI Chirurgi generales conditiones in omnium medicinæ partium cognitione consistunt. Quarum prima iudiciaria est, simplicium & compositorum morborum notitiam complectens, qui sub triplici modo patientes affligere solent, nempe in complexione aut materiali, aut sine materia; & sic interdum similaria, interdum organica membra offendunt: in compositione etiam, & sem per compositas sedes cruciant, aut in forma, aut in situ, aut in quantitate: in unitate, qui & simplicibus, & compositis partibus occurrere possunt. Secunda verò notitia est causarum antecedentium, Primitiuarum, & earum, quæ coniunctæ nominantur; pariter & accidentium communiũ, quæ vnà cum diuersis morbis diuersimode oriri contingunt, & quàm facile separantur; nec non & propriorum, quæ unà cum ipso morbo nascuntur, & eum, sicut umbra corpus, sequuntur. Tertia prædictiones euentuum cõtinet, breuitatis uidelicet, aut longitudinis morbi, vel salutis, aut mortis infirmi; proindè morbũ talẽ esse, per causas immediatas, & per propria signa prædictionem attestantia declarare Chirurgus tenetur, nec non in topicorum medicaminum applicatione opportuna, loco conuenienti, & tempore debito. Quarta partem diæteticam habet, scilicet in ambientis aeris electione, corporis nutritione, somno & vigilia, motu & quiete, corporis repletione & inanitione, ac animi accidentibus; quæ omnia ad saluris conseruationem, & futuri morbi præseruationem summoperè facere uidentur: potionariam etiam, uidelicet humores malè dispositos, in quali aut quanto peccantes euacuando, potissimùm cùm præparati fuerint, in condecenti quantitate, tempore opportuno, nec sub Cane, nec ante Canem; aut si minus Canis uitari possit, cum vocatis vulgo benedictis medicinis, per conuenientem regionem; nempe per alui eductionem, per lotii copiã, sanguinis missionem, sudoris quantitatem, aut vomitum conuenientem. Insuper inter prædictas conditiones Chirurgia theorica enumeratur, quæ speculatiuè à Chirurgo, vt sciat quid sit Chirurgia docens, quæ largo modo scientia est, & vtens, quæ purus manuum actus existit: ac etiam & subiectum Chirurgiæ materiale, siue attributionis, quod est corpus humanum viuens aliqua ex parte ægrum, manuum operatione plurimùm egens: pariter & intentionale, quod est morbum in vnitate, aut iustam naturam corrumpentem remouere; & hac ratione Vnio (ut superius demõstrauimus) erit hujus partis Chirurgiæ subiectum, & finis quem Chirurga manus consequitur, Vniendo, Diuidendo, & Demendo. Postremò inter easdem conditiones Chirurgia practica refertur, in qua [a] Chirurgus operatur, ratione finis, CITO, ante symptomatum aduentum, ac sine uanis promissionibus pristinæ sanitati infirmum restituendo. LAETE, ac hilari vultu omnia peragendo, patientibus [b] salutem promittendo; astantibus verò, amicis & affinibus uerita tem pro posse prædicendo; & in hoc prudens, & circunspectus sit; nam melius est silere, quàm errare, vanum iudicium proponendo. TVTO, inceptam curationẽ adimplendo, nobilia membra ab omni noxa præseruando, ægrotum ab alio morbo, diuerso symptomate, & non solita causa liberando, & ne denuò vitium reuiuiscat curando. SINE DOLORE, manibus omnia leuiter pertractando, medicamenta omni mordicatione carentia, præterquàm necessitate vrgente, administrando, instrumẽtis optimis & accommodatis vtendo, affectum membrum in sua naturali habitudine conseruando, & omnes dolorũ causas tollendo; atque hoc inter curandũ perpetuò seruando, vt si non iuuet, saltem non noceat. Hæc sunt optimi Chirurgi considerationes, & operationes, quas summa fide undequaq; celebrare tenetur: nam sic iubet diuinus Hippocrates.

a ¶ Hipp. 1. Epidem. sect. 2. Gal. 14. meth. ca. 13. Celf. lib. 3. c. 4.

b ¶ Celf. lib. 5. cap. 26.

De optimi Chirurgi præcipuis conditionibus.

SPECIALES verò siue præcipuæ optimi Chirurgi conditiones in eius animi operationum promptitudine consistunt: ob id [2] Prudens esse debet, & acuti ingenij, ut medicorum axiomata intelligat, ac ea indicationibus, & operationibus opportunis applicare sciat, nec non vt accidentia, quæ de recenti contingunt, aptè corrigat, atq; propellat. Sit tenacis memoriæ ob vniuersalia theoremata reminiscentiam; & vt eorum, quæ apud peritos præceptores aliàs viderit, operando reminiscatur. Sit optimi iudicij, vt morborum facultates, qui primò ac per se actiones lædunt, & causas, quæ non per se & primò, sed per accidens easdē offendunt, ac symptomata, quę morbos tales esse demonstrant, & concomitantur, perscrutetur; hæc nanque præter naturam sunt omnia, & illi vim inferunt, ac eius ordinem peruertunt, summeq; præsagiendo circunspectus esse debet. Sit præterea humanarum litterarum studiosus, vt Græcos & Latinos scriptores intelligat. Logicen calleat, vt demonstrando, verùm à falso discernat, & à sophistis valeat se tueri. Naturalis scientiæ sit peritus, vt principia, causas, & elementa omnium rerū agnoscat: Artis medicæ, vt res naturales, non naturales, & præter naturam discurrat, sanitatem potissimùm, à qua effectus ad actionem, secundum naturam efficiendam idoneus resultat. Causas sanitatis effectrices & conseruatrices; Vires, idest naturales dispositiones, quæ aduersus morbos certant, & corpus conseruant: Consuetudinem, quę ferè altera est natura: Temperaturam totius, & partium, quæ à similibus conseruari, & à contrarijs corrumpi solet. Anatomen intelligat opus est, vt via resolutiua per rectam corporis humani sectionem, eiusdem fabricam agnoscat, in qua [b] artificis summi, ac conditoris nostri potentiam ac magnitudinem deprehendimus: pariter & plantarum, mineralium, animalium, nec non simplicium ac compositorum medicamentorum naturas, & facultates intelligat. Philosophię moralis præceptis abundet, vt in propriis actionibus se rectè regere valeat. Bonis sit moribus præditus: miseris pius, cunctis amicus, sed quàm paucissimis familiaris intimus: cum imperitis non multa fabuletur: Sit affabilis, lætus: sed secretus, & castus. At si moderatus, humanus, iucundusque fuerit: grauitatem tamen seruare debet, & potius liberalem, quàm auarum se ostēdat: operando audacem & securum se præstet: sit quoque prudens incurabiles morbos euitando, & propriam salutem curando: nam medici gubernationē esse dicimus (ait Hippocrates) vt videat, quo bono corporis habitu, & colore præditus sit iuxta existentem in ipso naturam: vulgus enim existimat eos, qui non satis benè disposítum corpus habent, nec sibi, nec cæteris benè prospicere posse. Ornatè, sed expeditè, induatur, vt liberè operetur, & operando ne deturpetur: grauis sit in vestimentorum longitudine, & indumentorum bonitate: anulos aliquot in digitis gerat: manus, faciem, pilos in barba & in capite, ac alias corporis partes quàm purissimas habeat: ungues digitos ne excedant, neque admodum breues sint, ne, dum vulnera probe ac decorè vnire tentauerit, infirmo maleficiū inferat: in locutione, aspectu, & omni corporis habitu gravitatem retineat, etsi dixerit Hippocrates: Aeger quærit à medico auxilium, & non ornatum, & morbi non eloquentia (ait Celsus) sed remediis curantur. Aetas sit iuuentutis, aut iuuentuti propinqua, hoc est intra consistendi ætatem & virilem, quæ & sensibus, & robore viget, ob varias vtilitates, nempe labores ferēdo, studendo, deambulando, & medelam opportunè præstando: manu vtraque pro dextra, intremula, & sana vtatur: nā agens (ait Hippocrates) vti vtraque manu ad omne opus debet, & ambabus simul: siquidem ambæ similes sunt, id spectant, vt rectè, vt decorè, vt eleganter, vt celeriter, vt iucundè, vt promptè agat, nempe cōtorsiones quiete accommodando, luxationes proprijs sedibus reponendo, fracta ossa in suam iustam naturam, & probam vnitatem reducendo, teredines vrendo, caluariam scissam

a ¶ Hipp. lib. de artic. lib. de medico. lib. de decenti ornatu. Gale. lib. de constitut. art. m. lib. 3. de facult. nat. & 8. Meth.

b ¶ Gale. 9. de plac. Hipp. & Platonis.

sam terebrando, putrida membra resecando, ac bis vel ter in die patientibus medelam præstando. In quibus omnibus actionibus, quę per sectionem, aut vstionem fiunt, velocitas, ac tarditas æqualem laudem meretur, siquidem in quibus per vnicam sectionem Chirurgia absoluitur, velocem dissectionem facere oportet: valdè tamen turpe est, non contingere à Chirurgia, quod expectare cōtingit. In optimo etiam Chirurgo omnium sensuum salus requiritur; VISVS præsertim, vt primo ægrotantis faciem pernotet, & vt minima quæque in profundo, aut abscondito sinu videre possit; vt corruptionis initium, aut alterius morbi agnoscat, ac medicaminum, vel instrumentorum, bonitatem percipiat. AVDITVS, in ossium fracturis, quæ strepere solent; aut in caluariæ terebratione, quæ magis auditu, quàm tactu tutò perficitur. auditui etiam subiecta sunt sternutamentum, tussis, hominis strepitus præternaturam loquentis dum mente non constat. GVSTVS, ob simplicium medicamentorum facultates, & quibus vescuntur, rerum temperaturas. ODORATVS, ob vlcerum, aut abscessuum digestiones, aut putredines, vel deiectionum, aut lotij, aut respirati aeris qualitates, & medicaminum bonitatem. TACTVS, ad durities, & lenitates percipiendas ad intemperiei qualitates, & vlcerum dispositiones dignoscendas, ac vomicarum maturationes perscrutādas. Porrò hæc sunt optimi Chirurgi officia, habitus, ac communes, & propriæ conditiones, quibus ipse munitus esse debet, ut in suarum operationum cognitionem rectè deuenire possit: quas pariter in humanis corporibus Chirurgiam requirentibus si deliter, ac omni studio exercere tenetur.

DIGRESSIO.

MAGISTER de optimi Chirurgi conditionibus, de eius officijs, ac officina, & de his quę in cōtinuo vsu habere solet, multa enarrauimus, nunc restat ut breuiter tanquam per epilogum de agendis, ac in medendo pręparandis. Potissimum in solutis continuitatibus aliqua describamus, in quibus multa consequi solet per disidentium partium commissionem, seu labiorum vulneris applicationem, & eorum conseruationem, ut orę ipsę secum coalescant, atque agglutinentur, quod in simplici vulnere à sola decenti fit ligatura, vinculo scilicet ex duobus initijs circundato. sed prius cauere oportet ne quid extrinsecus intercidat, quoniam sæpius vsu venit vt pilus, aut extraneum quid interueniens, earum quę copulandę sunt, partium, vnitatem impediat. Hęc quidem est solutę continuitatis curatio, cum ipsa sola seorsum in carnosa parte consteterit: si verò quid infixum fuerit, has præcedit operationes, eorum extractio, quę interdum in vulnere continentur, postmodum sanguinis copiosè fluentis si adderit cohibitio, vltimo partium vulneris aggregatio, nempe sutura, aut deligatura, quę fascijs aut vinculis perficitur, in quibus omnibus actionibus operator, turundarum, lichnorum, spleniorum, & fasciarum materiam, formam, & finem, considerare tenetur.

RERVM PRAETERNATVRALIVM EXTRACTIO.

SI quis ergo quæ corpori infixa sunt detrahere voluerit, sibi aliqua primo consideranda veniunt, nempe rei extrahendæ magnitudo, substantia, & forma, postea sedis affectę habitudo, situs, & officium, vltimo opportuna instrumenta & operandi modus. Quę verò illata corpori intus hæserunt, magno negotio sæpe eijciuntur, & difficultas est ex eorum generibus, quę hęserunt, aut ex sedibus in quas illa penetrarunt. omne autem tale extrahitur aut ab ea parte qua venit, aut ab ea, in qua tetendit. itaque si altè non insedit, nil melius est, quam qua venit id euellere, sed si retro recipiendum, scalpello plaga imprimatur, habita summa cura, ne neruus, ne uena magna, aut arteria incidatur. verùm quantò

tò prius id fecerit, vt libro sexto dicemus, seipsum medicus, ac ægrum à magno di-
scrimine liberabit, attamen si telum aliquod defixum primis conatibus commo-
dè, ac salubriter euelli non potest. Sic eousq; dimitti debet, donec circumposita
caro emarcescat, & telum ex se exeat. si autem aliquod principalium membrorũ
læsum fuerit, & patiens superuicturus non est, ab omni operatione cauere opor-
tet, & opus naturæ committatur, telo à corpore euulso, non alia est vulneris me-
dicina, quam quæ esset, si corpore icto nihil inhæsisset, & vulnus vt cætera pro-
prijs indicationibus sanetur.

SANGVINIS PROFLVVII COHIBITIO.

Roflvit sanè à vena aut arteria sanguis, interdum eo modo quem Gręci anastomosin vocant, adaperto earum ore ob vasis imbecillitatem, ob sanguinis impetum ad os ruentis, aut eius acrem qualitatem extrinsecus ademptã, aut tunica diuisa telo acuto, aut ad secandum habili, aut obtuso, graui, & duro, contundente, aut à refrangente, nempe vehementissimo motu, insolita tensione, succi crassi ac vaporosi abundantia aut casu, Erosione ab humore acuto, à morsu animalis, & medicamento vrente, aut sine Erosione diabrosin, aut sudoris vice transcolatus diapedesin illi vocant, tunica venæ rarefacta, gracilium vasorum ore adaperto & sanguine attenuato: Sistitur autem obturato quod perruptum est, clauso vulnere, labris eius quod disidet in idem adductis, aut Chirurga manu, vbi vulnus ad manum se exhibet, aut cõdecenti deligatura, aut refrigerantibus ac astringẽtibus medicamentis, aut osculo venæ obstructo, sanguine ipso cõcreto trombos à Græcis nominatur, aut ijs, quæ foris adhibentur, veluti carnosæ partes, aut cutis ipsa circa vulnus & quæcunque commiscentur, nempe linamenta ex oui albore concusso, auxilia emplastica, aut quæ crustam faciunt vt ignis, aut igneam vim habentia, & quæ animi deliquium mouent; sistitur interdum etiam sanguine auerso atq; aliorsum translato ad proxima deriuato parocheteusin Gręci dicunt, aut ad contraria reuulso, antispasin ijdem vocant, quippe ligaturis, frictionibus, cucurbitulis, hirudinibus, balneis, & sanguinis missione.

VVLNERVM SVTVRA.

Svtvra vulnerum inde sequitur omnibus vulneribus in molli parte acceptis, vbi labra multum disident, summopere conueniens, in qua à Chirurgo hæc considerantur, Incarnandi seu agglutinandi finis, vt in recentibus vulneribus, Supprimendi, vt in sanguinis fluore, Conseruandi, vt in labris vulnerum in vnum adductis & ad tempus sic præseruandis, Retinendi, vt in abdomine vulnerato, aut in lacertis transuersaliter sectis; pariter instrumenta veluti acuum forma, longa, breuis, lenis, triangulata, & cauda sic excauata vt filum in ea commode recondatur, longa in magnis musculis profundè sectis, in quibus comprehendere sutura non tantum cutem debet, sed aliquid etiam de carne, breuis in facie & manibus, lenis vbi caro mollis est, cuspide triangulata in abdomine vulnerato, & membris durioribus. Filum aut sericum quod nullibi fere in vsu est, aut lineum quod communiter magis probatur, vt sutura diutius conseruetur, æquale, duplicatum, & forte, sed non nimis tortum, neque nimis crassum, vt facilius penetret, neq; nimis tenue quo mitius corpori insideat, sed tale sit, quale Galenus 13. meth. in fine probauit, nempe minime putrescibile, vt Romæ Gaietanum erat, aut quod ex Gallijs transportatur. operandi insuper modus considerandus est, veluti in carnosis partibus quando labra sic inuicem disident, vt sola ligatura in vnum adduci non possint, & in cruentis primum punctum in medio diuisionis figatur, deinde alterum in medio spatio utriusque lateris. & ita deinceps agatur, donec

vulneris

vulneris labra rite commissa & cohærentia fuerint, uerum neque nimis rara, neque nimis crebra sutura esse debet, nam illa non continet, hæc vero vehementer infestat. sutura oras iungit, quæ nec ipsæ inter se quidem coniungi ex toto debent, vt si quid intus humoris concreuerit, emanet, & hæc est vera fibulandi, ratio. nam fibulæ latius vulnus esse patiuntur, siquidem fibulæ vt Latini dicunt, aut anneteras vt Græci, adhibentur vbi vulneris partes adeo distant, vt sutura aut glutine uniri nequeant. Fibulæ instrumenta ferrea sunt ab utraque parte recuruata, hami effigiem repręsentantes, quæ disiunctas, atque hiantes partes vulneris committunt. Infimus venter sæpe etiam vulneratur, prolapsaque intestina, reconduntur, & oras vulneris futuræ comprehendunt. tuncque, interuallum quod singulis acus traiectionibus interuenit, quod ad compescenda pertinet ea quæ subsunt, breuissimum esse postulant. quod vero ad firmitudinem ipsius cutis necubi rumpatur, breuitas parum tuta est. quare vtriusque vitiato excessu eligenda mediocritas est. Intestina vario modo futuram admittunt, nempe sutorum, aut pellionum more, ac acuum & fili varietate, quod quemadmodum fiat, libro quinto indicabimus. ea vero qua vtimur vbi sanandi spes alia non datur, fit oribus vulneris reuolutis, vti pelliones pelles consuere solent, quæ etiam in ruentis sanguinis magno impetu, & magnis intestinis sectis probatur. Hoc seruato vt hamos ac formicarum capita spernendo, nunquam futura utamur, antequam vulnus à re extranea, aut a concreto sanguine optime expurgatum fuerit.

TVRVNDARVM APPARATVS.

Tvrvndae, quas Græci mota emmota, & taemota, & Latini lichnia fichinia, penicillia, & collyria & linamenta in longum implicita vocant, vulgus cuncolos, hasteolos, tentas, aut tastas, appellat, Instrumenta quędã sunt in curandis vulneribus maximo usui. ob id à Chirurgo consideratur eorũ materia quatenus linea, aut plumbea, aut alterius substantiæ esse debet, nempe ex spongijs laqueo vehementer compressis, aut radice Gentianæ, Draguntij, Brioniæ, Ebuli, medulla cannarum Melicæ seu surgi, dum fistulam aut vlcus aliquod dilatare cupimus, vel filis lineis quam mollissimis, aut stupis bene pexis, & sordibus purgatis potissimum in recentibus vulneribus adhuc earum forma consideratur, lata nimirum in vulneribus aut vlceribus planis, rotunda in angustiis, oblonga in sinuosis, longa & angusta in sectis & rectis, cannulata in narium vulneribus ob inspirationem, in thorace perforato ad perpetuam humiditatum inanitionẽ, harum vero turundarum omnium multæ filo laqueari solent, & quamplurimæ claui effigiem præ se ferunt, ne facile intro labantur, & hæc proprie linamenta. Turundæ & penicillia uocantur: Qualitas earum sicca, aut aliquo medicamento imbuta sit, Finis, ad obturandum in sanguinis hemorrhagia, ad dilatandum in profundis sinibus, & fistulosis dispositionibus vbi necessum est aliquod orificium ampliare, aut amplum conseruare, vt in osse tered ine affecto, aut vulnere prauo succo, aut veneno prædito, ad præparandum in vulneribus crudis, aut contusis, aut malo acre alteratis, ad abstergendum in morbis qui detersione egent, ad incarnandum vbi deperditæ substantiæ regeneratio est expectanda. vltimo ad symptomata tollenda, quæ faciunt quo minus vulnus sanetur, aut in vetustate degeneret.

PVLVILLORVM VSVS.

Pvlvilli, qui à Græcis anaktira, & anacratira, à Latinis puluilli, & pulinarij, & communiter plumaceoli vocantur, instrumenta quædam sunt mollia diuersarum formarum exterius applicanda, & ad varios fines vtilia. Hac ratione Chirurgus in eorum apparatu plura cõsiderare tenetur, veluti ma-

teriam, nam aliqui fieri solebant ex pluma inter duos pannos consuta à qua nomi nis ethimologiam sumpsere. alij ex stuppa præsertim cannabina, aut ex lana, aut ex bombice siue gossipio, aut ex spongijs, aut ex pannis lineis pluries duplicatis potissimum dum optamus vt vulnus aliquo madeat liquore: Numerum, nam interdum vnus interdum plures occurrunt, Formam siquidem alij oblongi, alij semirotundi, alij triangulares, alij conuexi, & alij quadrati formantur, vtilitatem quatenus aliqui ad incarnandum construuntur. nam quandoque dissectas & diductas partes membri, quod in vnione diuortium patitur, fulciunt, & comprimunt, & hi bini ac triangulares requiruntur, & ita dispositi vt vnus vni, & alter alteri vulneris orarum lateri commodè adaptetur, aliqui ad retinendum, vt in ramice siue hernia inguinali, aut vbi medicamenta labi facillimè possint. aliqui ad defendendum vt pars læsa ab iniurijs exterioribus tuta sit, & isti oblongi & lati formari debent, & quandam effigiem cum animalium splene seruant, ideo splinia aut splenia nominantur. artubus fasciarum loco adhibentur: & dum paruæ sunt cauitates partium replemus, & tunc turundæ & plagulæ uocantur: aliqui ad expellendum vt in sinuosis vlceribus ne sanioſam proluuiem, aut ichores sordidos intra se retineant, & hi semiouales construuntur. aliqui ad copiosas humiditates exiccandas, vbi quotidie copiosè emanat, vt in neruosis partibus sectis dignosci potest, & hi ex spongijs interdum parantur. aliqui ad calorem innatum fouendum, vt in cauaria fracta, aut vbi calor imbecillis reperitur, & hi quadrangulares fieri solent. sicci interdum applicantur. multoties vero medicamento aliquo tenui infusi, veluti oui albumine, vino, oleo, oxicrato, aut aliquo magistrali decocto, pro ut res ipsa postulare videtur.

FASCIARVM VTILITAS.

ET quia bifariam simul manent & conglutinantur quæ cõmissa sunt, alia enim per se quæcunque secum concrescunt & coalescunt ut mollia & viscosa, tum caro ipsa, tum quæ carnea sunt, alia aliorum ope, ut ea quæ colligantur, aut glutino aliquo vniuntur, vt quæcunque dura siccaue sunt vt ossa fracta quæ vinculum aliquod requirunt Græci Porum sarcoidem, Arabes alrosboth, Latini callum vocant, ideo obseruandum est vt aptè simul coire possint, & ob id sciendum has omnes operationes non nisi fasciarum aut vinculorum auxilio perfici, epidesis Græci vocant. quæ quidem fasciæ sub tres differentes modos ad fines diuersos formantur, nempe vt retineant, vt expellant, & vt incarnent. quę retinẽt, membris accommodantur, vbi structura fieri nequit vt in collo, sumine, & membris vehementissimi sensus. quæ autem expulsoriæ dicuntur, sinibus & cuniculosis vlceribus adaptantur, & id cõmodum præstant, quod à fundo ad os collectam humorum colluuiem extrudunt, & ne quid amplius ad locum affectum confluat valde prohibent. incarnatiuæ vero recentibus tum vulneribus, tum fracturis ossium adhiberi solent.

FASCIARVM CONDITIONES.

IN fascijs præterea conditiones variæ considerantur, nempe materia. nam aliquæ lineæ & leues vbi inflammatio uerenda est, ad astringendum conficiuntur, ex lana ad continendum ubi de phlegmone nulla datur dubitatio, ex membranis ad agglutinãdum vbi nasus aut maxilla comminuitur. habitus, nam quædam sunt glomeratæ cum ex habena in longitudinem fiunt, quibus nihil assuitur vt ab eis perfecte membra vinciantur, quædam scissæ quæ ex vno linteo extremis partibus vel alibi scisso parantur, quales sunt quæ ad capitis vulnera dantur, quædam & assutæ, quæ ex pluribus habenis varia figura inter se coniunctę componuntur

componuntur, quales esse solent, quæ suspendunt, cingunt, & mammas deuinciũt, & quæ loco, qui iuxta anum est, accommodantur. Longitudo, nam aliæ lõgæ sunt, vt in Thorace vulnerato, aut membris crassioribus affectis. Mediocritas, vt in fracta Caluaria. Breuitas vt in brachijs. Angustia vt in digitis. Structura, siquidem aliquæ sub eodem ordine texuntur, aliæ ex materia per se coacta constant vel certo ordine implicata, quæ simplici textura fiunt. Alię ratione vulnerum parantur, aliæ ex tela conficiuntur, quæ ad alium vsum texta in fascias finditur. generaliter quidem fasciæ esse debent leues nè suo onere molestiã afferãt, tenues nè earũ ambitu in tumorem nimium assurgant, molles ne ob duritiem urgeant, puræ ne aliæ colore tinctæ sanierum colorem alterent, mundæ ne præterquam quod sordidæ, inde cores sunt, liquore aliquo respersæ non madescant, ac vulnus deterius reddant, non consutæ, ne sua inæqualitate comprimant, æquales ne ob eminentiarum asperitatem, vel alioquin versæ atque consutæ vicinia offendant, latæ vt æqualiter omnes partes amplectantur, ita firmę ne extentę rumpantur.

FASCIARVM ADVOLVTIO.

FASCIARVM aduolutio recte fiat vt eius exequamur vsum, continendo, expellendo, & incarnando. pulchrè vt nõ tantum oculos delectet, sed iucunda sit, linteo non implicato, fascia nõ duplicata, aduolutio nõ rugosa, & æquè ab omni parte consistat, cito vt opus expediatur, & ne dolor excitetur, ac vires dissoluantur, & nè sanguis copiosè effluat, sine labore vt facile operando prætuitentur symptomata, expedite nè à suis operationibus partes vicinæ impediantur, accommodatę vt quæ abscesserunt propellantur, quæ hiantia sunt coniungantur, & quæ peruersa videntur dirigantur.

FASCIANDI RATIO.

FASCIANDI ratio quędam est simplex, vt Tholus, regium, scapha, & discrimen, & horum modorum alius ab altero fasciarum capite incipit, alius à medijs fascijs inchoat, alius vtroque modo procedit, vel composita est, quę sibi nomen vendicat, aut à sede quę vincitur, vt oculus, nasus, inguen, aut ab euentis vt operculũ, uallũ coniunctum, aut discissum, & habena. aut ab animalis effigie, vt cancer, accipiter, lepus, & Testudo. insuper in omni fasciandi ratione consideratur qua parte fascia initium capiat, qua desinat, & qua sutura fieri debeat. nam fasciarum vsus vel incipit vt continendo curantibus præsidijs subseruiat, vel vt ipse per se agat modis quibus curatio committitur, vel vt expellat quæ aliunde ad locum defluunt, dum vulnus fascia cingitur, obseruatur vt fascia ad vulnus deligandum lintea aptissima sit, eaque lata vt iniecta non vulnus tantum, sed paululum vltra vtrasque eius oras comprehendat, dextra pars deligetur in sinistrã, & sinistra in dexterã excepto capite. Hyeme sæpius fascia circuire debet, æstate quoties necessum fuerit. initia non super vulnus, neque nexum, sed hinc aut illinc appareant. Quod circum injicitur neque molle nimium sit vt tuto contineat, neque ita tensum vt premendo offendat. Nexus aut simplex aut duplicatus, non qua vulnus est injciendus, sed alibi. depressus non eleuatus ne coarctando lędat. nodus & filum non deorsum sed sursum accõmodentur. Deligatio conueniens fit à latitudine & crassitie partium coniectura facta. deligentur membra recta in rectum, obliqua vero in obliquum. dum circa vulnus medicamenta, cataplasmata, ligamenta, & linteamina adhibentur considerare oportet vt conferant & non lædant. quæcunque mundiciem celeritatemque admittunt, celeriter mundeque conficienda sunt, atque vbi euitari dolor possit, quàm maxime iocunde. tum reliqua huius generis alia præclarius

agere debemus. Chirurgus ergo peritus eo magis quã alium artificem fungi decet suo munere quo sibi nobilior est subiecta materia, idcirco siue secet, siue adurat, siue alliget, siue quid aliud manu moliatur non modo vtilitati studere debet, sed munditiei & elegantiæ, nec non optimę curationi. Hic itaque Scopus perpetuo habendus est in his omnibus quæ molitur Chirurgus vt ægro prosit & non noceat, ac summa fide & pietate morborum curationem aggrediatur, fiet porrò id si omnia tuto, citra dolorem, celeriter, prompte, ac sine fraude perfecerit. Hæc in vniuersum à Chirurgo obseruanda sunt, quæ vero singulatim in vnaquaq; operatione ab eo perscrutari debet, suis locis, Deo fauente, explicaturi sumus.

CHIRVR-

CHIRVRGIAE IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI,

SECTIONIS PRIMAE,

LIBER PRIMVS.

De Cranij Anatome. Cap. I.

ARTIFICIS rationalis munus est, ac vniuscuiusque interest, qui de nobili re subiecta sermocinaturus sit, ac de illa præsertim quę non leuis negotij existat, quemadmodum illam esse arbitramur, quæ in nostris Chirurgicis enarrationibus perpendenda venit, antequam sermones particulares aggrediatur, rem prius de qua locuturus, & in qua operaturus est, ponderare, quemadmodum siquis aliquod morbi genus tractare intẽdit, primò affectæ partis naturã & cõpositionẽ explicare tenetur. Quapropter operæpretium nos facturos duximus, si ne in his defecisse videamur, subiectum prius perlibrauerimus, vt faciliori quodam modo curatiuam partem auspicari inde valeamus ea methodo, & praxi à nobis assidua iam lectione, ac diuturno experimento comparata, quam nunc Deo optimo maximo annuente Chirurgiæ studiosis impartiri decreuimus. Siquidem id agendum esse ratio exigit, atque idem in facultatibus vniuersis priscos omnes, qui methodice quidquam tradiderunt, perpetuo egisse constat: Dicamus itaque. Caput quod nunc eam partem tantum, quæ pilis seu capillis aut crinibus tegitur vna cũ fronte intelligimus, Gręce Cephas, Arabicè Ras, & Latinè supremum ventrem vocatum, nostrorum sermonum ac operationum subiectum esse, membrum quippe organicum, ex similaribus partibus constructum, quarum aliquæ exterius, tãtum continentes sunt, aliæ continentes ac simul contentæ, & quamplurimæ contentæ solum. Dimissis igitur capillis, sunt quidem capitis decus, atque ab iniurijs exterioribus tutela quædam, ex fuliginosis excrementis sursum elatis, quod primum obuiam venit cutis est, ob excoriationis aptitudinem Derma græcè appellata, cui capilli radicitus inhærent, duræ, densæ, crassæ, sicciorisq; naturæ, quæ caput totum ambit: huic vndiq; membrana illa quæ panniculus carnosus, musculus membraneus, totius corporis inuolucrum, & membrana carnea nuncupatur, subest, quæ quidem in capite pinguedine destituta haud exiguo labore à cuti euelli potest, nec non & alijs partibus vt temporibus, fronte, occipitio, musculi adsunt substantia & forma differentes, adeo vt quidam eos in fronte panniculi carnosi partem potius existimẽt, quam exquisitos musculos, hoc est nostri corporis partem instrumentalem qua arbitrario motu, & iuxta voluntatem propriã mouemur, propterea quibusdam ipsos substantias musculosas appellare libuit; attamen in fronte duo satis confusi adesse videntur, qui obliquè descendentes à capillorum ortu versus internos oculorum angulos superciliorum locum occupant, & illius sedis eleuationi, oculorumq; adapertioni usui sunt: At temporum musculi, crotaphites Græci vocant, sensibus expositi, magni, notabiles, ac multi sensus existunt, adeo vt, si detecti tangantur, conuulsiones facillime excitent. Partibus his vndiq; panniculus ille subest communiter voce græca periostios, in capite vero Pericranion, Arabice al-

κέφας.

δέρμα.

κροσταφῆτες.

περιοστέος.
περικρανεῖον.

mocatin,& Latine membrana adnata & circuncranealis denominatus, substantię neruea,acutię; sensus à crassa meninge subcingente per Cranij suturas originem trahens,quo fit vt vulneratus medico quandoque negotium: ægroto vero mortis periculum afferat,subsequitur inde capitis os Cranion græcè,Techa arabicè,cerebri Galea latinè,idest munimętum aut custodia,& calua aut Caluaria,hoc est eminens os, communiter græca voce cranion ideſt concauum & cõtinens vocitatum, nam uniuersa Cranij cauitas ad cerebrũ excipiendum destinata est, laminibus duabus firmis,durisq; contextum,& quam plurimis osſibus fabricatum, quæ uarijs suturis in simul committuntur,ut per eas dura meninx ossi capitis alligetur, harum laminum superior inferiore maiorem duritiem consequuta est. interponitur autem sparsim substantia quędam rara,porosa, medullę instar, quę omnia membra dicta his uocibus designantur,nempe parti exteriori,Cranij, nomen inditum est, medię uero ossis spõgiosi,medullaris,& meditullij, minimarum caruncularum ac uenarum exuberantis,partibus alijs nutrimentũ afferentium,inferiori pariter ambienti ac internas tunicas seruanti,diploidis græcè,uitreę latinè,& uulgo secundę tabulę nomen assignatũ est,sub qua crassa tunica græce meninx,latine tunica subcingens,cerebri uelamen,aut inuolucrum,& uulgo dura mater,collocatur, membrum quidem seminale,duabus tunicis constans,exterius aspera,interius uero lenis,substantię neruęq; à cerebro seiuncta,sed eius propugnaculum est.Hęc dum cerebrum attollitur & submittitur,cum perpetuo moueatur continuè pulsat. Subsequitur immediate altera mollis tunica tenuissimaq́ue græce chorois & choriformis ab Auicennę interprete secundina,communiter seruatiua, & uulgo Pia mater dicitur,namque immediata quadam contiguitate cerebrum ab ipsa tangitur, ut non modo amplectatur,uerum etiam in eius profundum sese una cum dura meninge insinuet,natura enim inter cranium & cerebrum, quia substantijs multum discrepant,ut rasque meninges posuisse uidetur,sub hac cerebrum statim exponitur græce ratione situs,quia in capite locatur,Encephalos dictum, uniuersam caluariam replens,mollis substantię,coloris albi,superficiei cuiusdam inequalitatis. iuxta medium rectam diuisionem in longitudine consecutum,posterius ad latitudinem,ubi cerebellum græce parencephalos dictum repositum est,anterius uero ubi tota cerebri moles reperitur frigidior, laxiorq; cęteris partibus, ex se penitus sensus & motus expers,& si per accidens ab arteriarum copia moueatur,& tanquã aggregatum instrumentum,affectiones proprias & alienas sentiat,animę ratiocinatricis domicilium,neruorumq; mollium omnium propago est,ac omnes imaginationes,& intellectus,complectitur:Ossa capitis pro natura se habentis octo numero esse demonstrat an atome,sed quæ noscenda ac perpendenda nunc ueniunt sex tantum fore statuimus,suturę uero ea diuidentes à latinis uerę & legitimę, à græcis Raphes,ab Arabibus adoren,& uulgo commissurę dictæ,tres sunt,duæ obliquæ anterius & posterius caluariam segregantes, tertia rectè ab ambabus prædictis ad longitudinem ipsam separat,omisis tamen duabus petrosis à lateribus sitis,græce quia petræ speciem referunt,lithoides,& lapidoides,& latine rationę situs temporales & à piscium squammarum similitudine squammosæ, & squamæ formes uocantur.uerum quoniam obliquæ interius penetrare uidentur,mendosæ uulgo dicuntur,sunt & adhuc aliæ in superficie sitæ sensum propemodum latẽtes,nulliusq; momenti,quæ Rimæ & harmoniæ rectius quàm suturæ ab anatomicis uocitantur.Hæc omnia capitis ossa differunt inter se nomine, substantia figura,magnitudine,& situ.namque frontis os quod eam inferius partẽ denotat,quæ superiorem oculorum sedium regionem cõstituit,superius uero cui terminus coronalis sutura est,ubi pars anterior cerebri reconditur,græce metopon, arabice hezem hamezec,latine frons,sinciput,os coronale,pars inuerecunda, prora, & os sensus communis appellatur,in pluribus continuum, uniusque substantiæ penes supercilia cauæ duriusculæve,in aliquibus uero in duas partes rectas sectum ob sa

gittæ

gittæ similis suturæ uinculum ad nasi terminum usque,ubi os illud reperitur à græcis isthmoides dictum,& hac parte cognoscentis animæ potentia,phantasia,communisq; sensus reponitur,os istud debile,ac subtile est,magis tenue uertice & occipitio,eiusq; uulnera quandoq; salubria attestatur experimentum,cùm sedis occasione facile per quam plurima uasa ac diuersos meatus expurgari ualeat, formaq; sua orbiculari telorum generibus omnibus obsistat,quamuis secus crediderit Hippocrates;At summa pars uertex,& cacumen,ossa parietalia,& temporum, à latinis, à græcis Bregma, & Corypha,ab Arabibus Alema & Zeudech nuncupatur,suturæ in sagittæ morem rectitudine finditur,sedes discursus, seu componentis ac diuidentis animę facultatis, vt aiunt, integumentum; figura est tetragona duarum laminum,soliditatis non exquisitæ, interdum admodũ debiles,tenues, & cauæ,vt in nuper natis videre expedit,qui in respiratione, ac lactis suctione eã partem potissimum mouent,quæ uulgo molamen vocitatur. ibique cùm nusquã suturę laxius hęreant,& capitis pars tenuissima sit,cauteria vel candescente ferro,vel auro,uel aduręte quopiam medicamine pro alicuius effectus ratione, sed parum tuto interdum,exiguaq; adeo vtilitate nonnulli adhibent.circunscribuntur autem anterius à frontis osse futura coronali media,posterius uero à collotolę osse seu occipitio sutura lambdali mediante,à lateribus quoque squammosis illis futuris qua parte solidiora existunt,vti posterius ob ossium crassiorum, solidorumq; conterminum.Huius sedis vulnera non leuis sunt negotij. Præsertim si inter frontem, & uerticem occurrunt,nam hic paucissima, tenuissimaque carne regitur,atque ibi futuræ laxę sunt,& plurimum cerebro subest: Posterior capitis locus Græce,iniot, & opistrocranion,Arabice hezen hahoreph,Latine os occipitis,occipitij,lambdę,puppis,pixis,& os memorię, appellatur,cui cerebellum supponitur,fons,& origo spinalis medullę,ac neruorum omnium solidorum initiũ, corpori vniuerso sensum,motumq; deferentium.vbi etiam recordandi,ac rerum compositionem,& diuisionem seruãdi facultas viget:vnicum quidem est hoc os, quod signatur sutura lambdoisis,infimum,crassius, cęteris q; maius, solidissimum, & inęquale vt partem valde nobilem tueatur,ac vt posterius, deficiẽte oculorum vsu tutius in noxarum generibus se habeat,quapropter quæ huic eueniunt vulnera,minus lętalia esse creduntur:laterales partes penes oculorum angulos externos,Græce crotaphites,& lapidoides,Latine ossa temporum,& tempora,Arabice hezendachin,squammosę commissurę ambiunt, subtilia, inęqualia, sed solida ossa sunt,cęterum solutiones continui huic parti occurrentes,lethales iudicantur, vbi dolores,& conuulsiones ob musculi illius sedis nimium sensum, ac arteriarũ, venarum,& neruorum copiam,sępe patientem infestant,contigua osibus petrosis existunt:Nec ossa lateralia,eminentia,Græci zygomata,Latine paria, & iugalia ob id appellata,quod boum iugis comparantur,contemni debent, namque eorũ initij fracturę penes angulum externum oculi,temporalis ossis inferiori parti cohærentes,cum insignes fuerint,ob eorum alligationem,& consensum cum inferiore maxilla,& quia temporum musculi idoneum propugnaculum sunt,periculo,ac ambiguitate haud quaquam uacant: Verumtamen vt quę hactenus dicta sunt luciora reddantur,typis exculptas capitis figuras inspiciamus,aptissimas nostra qui dem sententia prędictorum sermonum explanationi. Ossium igitur numero sex quantitatem,formã,& situm,characteribus grandiusculis signatorum,prima ostẽdit figura,quorum omnium nomina in margine impressa leguntur. In secunda,suturas tres ferratas,notabiliores,verasq; descripsimus,quę in cranio naturalem figuram seruãte,coeuntes hanc effigiẽ ☽—☾ propemodum formant,aut fortasse vt aliqui credunt simillimam literę Græcę X, sed potius talem ☽—☽ veriùs tamẽ latinam nostram maiusculam H. pariter etiam duas laterum notas, mendosas, aut squammosas,delineauimus;singulatim verò quę in sede anteriori apparet obliquè procedens versus angulos oculorum externos,vbi coronę locantur, Græce à

rotun-

rotunditate ſtephaniea, Arabicè hachililj, Latine coronalis dicitur, quanquam ab arcu effigie vulgo arcuata, arcualis, & ſutura prorę nuncupatur: At rectè lata, Greçè obeliça, Arabice zeudech, Latine media & recta, ac ob talem formam latiore vocabulo ſagittalis dicta, partem Caluarię dextram à ſiniſtra ſeiungit: Quę poſterius locatur, à litera Greçæ Λ, imagine lambdoidis & hipſyloidis nomine pronuntiatur, Arabice lamdij, & Latinè lambda, lambdalis, & voce corrupta lauda, & puppis: Reliquę vero commiſſurę, quarũ vna ab infima lambdæ ſede ſurſum aſcendens quaſi inſtar ſemicirculi ſupra aures ad coronalis ſuturæ terminum perrepit, à Græcis crotaphiæ, à Latinis lapideæ, & vulgo petroſæ dictæ ſunt, ac ob ſoliditatem forſan ſquammarum ſubintrantium quibus inuicem compinguntur. Hippocrates ſuturarum nomen ab eis auferre videtur, & à ſquammarum ſimilitudine ſquammoſas conglutinationes appellat: Tertia ſagittalem ſuturam per frontis medium, ad ſupercilia, & naſi ſummum vſque, deſcendere in quibuſdam caluarijs tùm uirorum tùm mulierum commonſtrat, quæ pariter in pueris ad ſeptimum uſque annum manifeſte dignoſcitur. Huiuſmodi enim ſuturæ in naturali capite annotantur, uerum in aliquibus grandiores, ac laxiores, in alijs exiliores, & magis compactæ uidentur. Capita autem naturalia uocamus, ſphærica cum ad iniurias repellendas figura talis idonea ſit, paulo utrinque depreſſa, poſterius aliquantulum prominentia, in uertice plana, ut in prima figura patet, quemadmodum in ſecunda, ſuturæ ipſę delineatę inſpici poſſunt: Hęc euariant in capitibus per accidens alteratis ut Genuenſium, Greçorum, & Turcarum, modo à naturalibus plurimum non deflectent: In capitibus uero ab hac forma euariantibus, quę non naturalia cenſentur, quatuor uarias formas ſiue ſuturarum imagines, & ſi raro eas ſpectare contingit, annotauimus, quas Hippocrates tantum meminiſſe uidetur, dum inquit hominum capita nihil inter ſe ſimiliter habent, neque ſuturę capitis in omnibus eodem modo conſiſtunt, uerum quiſquis ex priore capitis parte prominentiam habet, vt in quarta figura, ex ſagittali & coronali formatur obiectiue intuenti litera talis I deficiente tuberoſitate poſteriori, deducta nimirum à coronali ſagittalis ipſa uſq; ad ceruices, contra uero cum anterior prominentia perit, poſteriori eleuata ut in quinta figura, eędem ſuturæ in formam literę T ſe habent, adeo vt iam coronali deleta ſagittalis à lambdoide orta recta fertur vſque ad naſi ſummum: quod ſi prominentia utraque iam deperdita ſit, uertex eleuatur, his coronali & lambdoide obliterata, iuſta medium efformatur † ex ſagittali cranium ſecundum longitudinem ſignante, & ex altera tranſuerſa interſecante ut ſexta figura notatur, & Therſitis caput oſtendebat: Quartam non naturalis capitis figurã addit Hippocrates, in qua anterior, & poſterior ſedes extuberat media abolita, hæc oblongiora exiſtunt ut ſeptima figura obſeruatur, in quibus cum cerebri operationes quædam deprauentur, uita haudquaquã ſeruari poteſt: Sunt qui capita in latera ad utranque aurem inſigniora, quàm in anteriori poſteriorique ſede prominere autument, ut Indorum ex Peru, & octaua figura percipitur, quorũ ſuturæ, ualde differentes inordinatas effigies ſeruant, quæ quoniam animo concipi poſſunt, & re uera non inueniuntur, fuerunt, ab Hippocrate ſilentio prætermiſſæ: Capita etiam ualde magna reſpectu uniuerſi corporis uiſa ſunt, ut Nicomachi caput fuiſſe fertur, innumeraque formarum genera à naturalibus ſub diuerſo cœlo ſunt perſpecta, quę tanquam moſtroſa omittenda uidentur. Nos vero nuſquàm huiuſmodi ſuturarum uarias ſpecies, quanquam capita monſtroſa diuerſa & cimiterijs & anatomicis adminiſtrationibus pernotauerimus, inuenire potuimus, ſed fere ſemper naturales, aut naturalibus non admodum abſimiles perſpeximus: Nonaquidem figura membranæ craſſæ ſubcingentis, uulgo dura mater dictæ, à qua neruea tunica exterius caluariam cingens, emanat, formam & ſitum inſpicere poterimus. Decima uero eſt, in qua ſuperficici forma ac cerebri magnitudo, & ſitus appareat, animæ ratiocinatricis domicilium, neruorum & ſenſus omnis motuſq; uoluntarij

tarij principium, ſed quia tunica ſeruans. Siphac, ſecundina, & pia mater uulgo dicta, adeo tenuis, ut ſit uel araneorum tunicis debilior, adamuſim delineari non poteſt, propterea eius effigiem prætermiſimus. nitantur igitur anatomes ſtudioſi ipſam, re ipſa cognoſcere. Nec ab re factum hoc putamus, dum capitum formarum, ſuturarumq; in his noſtris enarrationibus de vulneribus capitis, & caluariæ curatione differentias ſcrutari uolumus, nam eo tendimus ut Chirurgi caluariam ferreis inſtrumentis tractantes, tuto, ac quam minimo cum ſtrepitu, & dolore, operentur, has uarias figuras diligenter animaduertentes, & capitum conditiones diuerſas conſiderantes, quarum meminit Hippocrates, libro de caluariæ curatione, & libro quinto, & ſeptimo de Morbis popularibus, Ariſtoteles libro primo de hiſtoria animalium capite decimoſexto, Celſus libro octauo cap. primo, Galenus libro de oſſibus capite primo, libro 9. de uſu partium capite decimoſeptimo, & commentario primo libri ſexti epidemiarum commento trigeſimoſeptimo, & Auicenna prima primi Doctrina quinta capite ſecundo, & prima tertij tractatu tertio capite vndecimo, & hæc à nobis diuturno uſu, & longa experientia ſunt obſeruata.

CRA-

CRANIORVM IMAGINES, QVORVM HISTORIA SVPERIVS ENARRATVR.

PRIMA

A. Os frontis unicũ, metropon Græcè, Latinè coronale, & uulgò prora uocatur.
B. Ossa duo Bregmatis græcè, finicipitis latine, & uulgo parietalia.
C. Ossa duo ab insigni duritie græcè lithoidea, latinè lapidosa, & uulgò petrosa.
D. Ossa duo ibecillia & tenuia græce crotaphites, latinè têporum & uulgò le Temple.
E. Os occipitis unicũ desitũmũ & firmissimũ, uulgo la coppa
F. Ossa duo zigoides græcè, & latinè iugalia, siue paria.

SECVNDA

A. Sutura sagittalis græcè, coronalis latine, & uulgo arcuata.
B. Sutura obelica græcè, recta latine, & uulgo sagittalis.
C. Sutura lambdoidis græce, latine lambdæ, & uulgo lauduæ.
D. Sutura crotaphiæ græce, mendosa latine, & uulgo lapidosa dicta, rectius tamen squammosa conglutinatio esset appellanda.

TERTIA

Caluaria, in qua sagittalis sutura in aliquibus per mediam frontem usque ad nasi summum descendere uidetur, & frontem ipsam secare inter supercilia finitur.

QVARTA

Caluaria anterius eminés, posterius depressa, in qua ex coronali, & sagittali sutura efformatur T literæ ádue fa similis, lambdoide abolita.

QVINTA

Caluaria, in qua anterior eminentia periit seruata posteriori, & coronalis sutura aboletur, seruata lambda, quæ cum sagittali T literæ imaginem refert.

SEXTA

Caluaria anteriori, posterioríque eminentiæ concisa, uertice paulò subleuata, in qua binæ, quæ uidentur futuræ, ad rectos angulos se inuicem intersecãt literam X repræsentant.

SEPTIMA

Caluaria anterius, ac posterius exuberans, uertice desidente, fictáque credita, cum uiuere deficientibus multis cerebri operationibus nequeat.

OCTAVA

Caluaria iuxta tempora eminentias gerens monstrosa & exili uita, quæ animo cõcipi potest, sed re uera non inueniri.

NONA

Delineauimus etiam situm, & formam crassæ meningis uulgo dura mater dictæ duplici tunica contextæ, cui arteriæ ac uenæ quam plurimæ interponuntur, motum ipsi perpetuo præstantes; ab ea etiã pericranion ortum ducit.

DECIMA

Postremo quãta sit cerebri moles alba, tenuis, & inæqualis, undique caluariam replens, hac figura signatur; de facie autem ob sui tenuitatẽ mollis tunica, pia mater uulgo dicta, quæ ob tenuissimã eius substantiam delineari non potest, ideo realiter inspicienda uenit.

DVODECIMA

Ossa caluariæ propriis suturis disiunctæ.

VNDECIMA

Clypeus siue Galea aut pars Cranii superior ex anatome orbiculatim serra dissecta atq; diuulsa.

TERTIADECIMA

Ossa caluariæ a modiolo subLata, in quibus & laminarum, & mediullii substantia inspici potest.

DE ESSENTIA VVLNERVM CAPITIS, ac fracturarum caluariæ, earumq; differentijs. Cap. II.

APVT nobilissimum quidem ac supremum humani corporis mẽbrum, cùm se nullo propugnaculi genere tueatur, ab una quauis euidenti causa, & quæ extrinsecus uenit, Græcè procatarctica dicta, facillime affligi potest, nempe vulneribus, cõtusionibus, & fracturis, quemadmodum [a] etiam ab internis, ortis nimirum in eo inflammationibus, aut cùm ab humorum acuitate, eius ossa tumore, aut teredine molestantur, vel dum [b] ex magna vaporosę humiditatis copia, uel crassi flatus abundantia sub caluaria, aut in eius cauitatibus contenta, ex uehementi motu uirtutis expultricis, ossa ipsa scissa, aut futuræ disiunctæ, appareant, ægritudo sane pernitiosa, quam subsequuntur postea affectus, aut nunquam, aut difficillimè sanabiles, de quibus instituti nostri non est in præsentia sermonem habere: uerum ut amicis nostris gratificemur, ac multorum saluti omnibus profecto caducis rebus præponendæ consulamus, nec non etiam utilitatem quandam commodumq; ex his institutionibus qualescunque sint, Chirurgiæ incumbentes, consequãtur, has lucubrationes nostras in lucem edimus. Cùm itaque de humani capitis uulneribus, ac caluariæ fracturis, sermocinaturi sumus, cumq; etiam præcipuorum affectuum naturam, quam isti essentiam uocant, curationesve describere intendimus, prius quidem quot uulnerum, & fracturarum genera multifariam uariisque causis caput ipsum inuadant, haud ignorare necesse est. Postmodum quonam pacto inuicem differant, ac quibus uocibus ab antiquis designata sint, deinde quibus indicijs, rationibusque mortem aut uitam præsagire conueniat. Postremo horum affectuum curationem tum uniuersalem, tum etiam particularem ostendemus; atque terminis notis antiquorum operationes, medicamenta, & instrumenta, necnon à recentioribus sedulo, ac studiosè inuenta ordine redigemus; Auicennæ [c] principis curatiuas indicationes, Hippocratis [d], Celsi [e] ac Galeni [f] testimonijs, comprobantes: Quod autem ad uulnerum, ac fracturarum capitis diuersitatem attinet, dicimus [g] omne uulnus aut exteriorem duntaxat partem extra caluariam cutim scilicet offendere, quo simplex incisio, aut sola contusio, aut punctura, uel abrasio, aut substantiæ diminutio quædam efficitur, aut panniculum carnosum, uel musculorum substantiam, & si nullibi præterquam in temporibus sui esset tia latè pateat, adeo ut ægre percipiatur, afficere: uel etiam penitius delatum Caluariæ inuolucrum pericranion dictum opprimere, uel adhuc caluariam leuiter corripere, interdum etiam ad medullaris substantiæ sedem usque figi, uel inferiorem caluariæ partem diploidem scilicet lædere, sæpe etiam caluariam subingrediens, tunicam crassam unà cum membrana tenuissima, cerebrumq; excruciare. Ex quo mortem languentes oppetere necessarium est. At si corpus aliquod solidum, graue, & obtusum capiti obesse contingat, frangitur interdum os, & passio talis Græce catagma & spasma, Latinè contusio dicitur, sed potius, quia affectus ossis est, [h] fractura uocari debet: Porrò fracturarum uariæ formæ ac differentiæ occurrere solent, nam flectuntur sæpe ac comprimuntur ossa caluariæ absque ulla apparente fractura, aut rima ut in pueris contingere solet, quando que, & si rarò, secundum partem flectuntur, & altera parte frangũtur, interdum etiam frustatim atteruntur, uti quotidiè explorat chirurga manus. Cæterum [i] cum ea uulnera quæ cutem tãtum offendunt, simplicissima sint, nec medico, nec medicamentorum ope egeant, silẽtio, hic prætereunda uidentur, & ea pariter, quæ ad pericranium usque consecundunt. quia ob eorum facilem curationem simplicia identidem creduntur, breui oratione transigenda sunt, siquidem [k] Scopus noster, & finis est de capitis uulneribus com-

a ¶ Gale. de morb. causis. in fine. & 4. meth. cap. 1. Auic. 2. 1. fum. 2. cap. 1 &
b ¶ Hipp. lib. de offi. m. in fine. & primo epidem. in fino plateæ. Aet. lib. 6. c. 25. Paul. lib. 3. ca. 7. Auic. 1. 3. tra. 2. cap. 3. & tra. 3. ca. 1. & 4. & 3. 4. tra. 2. c. 20. Albu. lib. 2. cap. 1.

c ¶ 5. 4. tra. 3. c. 1
d ¶ Lib. de caluã. curat.
e ¶ Lib. 8. cap. 4.
f ¶ 6. me. h. cap. ulc.
g ¶ Hipp. lib. de caluæ. cura. Gal. & meth. cap. 6. Auic. 1. 3. tra. 2. ca. 3. & tra. 3. ca 14.

h ¶ Gale. in lib. Hippo. de fract. com. 1. li. de cõstit. ar. m. cap. 6. lib. artis par. m. cap. 91. lib. 2. de mor. cau. ca. ulc. & 4. meth. c. 1. Paul. li. 6. ca. 89. Aui. 2. 1. ca. 4. & 5. 4. tra. 1. c. 1.
i ¶ Gal. 3. meth. cap. 2.
k ¶ Gal. 2. meth. cap. 6. & lib. de sectis. cap. 1.

compositis,ac caluariæ fracturis sermonem habere; Et cùm ex medicorum [a] omnium sententia morbi uniuscuiusque curationis initium ab eius morbi essentia sumendum sit,neminem latere debet bifariam uulnerum, ac fracturarum essentiam Chirurgum speculari,uel quoad eorum simplicitatem & compositionem, & hę pe nes uulneris dispositiones attenduntur: uel quo ad partem ipsum uulnus suscipien tem: Porrò [b] simplex uulnus illud est,quod nec morbus alter ut inflammatio,aut fractura,nec symptoma diuersum ut intemperies,aut dolor, nec propria causa, ut telorum genus aliquod,nempe lapis,sagitta,aut quid simile comitatur,contra uero illud compositum est,quod horum aliquid associatur. Denuo [c] uulnus illud simplex est,quod simplicem seu similarem particulam solùm afficit, ac dum curatur uno simplici tantum medio,cura absoluitur; Compositum uero, quod organicum membrum ex simplicioribus concretum occupat,adeo ut simul uarię corporis partes actionibus diuersis inseruientes lædantur,intentiones multiplices in eorum curatione requirentes. Etenim [d] uulnus sic definitũ est,ut sit morbus in unitate,simplicium,& compositorum membrorum communis, ab extrinseca causa cõtinuum soluente productus,quanquam elegantius fortassis peritus Chirurgus uulnerum essentiã iuxta eius simplicitatem & compositionem perpẽdat, methodum, seu curandi rationem ab huiuscemodi consideratione assumens, quemadmodum in sequentibus,dum circa fractam caluariam uersabimur, cognoscere poterimus. Caluariæ itaque fracturę à formarum differentia nomina sibi diuersa sortiuntur, uti ordine quodam formarum copiam,& uarias fracturarum species seniores medici descripsere. Nos uero multas tanquam superuacaneas dimittemus, illas duntaxat enumerantes quę frequentius occurrunt,ac Chirurgo maius negotium facessunt. in hoc Hippocratem imitati,qui à nominum caterua in fracta caluaria abstinuit,quem secutus est pariter Gal.& ad ternarium numerum nempe ad scissuram, contusionem,& fracturam ea omnia redegit,quasi partes ad genera, aut quasi cõposita ad simplicia,attamen quinque tanquam magis acceptas, & notabiliores his uocibus appellatas assumemus: Fissvram, siue Sedem, rimam, elevationem, collisionem, et oppositionem, siquidem caluarię os pro teli ictus atq; ossis uarietate uariè frangi solet,suntq; uniuscuiusque modi species plures, & ut à prima, utpote simpliciori, angustiori, leuioriq; exordiamur, cum ab acuta exacte teli aciè fractura in osse imprimatur,ac sensus uisus fere effugiat,& tantum uestigium eorũ quibus inflicta plaga est,apparet,à Græcis Rhogme,ab Arabibus Ragamia,& à Latinis fissura, incisio,& sedes dicitur. potissimum uero sedes uocatur ubi osse in suo statu manente, qua parte telum insederit uidere licet, quamuis semper sensui angusta appareat, nãque sedes ex Galeni [e] sententia recta,& angusta, superficiei ossis intercisio est,& Paulo [f] Aegineta author,Rhogme leuis caluarię incisio est, in qua nequaquam os uitiatum foras emouetur,sed remanet in sua natura: Huic à capillorum imagine capillationem,seu capillarem fracturam Albucasis interpres & ipsum sequuta Chirurgorum recentium turba nomen imposuit. Hęc dum intima petit,aut diploidem lędit Trichismos græce uocatur,quã Paulus arctissimã Rhogmẽ esse affirmat,qua ob sui angustiam & altitudinem sępe sensus decipitur, quo fit ut obstrusa grauissimorum symptomatum,mortisq; causa existat. Hęc, fracturarũ caluariæ una species est,secundum magis & minus uarietatem suscipiens,nam & tenuiores & tenuissimæ,& longiores,& breuiores,& rectiores,& curuiores, & manus profundæ ossis fiunt ruptiones & fissuræ,quæ nec statim post percussionem,neque in his diebus quibus laborum auxilium adesse potest,apparent: Secundam fracturæ speciem,Rimam dictam,quæ ferme semper contusioni adiuncta est,quadrifariam rimari possumus,uel enim à corpore graui, obtuso, non incidente,os frangitur quo fit ut Rima tantum appareat, aut in plures partes os atteratur & suam non seruat naturam, cum detruditur intro,uel extruditur extra, & ob id sæpe meninges interne afficiantur Græce, Ecpiesina, quasi compressio seu effractio.

[a] ¶Hipp. lib.1. de morbis,Celsus, in suo prohemio. Gale.4. meth.c. 1. Aui. 4.1.cap.1.

[b] ¶Gale.lib.ar. par.m.ca.90.3. meth. c.4.Aui. 2.1.cap.2.

[c] ¶Gale.lib.ar. par.m. ca. 92.4. meth.cap.1.

[d] ¶Gale. lib.ar. par.m.ca. 88.1. de mor.diff. ca. 3. 1. de mor. & sympt.cap. 2.3. meth.ca.4.Aui. 2.1.cap.2.

ἰσχιον.

[e] ¶6.meth.c.6. & lib. de medicis diffinit.

[f] Lib. 6.ca.90.

τριχισμός.

ἐκτίσμα.

[g] ¶Gale.lib. de diff. medi. Paul. lib.6.cap.90.

ctio,Arabice Antica,Latine Rima,fissio,& fractio uocitatur, hoc in adultis euenire solet,& ubi caluaria induruerit. At si Rima in osse duro,diuisio seu fractio quædam tenuis sit,circunquaque contusione aliqua circundata, sic ut interdum exterior lamina tantum,quandoque interior,sæpe utraque Rimam præsertim in sinciput contrahat,& in hoc affectu secunda lamina à prima hiat,& iuxta medium meningas comprimens nocumenta grauia inferat,potissimum dum exteriorem laminam incolumem arbitrati,internam perennem magis credimus,& paulo post languentes dies suos claudunt,græci [a] hãc fracturã Engisoma,& Engisomata,quasi inhærentia seu corporum appropinquatio,Arabes Manusis & Monesis,& latini distractionem,& separationem nominant,potissimũ ubi os perpessum ita infra sanũ subsidet,ut mẽbrana cerebri. cõtingat ob id Paulus dicebat engisoma caluæ, ictus est.in quo os uitiatum ad interiorem cerebri membranam descenderit, negãtibus autem hanc fracturæ speciem,respondemus [b] capitis ossa interne molliora esse, externe uerò in utraque superficie duriora,& hinc efficitur [c] ut quandoque findantur,interdum ut desidant, siquidem externa superficies in eodem ictu in se ipsam cedere potest,interna uerò non,sed Rimam contrahit: Alia lætalis fracturã illa est,cùm ex ictu uehementi à telo graui & obtuso ossa caluariæ proprijs futuris disiunguntur,aut frustatim diuisa,inuicem compunguntur,ut insigniori fractura diplois ipsa à prima lamina afficitur, unde postea & cauitates & sinus inæquales in ea apparent,& membranæ internæ raro noxam euadere possunt. nam teste Hippocrate futura quæ nudato osse in plaga conspicitur,quacunque parte capitis uulnerata,telum futuræ insederit,ad resistendum & ictui,& telo infirmissima est, præcipue coronalis quæ inter frontem & uerticem situatur,ubi caput infirmissimum esse demõstrat anatome: [d] Græce talis fractura Camarosis,& Camaromata,ubi ossa in testudinis formam & quasi camerata uidentur,Arabice cutamotos,Latine camerario,& absconsio dicitur. de hac quia raro occurrit,nullum uerbum protulit Hippocrates,quæ tamen interdum sensibus dignoscitur, interdum etiam omnino latitat: Tertia fracturæ species nimirum ad eundem modum in triplici differentia se habet,nam telum secans, uel cranij superficiem signat, frustulum ossis diuidens, quod undiq; eleuatur,& recedit à proprio loco,Græce Aposceparnismos,Arabice Alberia,Latine rimularis fractura nuncupatur,quæ angustissima Rima est totum os secans,uel à telo ossis superficies exciditur,sed non undique separatur, & alicui parti adhæret,Græce [e] Encope,& Diacope,Arabice Angin, Albucasi exceptio,cui libuit Klaham ipsam nominare,Latine excisio,& eleuatio,uocatur: uel ẽt profundius telum imprimitur,& os sic eleuatur,ut membrana cerebri inuolucrũ pateat,Græce eadem uoce Aposceparnismos,Arabice apostatismos,Latine comminutio,& more Albucasis Ascialis fractura nuncupatur,ab effectus fortassẽ simili tudine instrumenti securis Asciæ,uocitati in lignorum superficie: Quarta fracturæ species,quę ferè semper sensibus occultatur,pariter sub tribus modis uideri solet, & si in eadem causa contundente conueniant,quorum primus immerito fracturæ nomen adeptus est,cum in eo nullam continui solutionem dignosci fas sit, sed os duntaxat inflexum,sed non ruptum, in sua substantia molli contracta appareat. quippe necessarium est quod id quod cõtunditur si molle fuerit ut loco cedat corpori contundenti,& comprimatur in sua substantia absque fractura. si uero durũ ut recedat à proprio loco,& ibi Rima adsit aut manifesta,aut occulta. Hoc, teste Hippocrate,puerorum capita,ossáq; mollia,ac natura humida ostendunt. quod à Galeno [f] sub his uerbis declaratur,Collisio magna ex parte accidit in carne,quã quam nonnunquam & in osse euenire uidetur,idq; maxime in pueris,siquidem oportet ut in se se cogatur omnino id quod colliditur,atque ita fit molle ut absolutam duritiem non assequatur,similem quandam imaginem huiuscemodi collisionis, uasa ænea,aut plumbea referunt,dum à solidiori corpore uiolentia quadã im pinguntur. nam absque fractura,contusa pars decidit,ibiq; cauitas quædam perci-

[a] ¶ Gal.lib.de diff.m.& li.2.de mor.cau.infine. Pau. lib.6.c.90.

[b] ¶Hipp.lib.de caua. curat. Cel.lib.8. ca.4.

[c] ¶Cel.li.8. c.4

[d] Gal.6. meth. cap.ult. & 8. de usu part.

[e] ¶ 2. de caumorborum. capult.

[f] 2. de cau.mor borum cap. ult.

C pitur,

pitur, quia os in interiora deflectitur. cum hæc igitur humanæ caluariæ accidit gre-
a ¶Gal. 2. de cau. sis morb. ca. 11. & lib. de diffi. medi.
ce [a] Tlasma, & Tlasis, Arabice Alchafad, Latine collisio, impulsio, & inflexio uocari solet. Itaque hanc intelligens Hippocrates ait, ossa contusa sæpe in sui ipsius natura remanêt, uerum fracturæ speciem nullam oculis intuenti agnoscere datur quali nam specie, & quanta magnitudine existat: Secunda differentia est, dum una cum collisione fissuræ, aut Rimæ, conspicue dignoscantur, uel latentes in ipsa sola diploide introcedunt, Græce Entlasis, Arabice Hessema, Latine infractio dicta est, quæ ad mentem Hippocratis cum maiori, & minori ossis parte introcedere potest, & magis ac deorsum profundius, & minus ac magis in superficie: uerum in singulis modis plures species fiunt, nam squammæ iuxta longitudinem, breuitatem, crassitiem, & tenuitatem, uarietatê suscipiunt, prout etiam teli figura, ac magnitudo, fuerit, porrò telum nõ modo id quod alterum percutit, aut vulnerat, sed quod super hominem cadit, uel super quod ipse incidit intelligi debet. ideo si grauerit, caluariam deprimit orbiculari compressione, adeo ut undique à parte sana compressa segregatur, quandoque uerò secundum partem sano adhæret, quippe etiam comprimi contingit, & à sano parum in parte disiungitur, quæ omnes fracturæ perpetuo cum contusione à ualidis causis imprimuntur: Tertia istarũ collisionum differentia fit dum superior lamina sine oculata fractura comprimitur, inferiore fracturam manifestam patiente, in qua ossa à sui ipsius natura recedere dixit Hippocrates, & ipsum nondum nomen proprium huic indicasse asserit Galenus, sed tantum compositam fracturam esse, fuisse attestatum. nam ex Hippocrate ipso caluariæ fracturæ quæ sex sunt, sub duplici modo formantur, quarum tres simplices sunt, ueluti sectio, dum os a telo leui non acuminato secatur, & ibi sedes remanet: aut tantum colliditur absq; Rima. Tertia est simplex Rima, quæ interdum latitat, interdum aperte dignoscitur: Compositæ uerò illę sunt, quę præter ossis fracturam aliud morbi genus continere uidentur, nempe in sit udum os in parte a propria sede, aut eleuatur, aut deprimitur, aut ex toto dimouetur, aut dũ in plures partes atteritur: calamitosa uerò ac letalis fractura illa est, quam Græci Apochema, & Latini oppositionem, hoc est oppositæ partis læsionem appellant, cum caluaria uiolenter percutitur, & alia parte, quod interdum non nimis distante a percussione, aut opposita quod raro contingit, rumpitur, & ibi rima tantum
b ¶Lib. 6. c. 90.
adest, & non sedes, aut contusio, quamquam secus crediderit Paulus [b] qui Serano alludens, cuius de fracta caluaria commentarij extant, inquit, Sunt qui his differentijs Apochema, quasi dicas ab echo responsionem addiderunt: ea est a contraria ictus parte facta caluariæ fractura: at falluntur hi, inquit Paulus, quoniam nõ sic in hominis calua quemadmodum in uitreis uasculis, ut illi credunt, & addit, illa siquidem uacua sunt, ideo id patiuntur, calua autem hominis undiq; plena & alio quin solida est. hæc est Pauli ratio aduersus Soranum, cui nonnulli recentiorum
c ¶Magn' Guido de Cauliago. Celebris Vidus Vidius Florentinus. Excellens Gabriel Falopius, Mutinensis.
c [c] suffragantur addentes, futurarum utilitatem frustrari si a contraria ictus parte fractura concedatur. namque [d] capitis ossa in futuris contigua, non autem continua sunt, ut uasa uitrea substantia fragili, eo enim in futuris construendis natura tetendit, ut si parte aliqua ossis noxa occurrerit, reliqua indemnis seruaretur, ossq; læsionis terminus futura ipsa; quocirca non dari transitum, nec alibi os frangi posse, minusque parte opposita, autumant: negant adhuc cucurbitæ exiccatæ exemplum, quæ leuiter quadam parte icta opposita frangitur sensibilis effectus collatione: cum sint cucurbitæ corpora continua, & non plena sicut calua, atq; ex forti percussione extrinseca percipitur impetus & agitatio in aere, & substantia spiritu abundante in eius cauitate contenta, quæ exhalare nequit, & ex tali motu se reflectente ipsius aeris in cucurbita, contingit fractura alibi, quàm ubi icta est,
d ¶Gal. 9. de usu part. cap. 17.
aut in parte opposita: Nos autem ueritati incumbentes, testimonijs scriptorum fre
e ¶Lib. de caluæ curat.
ti, experimento q; sensibili confirmati, Pauli ac eum sequentium pace, contrarium [e] ostendere nitemur: atque primo Hippocratis autoritas nos in hac sentẽtia cõ firmat,

firmat, dum inquit, Frangitur caluaria sub vulnere alia parte, quam vbi plaga est, & hic quintus fracturæ modus est, quod infortunium vbi accidit nihil est quod iuuare possit, quoniam ubi hoc malum sit nulla uia deprehendere licet, homo ne id patiatur, & qua parte caluariæ: Idem Soranus [a] post Hippocratem sentire apertissimè uidetur, dum cucurbitam siccam, batecam, uasa uitrea, & tabulam aridam in exemplum adduxit, quæ omnia dum strenuè aliqua parte percutiũtur, alibi uel in opposita franguntur. Huic inhæret sententiæ Latinus Hippocrates Cornelius Celsus [b] cum dicit, Solet etiam euenire ut altera parte fuerit ictus, & os altera fissum sit; itaque si grauiter aliquis percussus est, si mala indicia subsecuta sunt, neq; ea parte, qua cutis secta est, rima reperitur, nõ incommodum est partem alteram considerare, nunquis locus mollior sit, & tumeat, eumq; aperire, siquidem ibi os fissum reperietur, nec tamen magno negotio cutis sanatur, etiam si frustra dissecta est: equidem hæc testimonia grauissima sunt, & luce ipsa clariora, quibus ad fatendum oppositionis fracturam, aut saltem alia parte quam ubi ictus accidit, præsertim si uehemens fuerit, inducimur: Hoc Galenus sibi euenisse [c] bis, uerbis similibus attestatur, Nouimus aliquando sincipitis os fractum, quod autẽ huic ossi protinus succedit temporis os uocatur, in quo ipsas squammatim compactas commissuras esse accidit, in eo luculenta fractura longissimè pertinebat, quam ipse equidem minime contingens, sed tantum sincipitis os excidẽs hominem sanaui; quod si sincipitis os quoque dimisissem putruisset potius quæ illi suberat cerebri membrana, quam callum fractura duxisset. præterea nec Auicenna [d] ab hoc dissentit, asserens sepè euenire ut caluaria findatur cute ipsa illæsa, ibiq; inflammatio oriatur, quam secare necessarium sit, ut ossis fractura curari possit, & ne humores intercipiantur quo ad tut us fueris de additione apostematis, aut illud ruptum inueneris, & appareat fractura una. quandoque enim inde accidit error magnus, dum putatur quod non sit fractura nisi illa. ex quibus uerbis patet Auicennę intentionem fuisse ossa etiam alibi, quam ubi icta sunt, frangi posse, cum ex singulis ictibus plures fracturas dari contingat, non longe autem a plaga modo in hanc, modo in illam partem os frangitur: Recentiorum [e] uero plurimi, qui sedulo Chirurgiæ incubuerunt, hoc pluries se uidisse testantur, præsertim de Rima, nõ autem de scde, aut contusione uerba habentes, quod & si raro contingit, tamẽ impossibile saltem non est. At rationibus Pauli, & eorum qui eum sequuntur, sic respondemus, stantes quidem caluariam continuã non esse, hoc est unus integræ substantiæ, quãquam Herodotus, Aristoteles [f] & Celsus [g] sine futuris capita uisa fuisse affirment, præsertim in regionibus æstuosis: Nos uero Galenum [h] sectantes, eiusque rationibus moti, diu secus arbitrati sumus, attamen caluariam sine futuris apud Franciscum Stabilem Neapolitanum Philosophum & medicum excellẽtissimum perspeximus, in simili enim hoc euenire facillimum est: in quibusdam uero cranijs futuræ substantia contigua est, contiguitate adeo compacta, ut omnino continua appareat, ac difficillimè separabilis, ut in quorundam senum capitibus uidere est, in quibus ossa caluariæ præterquam in temporibus ita in superficie inseruntur, & propemodum uniuntur, ut unum tantum esse credantur, quemadmodum in cimi terijs, rectiusque in anatomicis adminis trationibus, cum ossa admodum exiccata non sint inspici potest. nostrates etiam attestantur anatomici [i] multoties caluarias futuris sensum effugiẽtibus arctissimisque ut uix agnosci ac diuelli possint munitas, se inspexisse. Non ne & Hippocrates [k] dum caluariam terebrare uellet, ob futurarum angustiam se fuisse deceptum fateturꝰ Præterea haud ab re est, ut caluariæ membro quidem sicco, ex uehementi motu reflexiuo, illud euenire contingat quod uitreis uasculis, arido ligno, cucurbitæ siccæ, & campanæ, quę alibi quã ubi icta sunt franguntur. nec mirum si ex ingenti ictu ossa internè dehiscant. uidemus enim uetusta mœnia bellicis tormentis concussa quandoque interius, aut propinquius findi, præterquam quod aer inclusus reseretur, aut halitus spiritu plenus la-

a ¶Lib. 8. de affect. capitis c. 4.
b ¶Lib. 8. ca 4.
c ¶6. meth. ca. ult.
d ¶5. 4. tract. 3. cap. 1.
e ¶Nicolaus florentinus. Gentilis de Fulgineo. Iacobus carpẽsis. Ioãnes de Vico.
f ¶Lib. de natura ani. cap. 7. & lib. 3. cap. 7.
g ¶Lib. 8. ca. 1.
h ¶9. de usu part. cap. 17.
i ¶Mirabilis Andreas Vesalius. Diligens Realdus Columbus. Studiosus Gabriel Falopius.
K ¶Lib. 5. & 7. epidemiarum.

titet: Quod uero ad futurarum usus pertinet, non ob id sic eas formatas à natura credimus, ut facilius caluaria, & ictus, & noxas euaderet. nanque si unico osse constaret, tutius se haberet, quàm si ex pluribus, inter quæ meninga ipsa dura suspendi tur, discrimenque futurarum uulnerum haud quisquam subiret. quæ uulnera profecto, ut experientia docet ualde lætalia sunt, rationabiliusque credimus futuras duræ membranæ eleuationi inseruire, ne cerebrum illius crasitie comprimatur, ac ut pericranion ab ipsa ortum, & per ipsam transiens caluariam undique ambire posit, magisve ut uapores in corpore adaucti cum natura sublimia petant inde exhalare ac diffiari ualeat: negamus demum caluariam undique plenam perpetuo esse, quod uere in pluribus sauciatis sæpe perspeximus, idque fieri posse attestatur Auicenna [a] & magis tempore nouilunii: Porro fieri potest ut Paulum & eum secutos similes fracturę latuerint, nec uti Soranus, Antillus, ac Mæges, Chirurgi proceres, quibus & nostri temporis, qui peritiores habentur subscribi fas est, & qui quotidiè caluarias fractas pertractant, casusque nouos ac inopinatos agnoscunt, eas cognouerint, nec [b] pro rationibus sensum dimittere licet, qui in proprio obiecto decipi non solet, & in morbis externis rationes omnes antecellit: Sed, ut undè aberrauit oratio nostra reuertamur; Dicimus præter hæc quinque fracturarum genera, eam reperiri, quæ eo quia a telo acuto causatur, perforatio dicitur. Ex qua caluaria affecta, Me dico negotium, languenti uero mors ipsa paratur. Quandoque etiam caluariam findi contingit cute contusa tantum, quę postmodum inflammata, dum sibi curatio adhibetur, dimissa cranij fractura latente, nimirum os ipsum corrumpitur, ac dum pus conficitur, aut eum iam factum est grauissima symptomata, utpote rigores, febres, conuulsiones, & desipere subsequuntur; nec plurimi refert, si alicui huiusmodi fractura impossibilis videatur ob insitam ossis duritiem magis fracturæ cute ipsa resistentem, ut pote molli tenuique. nam absurdū quidem esset arbitrari cutem, & si sensum lateat non frangi, disrumpique cum fieri non possit inflammatio medicorum [c] sententia sine continui solutione. immo & intemperiem, & prauam compositionem adesse necesse est. dicimus itaque affectum in cute reperiri, eumque occultum: Interdum quoque occurrit ut caluaria ingenti fractura laboret, hoxa exili in cute existente: Demùm [d] ex forti ictu euenit ut cum quis in ruinis, aut præceps cadit, cute & osse integro permanente internè aut in cerebro, aut tunicis, illud uestientibus venula, aut arteriola, aut nerui quibus cerebrum scat et, disrumpantur, autmembranæ ipsę sub craneo cerebrum ambientes ab ipso decedant, languisque effundatur, qui [e] cum liberè exire nequeat extra propria uasa contentus, concrescit, & paulatim putrefit, inde oriuntur inflammationes, rigores, conuulsiones, paralysis, & mors. Ad eundem [f] modum corpora valida impetu concussa, uel ictu lesa, in spina afficiuntur, abrutoq; ibi neruo aliquo aut in ipso cerebro, eadem symptomata nascuntur, quæ tandem mortis causa fore creduntur: Nos verò aliquos vidisse pollicemur, in capitis posteriori se de percussos, & seua apparuerunt accidentia, demum in quarta, aut septima super ueniente magna sanguinis per nares effusio, superstites fuere, indicium quippe est oppositę lesionis, secus verò in affectibus anterioribus, occurrere solet: Hę itaque caluariæ fracturarum species sunt, digne quidem assidua consideratione, quibusdam leuibus affectibus omissis, veluti est ossis caries, siue teredo, texodon græcè dicta, cum nigredine afficitur, aut eroditur, aut dum & cætera ossa [g] tumore aliquo vexantur, de quibus omnibus alibi sermonem habituri sumus: Porrò fracturarum caluarię species Chirurgo cognitu necessariæ hæ sunt, quas Galenus ad trinum numerum reduxit, reliquæ autem ad eas propemodum reducuntur, nempe ad scissuram, contusionem, & fracturam. Sunt postremò fracturarum caluariæ, differentiæ permultę, à recentioribus perpensæ, utpote à telo incidente, aut a corpore contundente formam suscipientes, unde breues, longę, rectę, obliquę, angustæ, latæ, orbiculares, trigonæ, extimæ, & altæ fieri solent.

a ¶4.1.cap.29.

b ¶Ar ist. 1. de gener. & corru. textu.58.

c ¶Gale.lib. de morb. & sympt. c2.12.Aui.2.1.ca.5.& 4.4.tra.2.ca.2.

d ¶Gal.2. aphor.com.59.& 2. de compo. m.secundum Gener. Cel.l.8. ca.4.Aui.1.3.tra.2.c.4

e ¶Hipp.l.1.de morbis in prin. & 6.aphorif.10.

f ¶Gal.7.apho. com.59.Aet. li. 6.ca.45.

g ¶Hipp. 1. de apho.74 Cel.li 8.ca.2.& 3. Gal. 7.aphor.com.2. 55.& 74.

lent. quarum omnium meminit Hippocrates, affirmans in earum qualibet contusionem adesse, aliter caluariam frangi non posse, propterea scriptum relinquit, caluariæ fracturas ratione & praxi indigere: ex his igitur teste eodem Hippocrate, quattuor fracturarum species assequimur, duas nempe manifestas, Sedem scilicet & depressionem, & totidem occultas. videlicet Rimam & contusionem; nec ab surdum putamus nominum varietatem in medium adduxisse, & si parum ad curatiuas indicationes, proficere uidentur: eo enim tendimus, ut iuxta fracturarum diuersitatem, proprijs vocibus assignatam, opportuna instrumenta inuenire, ac in usum seruare ualeamus, quemadmodum, Deo maximo annuente, dum singulatim operandi modum docebimus, palam fiet.

DE CAVSIS FRACTVRARVM caluariæ. Cap. III.

Quoniam [a] vulnerū capitis ac fracturarum caluarię causæ euidentes sunt aliunde nimirum venientes procatarcticæ græcè dictę sensibusque expositę nempe quęcunque per se continui solutionem efficere possunt, breui oratione absoluendę veniunt; attamē hoc unum scire sat erit, eas quidem esse à quibus corpora nostra non necessario alterantur, quęque post effectus impressionem, una non remanent, & [b] ob id in curatiuis indicationibus per se nullius considerationis esse solent, verum nonnihil fracturarum essentię & quantitatis cognitioni prodesse iudicantur: quocirca Hippocrates [c] & Celsus [d] ipsas tractarunt, asserentes quod ex ipso corpore oriuntur, aut extrinsecus irruunt; & Galenus [e] de his sermonem habens ait quod vulnera, fractureve omnes incisione, contusione, & fractione, erosione, & tensione proueniunt. incidunt quippè arma, ac telorum genera acute aciei ut ensis, gladius, aut quoduis aliud simile, contusionem [f] facit vbi graue aliquid obtusum & durum decidit uiolenter in corpus sensibile & molle, aut quod quasi carnem abrumpendo atterendi vim habet. vt subſtantia lapidea, aut lignea, aut ossea, aut ferrea, aut similis, ex Hippocrate vero, Telum illud est quo alter alterum vulnerat aut aliter offendit. & ait. In telo consideratur pondus & figura. pondus prout graue aut leue est, figura quatenus latum, aut angustum videtur à lato aut alterius figurę, fit collisio aut fractura, ab angusto incisio aut punctura. Frangunt pariter vel casus ab alto, vel cum labentia corpora obtusa duraque sedem identidem duram ac insensibilem offendunt, eoque magis timendū est, ait Hippocrates, quanto casus elatior existit, soliumque durius est, & inęqualius, Erodunt ossa caluarię, ac putredines in eis inducūt humores acres, aut succi veneno prediti, aut gallica lue affecti, aut medicamenta indebite, aut malo modo adhibita, sępe etiam & aer nos ambiens. Tenduntur vero vel atteruntur ossa, aut in futuris dehiscunt, à corpore siue instrumento aliquo extendente, aut lacerante vt in torturis, aut a crasso flatu, vel malarum humiditatum copia, dū sub tunicas, uel in osium porositatibus recluduntur, & uehementer extendunt, & eorum contiguitates harmonicas, aut propriam sedem secludunt, quod etiam à tormentis bellicis euenire contingit. His quoque perforatio additur, acuto ac subtili telo infixa, nempè sagitta, aut pugione, aut canum, vel viperę dente. ex quibus omnibus, aut similibus animatis & inanimatis corporibus hominis caluaria varie lędi solet. Telum siquidem ex Hippocrate aliud collidit & findit, aliud tantum incidit, & in eo duo potissimum considerantur. nempe pondus. nam aliud graue aliud leue, & figura. nam aliud latum, aliud angustum. Verum quoniam ad aliquē affectum noscendum qui omnino tum rationem tum sensum lateat, interdum de externa causa inquirere cogimur, hęc de eis pauca dixisse libuit: Signa demū pro-

a ¶Hipp. lib. 1 de mor. in prin. Cel. in suo prohemio. Gal. lib. ar. par. m. ca. 85. 2. de cau. mor. cap. ult. & lib. 1. de cuenda uaria tu. Aui. 2. 1. dist. 2. fu. 2. cap. 16.

b ¶Gal. 4 meth. cap. 3.

c Lib. de caluacurat.

d ¶Lib. 8. c. 4.

e ¶ 1. de cau. mor. in fine lib. ar. par. m. ca. 80.

f ¶ 5 meth. ca. 2.

¶Gal. cómentario 3. Hippo de Officina Medici.

pria cuiusque caluarię lęsionis persequamur, quę singulatim sequens caput de- monstrabit. 10

DE SIGNIS FRACTVRARVM CALVAriæ ac externorum & internorum affectuum dignotione. Cap. IIII.

SIQVIS rationibus ac experimentis ductus an fracta caluaria sit, assequi uoluerit, opus est primo ut substătiam & naturales eius 20
qualitates prænoscat, & diligenter consideret, nempe mollitiem, duritiem, raritatem, densitatem, robur, & imbecillitatem. quamuis uniuersi capitis ossa, teste Hippocrate, exceptis ossibus petrosis, tenuia & imbecilla sunt, sed non eodem modo. quapropter cum nos capitis uulnerum aut fracturarum essentiă per notas scrutamur, trifariam in eorum notitiam ducimur, uel sensibus nempe uisu, tactu, & auditu, uel propriis quibusdam symptomatibus fracturas ipsas comitătibus, quæ pathognomonica græce dicuntur, uel indiciis aliquibus accidĕtibusue præsumptiuis, & conjecturalibus ex pluribus quidem actionibus læsis desumptis: Fractura quandoq; caluariæ qualis & quanta sit uisu percipitur. siquidem cum partes corporis in superficie constituræ aliquo affectu cruciantur, facile sensibus deprehenduntur. quę uerò in imo corporis latent ab actione læsa, nempe diminuta, aut corrupta, aut ablata, uel à situ naturali, uel consortii lege, uel ab excentibus mutatis cognoscitur. quocirca [a] uulnera, quæ utpote ad pericranion usque deducta simplicia iudicantur, uiso tantum confertim percipiuntur, quemadmodum quæ magnitudine insigni, suimet sensibilem cognitionĕ præ se ferũt. Interdum [b] uerò exiguæ quędam fracturæ nempe capillares, aut rimulares, uel arctissimæ rhogmę introcedentes, meditullium, aut uitream usque petere solent, & cutis uulnus adeo angustum est ut tactu sedulo & specilli usu, aut digiti auxilio eius formam & quantitatem concipi sit necesse, quo in huiusmodi læsionibus in grauioribus præsertim nil cer- tius aut commodius reperitur. in paruis uero & angustioribus radioli usus magis probatur, qui nec nimis tenuis, aut nimis acutus exigitur, nè cum in quosdam sinus naturales inciderit, os sis fracti frustra opinionĕ faciat, nec nimis plenus, ne angustas & paruulas rimas non ingrediendo, Medicum decipiat. Hac ratione spe cillum mediocre esse debet, quod ubi ad os uenit, & nihil nisi lene, aut lubricum occurrit, integrum id uideri potest, ac si quid asperi est utique qua parte futuræ non sint, fractum os esse testatur. Imprudentis enim chirurgi ait Hippocrates [c] officium existimatur, cũ ex specilli aut digiti immissione caluariæ ossa fracta percipere nequit. Ad eundem modum [d] & auditus, ut in aliarum partium, sic in caluariæ fracturarum cognitionem nos manuducit. siquidem in magnis fracturis crepitus, ac sonitus quidam dum manu chirurga tractantur auditur, cognoscuntur pariter quamplurimæ harum ratione sui, die quarta, aut septima, aut undecima, aut decimaquarta, absccdente nimirum osse a carne, aut sese mouente, aut liuorem seu nigredinem contrahente. siquidem naturalis eius color in sano homine est albus leui quadam rubedine admixtus ob tenuiores partes sanguinis in eo uaporătes, cumque male afficitur liuet aut nigrescit. Capilli pariter dissecti, teste Hippocrate, ac in uulnere reperti, os interdum ruptum aut nudatum esse testantur. sic pariter aut osiculus, aut teli frustulum, aut quid simile: Propriorum uerò accidẽtium fracturarum capitis quædam sunt in uulneribus carnis contusionibusque le- uioribus fractorum ossium indicia, quædam meningarum affectuum notæ, quædam eandem tunicam crassam ab osse diuulsam ostendunt, quædam aut sanguinẽ aut

a ¶Gal. lib. ar. par. m. cap. 75. li. 1. de not. loc. affe. ca. 1. & li. 2. ad Glau. cap. 1.
b ¶Gal. 3 meth. cap. 4.
c ¶Hipp. lib. de calua. curat. Cel. lib. 8. cap. 4.
d ¶Lib. 1. de morbis.
e ¶Hipp. lib. de offi. med. & lib. de Coacis præ- not.

10 aut pus, aut ichorẽ, aut humiditatem diuersam putredini obnoxiam ipsi subsistere declarant, quædam cerebri intemperiem simplicem, aut materialem, & illam uel fieri, uel factam iam esse indicant, quin etiam aliæ cerebrum sectum, aut concussum demonstrant. Quod ut dilucidius intelligatur, sciendum est Caluariæ naturam osseam esse sensusque expertem, ideo dolore omnino uacare: si igitur fracturã duntaxat in se ipsam reciperet, & una meninges nequaquam compaterentur, nihil esset cur timere deberemus, cum in his sæua accidentia alie na esse solent, uerum ex ossis partium attritione tantum, dum mouerentur palàm fieret, nam strepit os ruptum, ait Hippocrates, at ipso secto, aut perforato, simulatque parte aliqua contenta noxam suscipiente, utpote membranæ aut cere
20 brum ob compressionem, aut punctura m, aut laniationem, uaria & ea quidem timenda symptomata oriuntur, ex quibus fracturarum naturam ratione quadam chirurgus assequitur: Quocirca [a] percusso capite inquiratur si fracturarum causæ præcesserint productrices, nempe si quis graui telo uehementer sauciatus fuerit, si ex sublimi loco ceciderit, si in lapidem aut rem duram impegerit, aut à re tali ictum acceperit, ueluti à lapide extra manum, aut à telo in manu & an accepto uulnere confertim uertigines, uomitusque accesserint, sterterit, aut obmutuerit homo, an ceciderit, sanguinemque naribus, ore, aut auribus proiecerit, seu tamquàm attonitus iacuerit, nam dum caluaria uehementer frangitur, & in cerebro spiritus commouentur, hujusce modi accidentia inuadere solent, uerumtamen [b]
30 ut certiores fiamus an membrana interna detrimentum patiatur, attendendum est nunquid stupor, delirium, paralysis, aut conuulsio accersita sit, hæc enim ualde conferunt tanquam accidentia in his affectibus necessaria. signum [c] præterea inseparabile, quo membra nam uiolatam deprehendimus, est dum æger capiti manum sæpè admouet, ac si punctiones quasdam perpetiat; Absccdentis uerò tunicę ab osse indicium est dolor capitis acutus, febris assidua, inquietudo, color ossis alteratus, ac saniei cruditas & tenuitas. Etenim ab Auicenna dictum est, si penetrantem scissuram usque ad aliud latus credideris, os rade re oportet quousque tutus sis num subcingens tunica recte se habeat, situmque suum naturalem ex os-
40 se seruet, nam tunc & noxa minor, & inflămationis euentus tardior, & securior, ac saniei concoctio uelocior fiet, quod si ab osse recesserit timor inde maior, & dolor ac febris intensior exoritur, uel ox adhuc in osse coloris permutatio fiet, ichorisque effluxus tenuior, conuulsio, syncope, ac desipientiæ apparent præsertim diligentia ac Chirurgia a medico neglecta: at si in huiusce modi affectu sanguis, sanies, aut ichor in membrana insedit, inde paulo post putrescit, uapores denique [d] eleuati cordi communicătur & febris accenditur, ac affectæ sedis calore imbecilli reddito, sanies ibi genita, tenuior, cruda, & fętida expurgatur, à qua & ossis colorẽ alterari cõtingit, uaporibus nẽpe à sanie ipsa elatis, porosq; caluariæ
50 obstruentibus, cius que substantia in cinericeum, aut liuidum colorem permutatur, ossa etenim inquit Aristoteles [e] cum propriis tunicis expoliantur siderantur & nigra fiunt, ac in affecta parte ob sui alimenti defectum sicciora redduntur, sectis nimirum uenulis quibus aluntur, nec non & aliquarum à meditullio, & dura membrana illis nutrimentum deferentium laceration em, dum ictu uehementi rumpuntur, aut propriis suturis dehiscunt & tunc [f] febris ardens assidua, ac intẽporibus, sincipite, & occipite, acuti dolores, & aurium sonitus percipiuntur, patientes surdastri fiunt. anxietate & inquietudine uexantur. quintaue aut sexta die pereunt. Ossa caluariæ sicca fiunt & arescunt interdum a medicaminum qualitate, aut ambientis aeris actione, aut febris calore ardenti, & tunc hoc symptoma raro alia consequuntur: Præterea quædam alia signa sunt, cerebrum, aut eius meningas intemperie simplici affectas indicantia, [g] eius tamen operationes non impedientia, quæ ab aliqua leui ossis compressione, aut ambientis aeris intemperie, aut malo uiuendi modo, & prauo uictus regimine, uel imprudentis Medici actione,

a ¶Hipp. lib. de calua. cura. Cel. lib. 8. cap. 4.
b ¶Aui. cap. de fract. cra.
c ¶Hipp. 1. prognoit. 29. Cel. li. 8. cap. 4. Pau. li. 6. c. 88. 90. Auic. ca. de fract. cra.
d ¶ Gale. 2. de mor. cau. cap 2. & 1. de diff. fe. cap. 7.
e ¶ 3. de nat. ani. in fine.
f Hipp. li. de calua. cura.
g ¶Gal. 5. apho. com. 57.

actione enascitur, in qua quàm plurima, sed admodum imbecilla symptomata demonstrantur, quæ pariter ab omni contraria qualitate tolluntur, aut facillime ablata causa discutiuntur: Materialis verò intemperies, si calida fuerit, aut inflammationis initium apparuerit, ex ipso caloris sensu, dolore pungitiuo, febricula quadam, corporis angore, uigiliis, nulla capitis grauitate, motu ad iram, oculorũ rubore, ac phantasticæ facultatis deprauatione cognoscitur, tunc uulneris labra exiccantur aut exiguo humore, & eo tenui, redundant, ægri frigidis aspergi-nibus, ac topicis similibus oblectantur, ex quibus pariter iuuamentum percipiunt: Frigidæ verò intemperiei notę hæ sunt. Capitis grauitas, quod tactu calidũ non deprehenditur, dolor mitis, ac satis quietus adest, nec oculi, nec facies rubescit, nec arida, aut collapsa, sed plena & pallida apparet, ægri rebus frigidis nec iuuan-tur, nec gaudent, sed ad somnum procliues sunt, timent, & quiescunt: Humidam porro intemperiem ichoris qualitas, & copia ostendit. uulnerati somno tenẽtur, pigri fiunt, non dolent; sed facillime obliuiscuntur: Sicca demum ex sanierum de-fectu, leui dolore, uigiliis multis, ira, siti, & delirio, percipitur: Cæterum cum non à qualitate sola naturæ modũ egressa cerebrũ aggressum sit, sed cũ accidente quo piam tumore plerunque calido, intenduntur quidem hæc omnia accidentia, si-quidem [a] dolor uehementissimus urget, rigores quam plurimi inordinati appa-rent, febris ardens & asfidua oritur, pulsus cerebro affecto undosus, membrana læsa serrinus gignitur, oculi inflammantur tanquam si lippitudine laborarent, cõ-iunctiua [b] etenim tunica a dura meninge ortum ducit, extuberant languentes, & si somno capiuntur ignea phantasmata sibi occurrere uidentur, pauore expergi-scuntur, ac sæpe exclamant: cunque iam inflammatio ad consistẽtiam decreuerit, ob uitiatam animæ sedem delirant, capitique manum crebro admouent quasi af-ferre, aut accipere aliquid uelint, sępe manibus pilos, aut festucas uidentur uelle carpere oculi caui fiunt, & inflammati, ac [c] sponte illachrimant ob impoten-tiam uirtutis contentiuæ cerebri: nulla prorsus in uulnere sanies generatur, sed siccum fit, & liuidum, ac carnibus sale conditis simile, & tunc denique mors ipsa subsequitur, prius tamen fasciis destructis, quibus caput inuoluebatur, ac uulnere detecto, quod raro quidem inflammationibus ab internis causis productis eueni-re contingit, quæ propriis Medicorum indicationibus, ac diligẽti cura, interdum sanitati restituuntur. Adhuc si circa sensus duntaxat affectus imprimuntur, ueluti tenebrosæ, aut accensæ uisiones, aut sonorum non existentium auditus, percipiũ-tur, & anteriorem cerebri partem læsam protendunt: Si verò circa potentiam mo-tiuam, aut neruorum resolutio, aut tremor, aut stupor, aut distensio subsequitur, quæ symptomata capitis posteriorem partem male se habere declarant, hęc pari-ter quandoque omnia simul apparent, interdum unum, aut duo, aut plura, sępe etiam nec ullum manifestatur, & moritur ęger, uariantque uelocitate euentus, ci-tius, siquidẽ si mollia corpora ac nobilia, præsertim si aliqua plenitudine redun-dant, inuadunt: secus uerò si robustiora, minus timida, & minus plena: uaria ac di-uersa ab Antiquis [d] ea symptomata descripta sunt quę Caluariæ fracturarum, ac internarum lesionum naturam & quantitatem ostendunt, nempe CASVS, VO-MITVS, VERTIGO, OBCAECATIO, SANGVINIS ORE, AVRIBVS, AVT NA-RIBVS EMANATIO, OBMVTESCENTIA, STVPOR, RIGOR, FEBRIS, PA-RALYSIS, APOPLEXIA, EPILEPSIA, CONVVLSIO, DELIRIVM, SOM-NVS SVPERFLVVS, MEMBRANAE DENIORATIO, ET VVLNERIS SICCI-TAS EXIMIA, quorum enarrationes & causas hucusque distulimus, quæ quidẽ perpetuò, uel quod fit aliqua inflammatio, uel iam facta esse, apparere solent.

Casvs euenit si internæ partes afficiuntur, nã [e] motus omnes arbitrarij mu-sculorum ac tendonum munere fiunt, & ea ratione mouẽtur, qua neruorum sunt participes nempe à cerebro & nucha emanantium uirtute in eos à cerebro dela-ta: quo fit ut dum coactè violentia quadam à causa exteriori quis cadat, iam de-

prauato

a ¶Hipp.1. prognost.26. Gal.3. de not.loc.affec. 9. Aui.1.3.tract.1.ca.29.& tract.3.cap.4.

b ¶Gal.2. Moymir.ca.2.& 9.de usu part.

c ¶Hipp.li.1.de mor. popu. sect.2.6 epide. par.1.apho.21.& 4.apho.52.

d ¶Hipp.lib.de calua.cura. Cel. lib.5.cap.6.& lib.8.ca.4. Pau. lib.6.c.88. Aui.2.4.tra.3.cap.1.

e ¶Gal.lib.1.de motu musc.& 4.apho.com.15.

prauato stándi motu utpotè uoluntario, non ab re censẽdum motricis facultatis instrumenta affici per consensum à cerebro ipso affecto ipsius facultatis fonte uires recipientia.

Vomitvs biliosus si fracta caluaria permanens fuerit letale symptoma iudicatur, cum dicat Hippocrates [a] quibus cerebrum dissectum fuerit, his necesse est febrem, & bilis uomitum accedere, qui [b], ubi uoluntarius non est, uel protinus ut percussus quis est, uel dum inflammatio manet, magnum malum portendit, in his duntaxat, quorum partes neruosæ sectæ sunt. Vomitus [c] siquidem uentriculi expultricis facultatis prauus motus est, quo ea quæ in eius capacitate seu latiore spatio continentur ac ipsum contristant, & in se fluitant, quam citissimè per stomachum reiicit, ad quem neruorum par haud mediocre è sexta cerebri coniugatione defertur, ac disseminatur, contexitque maximè os eius, quocirca [d] compati ventriculum in cerebri affectibus mirum non est ob istorum neruorum assistentiam, per quos etiam [e] sensus huic particulæ quam ylli reliquarum corporis acutior est, ob id [f] cranij fracturas, cum ad membranas usquę perueniunt, bilioſi uomitus comitantur.

Vertigo dinos græce dicta, quæ [g] quòd caput circunferatur, seu uertatur imaginatio quædam est, seu tenebricosa uertigo scotodinos græcè, scotomia communiter uocata, dum quæ conspiciuntur circumagi uidentur, ac simul repentè uisus pereat, ob inordinatum, turbulentum ac inæqualem spiritus flatuosi motum oritur, ex quo animalis etiam spiritus in opticis neruis ac cerebro consistens euertitur, ut propterea sicuti decet non ualeat ordinatè ad propria loca distribuiꝫ in uulneribus autem, aut caluariæ fracturis ex uehementi ictu spiritum ipsum concuti, ac perturbari contingit, præsertim si membranæ, aut cerebrum noxam suscipiant; quod, dùm occurrit, interdùm mortis indicium est, ut in formosa Nerei filia euenisse attestatur Hippocrates, [h] quæ à muliercula eius amica semel lata manu in sincipite percussa, ac uertigine capta nona die mortua est.

Obcaecatio in fracta caluaria internam affectionem ostẽdit, cum [i] nerui ipsi uisorij optici, optici græcè dicti, qui visui inseruiunt, à cerebri prima neruorum coniugatione orti obstructionẽ, uel laceratione, aut contractionem patiuntur, ij [k] quidem magni, crassi, & molles sunt, ipsiuè soli poros sensibiles habent oculis uidendi facultatem transferentes, quæ à cerebro tanquàm imperante cristalloydi delegatur, inde ad ragoydis foramen, pupilla appellata, speciemm imagines suscipit, ut intra ad communem sensum ferantur, qui rerum [l] differentias ponit, cuius sedes cerebrum est: qua propter necessariò affici cerebrum, dùm caput percutitur, uerisimile est, si hic sensus deperdatur, & nulla in eius organo noxa uideatur; & hinc [m] efficitur quòd oculi propter uisoriæ facultatis imbecillitatem cerebro leuiter affecto lumen aduersentur, aut uidendi potentiam amittant.

Sanguinis fluxus ex naribus, ore, et auribus percusso capite admodum letale indicium est; etenim [n] omnes hæ partes cerebro subseruiunt. nam perpetuò, ac in internis affectibus per eas purgatur; quòd si ex forti ictu sanguis erumpat, ad has partes transmitti solet, & affectæ membranæ, aut læ si cerebri argumentum est, propterea dicebat Celsus si cerebro aut tunica uulnerata sanguis, ore, & auribus effluxerit, uomitu bilioso accedente, febre, & delirio, moriuntur.

Obmvtire in percussione capitis malum indicium portendit, nanque dictum est, [o] quibus cerebrum ex aliqua causa concussum fuerit eos statim uoce priuari necesse est: contrahitur [p] enim uis animalis in se ipsam in talibus dispositionibus à motu uehementi molestata, propter hoc quiescit. Cui igitur [q] offensio aut casus aduenit, aut aliud, & abscinditur sermo eius, & inclinatur caput, & arescit anhelitus, & sudat frons, moritur statim. qui verò in caput suum concidunt sæpè uoce priuantur: quod si usque ad tertium diem non permutatur, septimum

a ¶Li.1.de morbis lib.de Coacis prænot.li.de locis i homine.

b ¶Cel.li.5.ubi de rat.uict. uulnerator. & ubi de signis percus. cereb.

c ¶Gale. 2. de simpt.cau.

d ¶Gale. 4. de mor. & sympt. cap 7.3. de not. loc. aff. cap.3.& 6.apho.cõ.50.

e ¶Gale. 4.& 9. de usu par. & 5. de not.loc.aff.

f ¶ Gale.3. de loc.aff.cap.5.

g ¶ Gale. 3.de loc.aff. cap. 8.4. regim.ac.cõ.38. & 4. aphor. cõ. 17.

h ¶ 5. & 7. de mor.popu.

i ¶Gal.3.de iuua membro.

K ¶ Gale. 4.de Simpt.cauf.c.2. 2.de usu.part.c. 7.& 3. de Plac. Hipp.& Plat.

l ¶Aristot.3. de Anima com.2.

m ¶Gal.1. progno.com.13.

n ¶Gal.9. de usu part.

o ¶Hipp. lib.1. de morbis & 7. apho.59.

p ¶Gal.7.apho rif com 59.

q ¶Aui.4.4.tra 2.cap.4.

mum expectare oportet, nec ægrum aliquo modo mouere, etenim euenit nonnunquā vt naturæ robur cerebri affectus uincat, & indè ægri ualetudinē conse-
quantur: vtcunquè autem Hippocratis [a] sententia enucleanda sit, quæ dicit quibus cerebrum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt, si uerò hos euaserint sani fiunt, sic interpretari nobis visum est.

Stupor [b] id est imperfecta quædam neruorum resolutio, seu repentina in sensibilitas, atque immobilitas corporis totius, aut solæ partis, non nisi affecto cerebro accidere contingit; attestaturque ipsum iam passum esse, aut eius tunicas noxam subire. Hac ratione malum signum est, siquidem, inquit Hippocrates, [c] in capitis ictu obstupescentia malum, cùm manifestum sit [d] hæc omnia cerebro patiente enasci, cumque in eo animæ principatus consistat, dignoscitur enim quando patientes neque aliquid dicunt, neque agunt, sed apertis oculis quieti manent, similes his, qui ex timore, sunt attoniti. Pereunt [f] quandoque hi ante septimam in æstate, in hyeme verò ante decimam quartam. Quibusdam stupor etiam aduenit, ait Hippocrates, musculis temporum affectis, & eius causa [g] frigidus, crassius, ac omnino viscosus humor est; uerum Caluaria fracta, compressio, aut punctura, aut laceratio id efficere solet.

Rigor, [h] hoc est inæqualis vniuersi corporis concussio, quassatiove, in qua expultricis facultatis motus validus notatur, cùm languentes vix se contineri valeant, & vt ait Hippocrates, dolore plena quædam musculorum refrigeratio per cipitur, si fracta caluaria euenerit, potissimum inordinatè, aut circa iudiciarios dies noxam cerebro collatam indicat: nanque facultas ipsa nostrum corpus regens contra ea aduersatur, & certat, quæ molesta sunt, donec radicitus euellātur; at quia in intimo corpore coaceruata uehementes facit incursiones, magna calo ris vi ipsam inuadit, propterea [i] nihil mirum si acri quopiam humore membranam rodente, seu cerebri substantia inflammationem patiente rigores appareant, contrahitur enim calor ad intima, & partes, quæ foris sunt, eo priuantur, indè oritur rigor, & frigiditatis sensus, quem rarò alia subsequitur febris: & hinc fit quòd rigore correpti plumbeam, aut cinericiam faciem præ se ferant: præterea letale accidens ac semper non creditur, nisi malalia symptomata simul inuadant, ac virtutis imbecillitas adsit, una cum vulneris siccitate, & in die critica: contraverò rigor ille magni existimatur momēti, qui tarde, aut diebus significationis occurrit. Cæterum [k] rigores, qui prauis succis per cutim currentibus dū uiolento motu à natura expulsi, oriuntur, in uasis, aut extra putredinem assecutis, calor subsequitur febrilis aut cōtinuus, aut interpolatus, præterea timoris ansam minimè præbent, utpote [l] causam diuersam extra caput habentes, similes, ut plurimum in corporibus humidioribus cacochymia, aut plethora redundantibus, fiunt: Hac ratione rigores exactè dignoscendi sunt, nè Chirurgi interdum decipiantur, temereque ac frustrà non sine ægrotantis iactura terebrationes aggrediantur, indistinctè rigores omnes tanquàm formidabiles arbitrati.

Febris assidua, uel per se, vel aliis adiuncta symptomatibus capiti vulnerato superueniens vtplurimum internorum affectuum significatiua est: quemadmodum enim [m] cætera nobilia membra vulnus aut noxam quampiam passa, orta in eis inflammatione accersunt, sic & cerebrum nobilissimum quidem membrū si præcisum, aut tunicarum aliqua, accenditur, affectusque is cordi communis effi citur maximi consortii lege: quare mirum non est si ex materia sub craneo putre scente, uel inflammatione aliqua inchoante febris continua gignatur, & malum portendat indicium; siquidem dicebat Hippocrates [n] quibuscunque præciditur cerebrum, necesse est febrem, & bilis vomitum superuenire, quæ [o] pernicios ia iudicatur, si decretoriis diebus oriatur, vel [p] vltra tempus inflammationis perduret, aut leui vulneri superuenerit, vel delirium mouet, vel si neruorum rigor aut distensio,

a ¶Lib.2. & 3. de morbis li. de Coacis præcnot. & 7.aphor. 71.
b ¶ Gale. 4. de loc.aff. cap. 2. & 5.aphor.com.5.
c ¶7.aphor.14. Celf.lib.2.ca.7.
d ¶ Gale. 4.de Symp.cauf. c.5. & 5.aphō. c6.5.
e ¶Gal.7.apho. com.14.
f ¶Hipp. lib.de Cā leurat.
g ¶Gal.2.de loc. affec.1. 4.ciusdē cap. 2. & 4. de sympt.cau.ca 5. & 5.eiusdē ca.2.
h ¶Celf.lib.3.c. 3.Gal.4. de simpt.cauſ & lib.de rigo.& ſpaſ.
i ¶Gale.2. prognoſt. com. 58. Auic.1.3.cap.de Krabiro & 1.4. trac.2.cap.10.
K ¶Gal.4.apho. com.58.63.7. aphor.com.57. & lib.de rigo.& ſpaſmo.Auic.1. 4.trac.2.cap.6.
l ¶Celſ.lib.3.c. 3.Gal.2. de diff. febr.c.6. Aui.1. 4.tract.2. cap.6.
m ¶Gale.3. de not.loc. aff. c.5. & 6.aphor. com men.50.
n ¶Li.1 de morbis li.de Coacis præcnot. & 6. 2. phor.50.
o ¶Raſis.10.ad Al.cap.15.
p ¶Cel.lib.1.c. de ratione uictus uulnerato rum.

distensio, quæ ex vulnere orta est, eam non finit: non aliunde verò huiusce modi febris causam asſignamus, quàm & cerebri aut meningarum inflammatione vel fieri, vel factam esse. siquidem [a] ex humoribus putrescentibus vel intra, vel extra venas febris à rigore superueniente soluitur: Scriptū est ab Auicenna [b] Si in capitis dolore ex ictu febris accenditur, & mentis perturbatio adest, iā in capite inflammationem fieri manifestum est, quæ si ad statū deuenerit, nunq̄ sanatur.

Paralysis græcè, latinè neruorum resolutio, aut mollificatio, cum motus priuatione non quidem totius corporis, sed vel lateris vnius duntaxat, vel priuatæ particulæ præsertim sedis vulneratæ, si ex caluariæ [c] fractura accidit, cerebri, aut membranarum affectuum indicium est. nam vel ob continui solutionem, vel viarum spirituum occlusionem, vel facultatis animalis delationem impedimētum oritur; quò fit vt per eam tale aliquid euenisse censeamus; compressionē potissimum, aut ipsius cerebri inflammationem, ob quam viæ arctantur, & animalis facultas impeditur: dignoscitur autem cùm iam sublata causa, impotentia motus tollitur, & pars affecta in pristinum reuertitur. propterea quibusdā visum est paralysim à causa externa, facile sanabilem esse. secus verò quam crassa ac viscida materia gignit, propemodum sanatu impossibilem; atque Rasis opinio est quòd, qui ex ictu, aut casu paralysim confertim incidit, nunquàm sanetur, sed quæ paulatim fit curationem recipiat, quemadmodum Romæ Galeno contigit dum Paulum Sophistam curaret, cui, dum ex vehiculo cecidisset, duo sinistræ manus digiti resoluti erant, attamen sanitati restitutus fuit.

Apoplexia [d] totius corporis sensus & motus præterquàm anhelitus priuatio est, ac propriū patientis cerebri accidens. fit etenim [e] virtute animali ad partes infra caput constitutas defluere non potente, aut propter dispositionem aliquam inflammationi similem, quę in ipso cerebro constituta sit, aut eius ventriculis compressis, aut humore pituitoso oppletis, verùm causæ magnitudo, passionis magnitudinem consequitur; quòd si fracto craneo euenit, cerebrum aut punctione, aut vehementi compressione, affici adeò vt ventriculi eius lædantur, manifestum est. fitque [f] tunc vt corpus, & mens stupeat, omni denique motu, & sensu priuetur, at tanquàm mortui patientes viuunt, & oculis clausis ac si dormitarent decumbunt, stertuntque, ac puncti non sentiunt. Certiores verò de huiusmodi accidente reddimur, dum comprimentia ossa leuamus, ac æger inspirare cæperit, & à noxa subleuatur. Cæterùm [g] si vna & inspirationis motus tollatur, ea quippè fortis apoplexia nūcupatur, quæ sanari omninò nequit; si verò inspirationis vsus non deest, sanari interdum potest; quandoque etiam sine febre apoplexia [h] visa fuit, sed fracta caluaria necessariò febris eam comitatur.

Epilepsia græcè, latinè morbus comitialis, caducus, herculeus & sacer appellatus, quanquàm rarò, interdum tamen & ipse in caluariæ, aut cerebri affecti bus apparere solet, conuulsio [i] vniuersalis est, non quidem perpetua, sed quæ ex temporum interuallis cum mentis ac sensuum læsione accidit, differens propterea ab ea in qua nullum fit principalibus functionibus nocumentum; & quia subitò ac repentè fit, & confestim soluitur, hæc cerebri vētres ob crassos lentosq; humores afficere signum est. nam auctore Galeno, repentinam meatuum obstructionem à tali succo fieri constat; illud tamē intelligendum est in affectu ab interna causa proueniente: siquidem ventriculi ijdem obstrui à causa externa, & forti compressione facilè possunt, cùm læsio ob vulnus, aut fracturam cerebro communicetur, indè ob interpiem iam contractam humoris crasi exuberantia oriri contingat, qui cerebri cauitates obstruēs facultates omnes impedit adeò, vt ægri concidant, conuellantur, stertant, spumam per os emittant, sensusque omnes amens lædantur. Est igitur [k] Epilepsia si craneo fracto occurrat, affecti cerebri indicium, quanquàm vt verùm fateamur, à nobis bis tantùm inter curandum hoc visum est, in pluribus verò cicatrice iam obducta.

a ¶Hipp. lib.de iudicat. lib. de Coacis præcnot. & 4.apho. 58.63
b ¶ 1.1. tract.2. cap.26.
c ¶Gale. 3. de loc. aff. cap. 10. & 5. de simpt. cau.cap.2.
d ¶Gale. 3. de loc.aff.cap.10.& 2.aphor. c6.42.
e ¶Gal.3. de ſim pt.cauſ.cap.3.3. de loc. aff. ca.7. Auic.1.3. tract. 5.cap.14.
f ¶Gal.3.de ſim pt.cauſ.cap. 3.
g ¶Gal. 2. apho riſ.com.42.
h ¶Gal.2.apho. com.19.
i ¶Gal.3.de loc. aff.cap.5.
K ¶Gale. 3. de loc.aff.c.7. Paul. lib.3.cap.8.

Convvlsio latinè, spasmos græcè dicta, si caluaria fracta alicui parti occurrit: nempè faciei orivè spasmos is cynicos græcè, caninus latinè appellatur, & est cùm os ipsum contrahitur, seu cùm oculi immobiles aut strambosi reddûtur, seu pars aliqua cęterarum vulnerate parti oppositæ reuellitur, letale symptoma creditur, ob id quia ait Hippocrates [a] Conuulsio ex vulnere letalis est. passio enim [b] virtutis motiuæ inuoluntaria existit. dum musculi præter voluntatem conuelluntur ad similem dispositionem, ipsis, ac partibus neruosis aduenientibus, quam etiam in motibus secundum arbitrium factis assumpserunt. nam in eum situ neruos musculosque conuulsio ducit, in quem si pro naturæ lege se haberent, ac animæ virtute ducerentur, tractis videlicet seu conuulsis musculis versus originem suam & ad sua capita; porrò per hunc affectum actio nequaquàm ablata est, vt in paralysi, sed solùm immutata ac vitiata, deinde patiendi societate, hoc est cerebro lege commercij patiente, vt noxam talem effugiat, contrahitur, pariterq; partes naturæ suę participes ad se conducit, & indè sequitur motus quidam depraua tus voluntariæ facultati motrici accidens: proindè est neruosa ægritudo, qua mouentur lacerti motu non voluntario ad suum principium, & fiunt extensioni inobedientes. Cùm igitur [c] functionis à voluntatis imperio prodeuntis, noxa conuulsio sit, & in vulneratis ex cerebri inflammatione excitari contingat, nullo præterquam in capite affectu sese ostendente, necessariò fateri cogimur cerebrũ inflammatione correptum, præsertim cum aliquod ossis frustulum membranã comprimat, aut pungat: Videtur [d] autem sæpenumero conuulsionem vulneris oppositam sedem inuadere: Si enim in sinistra capitis parte vulnus quis habeat, in dextera capitis parte eũ conuulsio corripit, & cõtra, dummodò vulnus latus unũ duntaxat occupauerit, ait Hippocrates. at si capitis medium vulnus habeat vtranque partem conuulsio detinere solet, vt in Antonomo euenisse apud Hippocratẽ Quinto Epidemiarum legitur, cui ex cacuminis vulnere ambæ manus conuulsæ sunt. Cæterùm, cùm in sequẽtibus de neruis sectis de huiusmodi symptomate sermo prolixior sit futurus, hæc nunc dicta sufficiant.

Delirivm [e] cerebri sanè affecti inditium est, cùm ægri [f] non rectè ratiocinantur facillimè dignoscitur. nanque delirium [g] deprauatus est principis facultatis motus à prauis succis, aut à cerebri intemperie călida ortum habens, propterea dictum est [h] in quouis morbo mente constare atque benè se habere ad ea quæ offeruntur bonum, contrà verò se habere malum: quòd autem [i] constare mente signum bonum sit, patet, quæ enim ad cerebrum attinent, atque membranas, spinæ medullam, septum transuersum, & omninò ad neuosas partes, quæ præsertim sunt iuxtà cerebrum, sana ad omnia esse ex mentis constantia significatur. secus verò cùm quis alienat & mente constare non videtur. nam tunc cerebrũ aut meningas affectas esse argumento est: etenim in Aphorismis [k] sic scriptum reperitur, in capitis ictu desipientiam quandoque occurrere, & malum esse. cumq; autem delirare aliquem, aut mente quomodolibet affici conspicimus, capitiq; remedia adhibenda esse cęsemus, principem facultatem vitiatam arbitramur, cuius sedes cerebrum est: inquit etiam Hippocrates [m] in ossis præcisione stupor, aut desipientia si in vacuum ap prehenderit, in osse præsertim præciso, quod in capite est, non simpliciter tamen, neque vtcunque hoc contingit, sed vsque ad interiorem superficiem, quam locus continet vacuus, in quo cerebrũ conseruatur, desipiẽtia fit. siquidem passio iam membranis & cerebro proxima existit: cumq; igitur a principio accepto vulnere desipientię fiunt in ancipiti se habent, quod si transacta quarta, aut septima, aut decimaquarta appauerint, in cerebro iam factam, aut fieri inflammationem scire oportet: Quocirca ab Auicenna [n] dictum fuit, Si percusso capite febris apparęat, aut mentis conturbatio, tunc iam incipit apostemari, eoq; [o] peius efficitur accidens, si perseuerare videtur, quod & rigores, paralysis, vigiliæ, inquietudines q; comitãtur, & mors certissima sequitur; qđ his

a ¶ Lib. de Coacis prænot. & 5. aphor. 2.
b ¶ Gale. lib. de rigor. & spasm. cauls. lib. de symp. cau. cap. 2. & 6. apho. com. 39
c Gal. 3. de loc. aff. cap. 6. & 5. apho. com. 5.
d ¶ Hipp. lib. de Coac. prænot. li. de Calu. curat. & 5. de mor. popu. Aui. 1. 3. tracta. 3. cap. 14.
e Gale. 2. prædict. com. 9. lib. ar. par. m. ca. 76. 2. de not loc. affe. cap. 3. 5. de simpt. cau. ca. 3. & 4. aphor. cõ. 50.
f ¶ Cel. lib. 2. c. 7. Gal. 7. aphor. com. 14.
g ¶ Gal. 3. de simpt. diff. cap. 3. & 2. de simpt. cau.
h ¶ Li. 1. Epidemiarũ. & 2. apho ris. com. 33.
i ¶ Gal. 4. apho. com. 31.
k ¶ Hipp. 7. aph. 14. Gale. de loc. aff. cap. 3. & 5. de cau. simpt. c. ult. l ¶ Gal. 3. de simpt. cau. c. de simpt. diff. & 3. de loc. aff.
m ¶ 7. Apho. 34.
n ¶ 1. 3. trac. 2. c. 26.
o ¶ Hipp. 1 Epidemiarũ. Gal. 5. de loc. aff. cap. 3.

his euenire non solet, qui ex nimia ventriculi inanitione interdum alienatione vexantur.

Somni atqve vigiliarvm excessvs si post capitis ictus occurrat, inflammationem, aut frigidum cerebri apostema demonstrat; malum q. ait Hippocrates [a] si somnus aut vigilia modum excesserit. fit nanque somnus, lis refrigerato ipso sensifico, hoc est cerebro. at si frigiditati humiditas cõiungatur, lethargus morbus oritur, si siccitas catalepsis & catoche græcè, deprehensio, ac letentio, & congelatio latinè dicitur; & est subita detentio tum animę tum corporis, qua quis corripitur repentè. in illo permanet habitu, quo correptus est, nempè penitus permanet immobilis, & tanquàm occupatus & otiosus. Vigilię verò ho ex caloris intemperie caput petentis, vel sola qualitate naturę modũ egressa, vel cum accedente quopiam humore, subtili nempè & bilioso, à quibus in meningis ipsis inflammatio erysipelas dicta gignitur, phrenitis græcè appellata, quam sęua & acuta symptomata subsequuntur, quò fit vt somni aut vigiliæ excessus cerebri passionem prænuntient.

Siccitas vvlnervm, vbi nulla aut exigua saniei quantitas producitur, aliquibus transactis diebus & mala præcesserint accidentia, appareat, admodum exitiale signum est. inquit enim Hippocrates, [b] Si in vulneribus prauis & fortibus existentibus tumor non apparet, id est sanicrum conueniens copia, ingẽs malum; insuper [c] ait Si post febrem vlcus colorem amittit, & pauca ex ipso effluxerit sanies, eger moriturus est: adhuc [d] si periturus est eger, ante mortem vlcus liuidum & siccum erit; erit nempè omnino siccum, quotiens facultas corpus nutriens, imbecillis reddatur. vel circa aliquod è viscęribus intimè reuulsa, vlcus ab ea iam destitutum siccum & mali coloris efficitur; propterea à Galeno dictum est [e] nihil mali vlceri pus generanti aduenire poteſt, præsertim si bonum fuerit illud nempè est [f] candidum, æquale, leue, & quàm minimè fœtidum, & tale optimum ac salubre indicium portendit, ac naturam assistentem validam attestatur, eamque medicamenta pus mouentia si tempore opportuno adhibeatur optimè regere. Vbicunque igitur ex capitis vulnere auctore Hippocratẽ [g] intereundum sit, hyeme plerunque ante decimumquartum diem: æstate post septimum febris accenditur. quę vulnus sui coloris non reddit, quod indè saniem modicam effundit, quodve ex ipso inflammatum est emoritur, glutinosum efficitur, & carnem sale conditam representat, ruffum, subliuidum, inde pustulæ multæ in lingua nascuntur, & laborans mente non constare præsumitur, & caro quæ circa vulnus est deficiente virtute regente, ab osse relaxatur, & mollis fit. Porrò præterеundum non est, ex alijs etiam causis siccari nonnunquam vulnus posse, nempè ex ambiente nos acre, ex sicciboribus quàm deceat medicamentis, ex manifesta quadam leui inflammatione, ex tenui, atque pro lixa diæta, seu à quauis simili, ex quorum immutatione accidens facilè tollitur. quod si perduraucrit ac rigores, febres, deliria, aut tale subsequatur symptoma, patientes in Dei manu ac solis prognosticis tanquàm morituri sunt relinquendi.

Si membrana cerebri per svmma nigrverit, & solo rhodomel letollitur, sat erit. si verò nigrities sua spontè prouenerit, atque potissimum in imo cum alijs grauioribus indicijs, ab omni spe recedere oportet, vt quæ natiuum calorem emortuum innuit, & magnam corruptionem in ea inductam declarat. est enim prædictorũ symptomatũ omnium extremum, quorũ quædam ab initio, quædam successiue aut extra tempus enascuntur. nec ideò semper pertimescenda, quemadmodum si perseuerantia, ac medicamentis contumacia reddantur, nec perpetuò mors aduenit, tametsi ipsa eam minantur, aut attestantur; nam multos præter spem omnem seruari cõtingit, qua ratione vulnerati nequaquàm destituendi sunt, quamquàm notæ letales, paucæ, vel quàm plurimæ, aut leues,

a ¶ 2. aphor. 3. & 7. aphor. 60.
b ¶ 2. De mor. popu. & 5. aphor. 66. 67.
c ¶ Lib. de Coacis prænot. & li. de Cal. curat.
d ¶ 1. pronost. 25.
e ¶ 1. pronost. com. 25.
f ¶ 5. aphoris. com. 22.
g ¶ Hipp. 1. pronost. ult. Celf. lib 5. cap. de fenic. Gal. 1. de diffi. feb. ca. 8. Aui. 3. 4. tract. 1. cap. 23. & 4. 4. tract. 3. cap. 1.

aut vrgentes nunc eius, nunc serius apparuerint, quæ profectò ob corporum patientium diuersitatem euenire solent, nempè iuniorum, senum, audacium, & pusillanimorum: atque si cacochyma, aut pura fuerint, iuxta sexum, anni tempus, viuendi modum, & chirurgiam. Sed iam ad alia transeundum est, ne sermones adeò prorecti tædio quempiam afficiant, quos tamen necessarios arbitrati sumus, omnium quippè accidentia teste Aristotele [a] magnam partem confe-
runt a cognoscendum quod quid est, ea quidem modo propria sint, ad capitis vulnerum, & fracturarum cognitionem certitudine quadam nos conducunt.

a ¶1. de Anima com. 11. Gal. 1. ad Glau. cap. 1. 3. de crisi cap. 4. & 1. de loc. affec. cap. 1. Auic. 1. 1. cap. 20. & 1. canticorum. 123.

Tertius nunc relinquitur modus quo prædictarum passionum vim naturam & magnitudinem assequimur. is per quasdam coniecturas potius, quàm per certitudinem ex proprijs signis deprehenditur. de quo vt in nullo deesse videamur, & absolutam vtilitatem seduli Chirurgi nanciscantur, sermo habendus est. Octo quidem numero sunt ad fracturarum naturæ cognitionem adipiscèdam idonea, quæ coniecturali uia assequimur. Primum est causa aliqua remota nempè corporis seu teli percutientis substantia, forma, & grauitas. nam hæc ad morbos dignoscendos conferunt. quanquàm ab eis tanquam a causa externa curationis modus non assumitur; hinc factum est, quòd Hippocrates & Celsus protinus consideranda putauerint lapide ne an ligno, an ferro, an alio telo percussus sit; & hoc ipso leni, an aspero, mediocri, an vastiore, vehementer, an leuiter; quia quò maior fuerit teli, aut lapidis, seu cuiusuis similis substantia, ac moles, eò magis fracturæ forma, & magnitudo efficitur: si telum curuum, vel rectum, breue, vel longũ, acutæ acies, vel hebetis fuerit, tale & vulnus necessario consequitur, iuxta eius formam, & magnitudinem. Secundum, percutientis ætas & robur. nam Iuniorum, militum ac rusticorum ictus grauiores, ac fortiores, quàm senum, molliumque corporum creduntur. Tertium, vulnerandi modus, siquidem tela quæ ex obliquo os sauciant minus illud rumpunt, quàm quæ è directo. Quartum, loci distantia; qui enim ab alto aut in maximis ruinis cadunt, aut à telo longius adueniente lædantur, facilius fracturam in ossibus patiuntur quàm qui propinquius vulnerantur. Quintum, capitis sedes affecta. differunt nanque inter se capitis ossa crassitie, duritie, & tabularum ordine: quæ igitur crassiora, duriora, solidioraque sunt naturaliter magis percussionibus resistunt. Sextum, patientis ætas, sexus, exercitium, ac victus ratio, propterea quia consistentium ac laborantium corpora minori detrimento noxam suscipiunt, quàm infantium, mulierum, timidorum, ac eorum qui sub vmbra, & molli victu absque laboribus degunt. Septimum a percutientis animo assumitur, quia minori cum periculo repentina, ac subito illata percussio erit, quàm præmeditato ac iam constanti, irato, & constituto animo. Octauum a quibusdam Chirurgorum recentiorum experimentis desumitur, quæ plerunq; fallacia reperiuntur, aliqui vt fracturam agnoscant os cranij detectum leuiter specillo percutiunt sonumque attendunt, qui si raucus appareat fracturam omnino adesse credunt, aliqui dentibus vulnera ti filũ cera obuolutũ vel siliginem palearn, aut hædinam chartam interponunt. inde caput oppositum leuiter trahentes, si talem motũ æger horreat aut noxam ex ipso percipiat fractũ os esse dijudicant. alii dentibus auellanam frangere iubent, cumq; id fieri nequit, aut ex constrictione dolor capitis moueatur calua-
riam pariter fractam testantur. Experimentum Hippocratis est in prænotionibus Coacis; vbi habet Exhibeto ad manducandum in vtraque maxillam asphodeli caulem, aut ferulam, ita vt animaduertere iubeas an os aliquod ipsi strepere videatur. nam fracta strepere videntur. musculi siquidem temporum ad dentium constrictionem agentes adiuuant ad ossis stridorem; nonnulli lumen oculis languentium apponunt. quod si effugiant, ossium fractorum & internarum partium affectum aliquem indicant. quod magis ex Hippocratis sententia probabile,

est

est [a] dum inquit, Letale signũ iudicatur si languentes lucem effugiant, aut nolentes lacrymantur, aut distorqueantur, nam lumen aduersari, propter visus facultatis imbecillitatem accidere solet, quæ interdum laborat ob cerebri vehementem concussionem. Antiquorum præterea mos erat, vt certè caluariæ fracturam agnoscerent, præsertim in angustissima Rhogme seu capillari fractura eam medicamento aliquo nigro imbuere, demum scissuram ciclisthis deradere, quoad omnis nigredo deleretur; ac absoluta fracturæ altitudo tolleretur: porrò quia hic modus Hippocratis est, adhuc vbique obseruatur: quidam etiam vulnerati occlusis ore & naribus, spirituque retento ac impulso ut caluaria vndique dura meninge repleatur ex arteriarum spiritibus & sanguine, sedulò animaduertunt an qua parte vulnus est ampullæ, aut humiditates aliquæ emanent; quod experimentum aspernabile quidem non censetur. quot undam etiam visus erat ossibus medicamentum ex oui albumine ac mastice imponere, & sic per diẽ sinere, quo sublato vbi siccatum os reperiebant, fracturam ibi adesse arbitrabantur. Sunt & quàm plurima alia fallacia quidem medicamenta silentio inuoluenda, cùm satis superque quæ ad naturæ ac fracturarum uim necnon internorum affectuum cognitionem pertinent, in medium adduxisse videamur, à qua curationis methodus, aut breuis aut longus, ac de morte & vita prædicendi modus optimè sumi potest. potissimum patientis vires ac ætatem & affecti membri dignitatem seu officium, substantiam, temperiem, situm & quantitatem obseruando, alterius morbi complicationem, nec non symptomatum valetudinem considerando.

a ¶1. prognost. 13. Cel. lib. 3. c. 18.

DE CALVARIAE FRACTAE AC INTERnarum læsionum præsagijs. Cap. V.

PRAEDICTIONES nõ aliundè quàm ex recto iudicio in medium ducuntur; quod [a] & si difficile sit, tutò tamen Medicus rationibus motus veritatem præsagire solitus est, perpetuò [b] motus naturæ omnes, bonum vel malum significantes pernotans, vt potè diem quartum, septimum, undecimum, decimumquartum, decimumseptimum, vigesimum, & vigesimumquartum, interdumve & quadragesimum, attamen id semper sub quibusdam conditionibus quod sentit efflagitantibus, affinibus asidentibus, & amicis vulneratorum enun-
ciet, nam melius est [c] in caluariæ fracturis silentio pertransire, quàm prædicendo hallucinari, quod sæpè has læsiones tractantibus euenire solet. Cæterum [d] cùm medicus prudentem se præstare laboret rectè prædicendo, nihil perindè ipsi conducibilius existimatur, & homines illi credere magis audent, & ipse magis tempestiuè symptomatibus obuiam ire valet, nautarum instar, qui eminus procellas marisque exæstuationes prospiciunt. quòd si iuxtà prognosticum euentus accidat, non est cur dicatur medicum vel fefellisse, vel ignorasse, quanquàm res ad vota non successerit, quemadmodum de Empiricis prædictiones paruifacien-
tibus dici potest, quos affectus naturam, siue essentiam latere uidetur. Porrò [e] primarium iudicium a virtutis robore sumitur, nam innatus calor naturæ instrumentum omnia facit, medicus verò minister est, quocirca vbi deficit virtus, operandi modus non datur, ac inde mala prædictio oritur, magisvè si letalia [f] symptomata confertim, & simul inuadant, vel vt superius diximus per se sola appareant, & est secundus prædicendi modus. Tertium sedis affectæ præstantia, compositio & vsus prædicendi modum indicat; nanque dictum est [f] Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo, aut ventriculo, aut iecore, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, letale est. Cerebrum igitur vtpotè nobilissimum, aut

a ¶Hippo. 6. de mor. popu. & 1. aphor. 1.
b ¶Gal. 1. dierũ crit. cap. 10.
c ¶Gal. 1. dierũ crit. cap. 12.
d ¶Hipp. 1. præfag. in prin. Gal. lib. de const. arm. cap. 16. & 1. prognost. có. 1.
e ¶Hipp. li. Epidemiarum. Cel. lib. 2. cap. 9. Gal. de art. par. m. ca 87. Auicen. 1. 4. tract. 2. cap. 8.
f ¶Hipp. li. 1. de morbis lib. de Coac. prænot. & 6. apho. 18. Cel. lib. 5. ca. de uul. mor. Auic. 4. 4. cap. 2.

membranæ ipsum inuoluentes cum læduntur mortis periculum imminet, siquidem [a] sensus & motus initium est, ac [b] virtutis animalis fundamentum, & [c] omnium suarum operationum causa, atque ob innatam eius humiditatem, & ad varia excrementa suscipienda aptitudinem non nisi perrarò, aut magni Dei nutu a vulneribus saluatur: verùm [d] si oblæsis tantùm tunicis eius substantiæ integra seruetur, minoris timoris est, quèadmodũ lõgè minoris etiam si in eis affectus nullus appareat: insuper Hippocratem ita loquentem audiamus, si modo verba illa sunt Hippocratis, vt arbitramur, nam in quàm plurimis antiquissimis codicibus ita sonant, Nullum capitis vulnus facile contemni debet, sæpe enim cutis sola contusa ferro, aut alia aliqua re, si non diligenter, & cautione quadam curetur, veluti si sanguis concretus non expurgetur, aut aliud quiddam negligatur, vlcus increscens non parum molestiæ exhibet, & aliquando etiam febrem inducit, & medico quidem negotiũ, ægroto verò periculum non minus affert. ergò hæc multò magis contingere possent, cerebro, aut membranis disruptis: Quare si non singula hæc diligenter medicus curauerit, sæpè mortis causa existit. siquidem [e] ad cutim capitis nerui multi sensibiles a ceruice propagantur, cerebro patiente [f] patitur necessario simul & diaphragma, ac reliquæ partes cordi, ac respirationi inseruientes, quo fit ut ipsius cordis temperamentum destruatur, & mors indè occurrat. Quartò a capitis parte læsa quandoque indicium sumitur. iam ab Hippocrate dictum est, prima medici consideratio est locus affectus; affectio, & affectionis conditiones: naturaliter ossa calauriæ imbecilla sunt ratione continentium. carnem enim habent ea vestientem tenuissimam: ratione contentorum. Siquidẽ immediate sub ea meninge & cerebrum cõseruãtur: ratione annexorum. nam nerui oẽs, venæ, & arteriæ multæ, & nucha illi annectuntur, singulatim vero sincipitis ossa percussa admodũ periculosa sunt, cum tenuiora, ac debiliora cæteris partibus existant, ac minima carne concecta, plurimumque cerebri sub hac parte contineatur: ac magis & minus efficitur malum, iuxta teli genus, pondus magnitudinem, ac paruitatem, necnon iuxta percutientis robur, & voluntatem. Quæ [g] verò temporibus accidunt, magni timoris iudicantur, ob temporis ipsius musculi naturam, in quo venæ, arteriæ, & nerui multi disseminantur, est acuti sensus, & ibi futuræ etiam debilissimæ reperiuntur, ac maxilla inferior illi parti alligatur, cui etiam auditus meatus inseritur. quapropter sincipitis ac temporũ Chirurgia ab Hippocrate, & Galeno reprobatur, cùm hæ sedes doloribus, inflammationibus, ac cõuulsionibus facillimè subiiciãtur. Suturarum pariter omnium, vulnera ac contusiones verendæ sunt: cranij enim imbecillitates augent, cum per eas dura meninx transiens pericranio alligatur, & suspenditur, sicuti non admodum periculosa quæ posteriori capitis parti infiguntur, cùm os ibi crassum, ac durum, cerebellumque subsit, paulò solidioris substantiæ, quo fit vt qui hac parte plagam subeunt facilius mortem euadant, quàm qui in anteriori, aut lateralibus partibus vulnerantur. Ex [h] animalium quoque naturalium, & vitalium operationum qualitatibus iudicium sumitur. nam quiescere, ac mente constare, somnum capere, facile spirare, siti non confici, cibum non fastidire, non dolere, si febricula fuit, ea uacare, itemque habere pus album, lene, æquale, non fœtidi odoris, quantitatis conuenientis, optimi præsagij causæ sunt, & si vulnus magnum fuerit; secus verò si huiusce modi res uehementer vrgeant, ac extra debitum tempus apparuerint. Rursus si excrementa naturalia iuxta modum fuerint, & qualitate ac quantitate conueniẽti se habeant, salutis spem afferunt, contra verò, timorẽ adducunt, quod ex Hippocrate [i] habetur cùm dicit Quibuscunque ex vulneribus extenuatis nigra bilis, siuè sanguis niger desuper exierit, postridiè moriuntur; & à nobis verè obseruatum, est eos quibus diarrhæa, aut dissenteria sponte superuenerit, ferè omnes periclitasse, ac quãplures etiam qui pollutione uexantur. Vrinę [k] quoque perturbatę, quales iumentorum, & quæ subiugales vocantur, cùm

a ¶Gale. lib. de motibus liquidis.
b ¶Gal. lib. 5. de loc. aff. cap. 1.
c ¶Gal. 9. de usu par. cap. 4.
d ¶Aui. 1. 3. tract. 2. cap. 26. & tract. 3. cap. 14.
e ¶Gal. 10. de usu par. c. 9. Aui. 2. 3 Doct. 2. c. 2.
f ¶Gal. 5. de not. loc. aff.
g ¶Hipp. lib. de Calu. curat. Gale. 6. meth. ca. 6. 9 de usu part. c. 5. & 2. meymir ca. de soda a per cussione.
h ¶Hipp. 1. prognost. 10. Cel. lib. 7. cap. 3. Gal. 1. de Crisi c. 14. Paul. lib. 2. cap. 3.
i ¶4. aphor. 23.
k ¶Gal. 4. apho. com. 7.

cùm maximam humorum corruptionem ostendant, necnon albæ [a] & perspicuę vtpotè indicantes flauæ bilis copiam ad caput sùmmodò rapi, mala signa sunt: præterea pulsus extensus, & durus neruosarum partium inflammationem, durus verò & inæqualis conuulsionem, languidus autem, si & accidentia praua eidem consequantur, mortem propinquam minatur. Pereunt plerique, quibus dolor, aut inflammatio oculis oboritur, nam a Galeno dictum est [b] quibus dispositio intra caluariam est, his ad oculorum radices dolores perueniunt eò quòd oculorum nerui à cerebro, & tunicæ à membranis originem ducunt. Hæc omnia magis timenda sunt si patientis caput calidum naturaliter præter modum fuerit, aut destillationibus uel Erisipelatosis affectibus obnoxium. Optimum salutis indicium est ægri facies, si similis beneualentis sit, atq; sui potissimum. si verò quàm maximè contraria fuerit, exitiosissimum est. nasus enim compressum, oculi concaui, astricta tempora, aures frigidæ, contractæque, corporis totius color uiridis, aut niger, mala, ac letalia sunt signa. ex opposito verò [c] spem certam faciũt membrana mollis, mobilis, ac sui coloris, caro increscens rubicunda, ac ceruicis & maxillæ quietus, ac facilis motus. Epilogando itaque dicere expedit præsagiendi modum sumi debere in vniuersum, à virium robore, à morbi magnitudine, & à malorum symptomatum natura & quantitate: verumtamen quàm plurima sæua accidentia in variis caluariæ fracturarum formis uisa sunt, nec vulnerati periere: quod prouenire potuisset aut magni Dei voluntate, aut periti medici solerti curatione, aut quia virtus omnia agens, valida quidem, ea correxit ac profligauit, aut quia aliunde, quàm a caluaria fracta, causam traxerunt; ad quę omnia maximè etiam patientis quies atque constantia contulisse uisa est.

a ¶Hipp. 4. aphorif. 72.
b ¶2. de Comp. med. secundum locos. ubi de Cephalea.
c ¶Cel. lib. 8. c. 4.

DE REGIMINE FRACTVRARVM
Caluariæ in sex rebus non naturalibus. Cap. VI.

QVAMPRIMVM medicus ad ægrum accesserit, illicò capillos circa vulnus abradere faciat, postmodum tria mente reuoluat vt operis finem, & quod deceat assequi possit: vulneris nempè ac fracturæ essentiam, capitis affectam partem, ac præterita, & quæ deinde apparent accidentia; postmodum vbi quidquam præter naturam in vulnere contineatur vt lapidis frustulum, aut ligni, aut ferri, aut ossis ex fractura, aut capillorum copia, aut quid simile, illud propriis digitis, aut Volsella, aut alio instrumento tutò atque eleganter extrahere nitatur. Demum si caluariæ depressio, aut separatio talis percipiatur vt facilè attolli, aut remoueri possit, illud fiat, & si aliud quid tunc temporis vulnus exigat, veluti si cutis sectio non satis pateat, ampliori diuisione aperienda est, vt suo loco vberius admoniturus sumus: si sanguis fluat oui albumine, aut aliquo puluere ipsum cohibente, ac fasciarum nexu supprimatur: æger intra tectum loco obscuro, & sub molli Culcitra se se contineat, promissáque illi salute ad quietem, pacientiam, obedientiam, ac animi hilaritatem adhortetur; assidentibus verò, affinibus, & amicis veritas à iudicio recepta patefiat. indè prudens medicus ad non naturalium rerum regimen intentionem dirigat. Cùm enim humanum corpus in ambientem aerem per cutis poros continua resolutione dissipetur, necesse est subiectum materiam minui & alterari, nisi aliquid tanquàm fomentum perpetuò influat, vt id, quod deperditum est refarciatur; & hinc efficitur vt partibus cuti subiacentibus inanitis ob earum insitam vim attractiuam vicinæ partes pariter inaniantur, mox illæ rursus ex sibi vicinis alliciant, vt id, quod inane erat, repleatur,

ita ex proxima quaque parte facto semper celeri tractu perinde quasi in choro, siue ordine quopiam, tandem venæ ad ventriculum productæ inanes euadunt, quæ & consueuerunt, & possunt cibum ex ventriculo ad se conuellere, veluti stirpium radices in terrã demissæ. Iccircò aer, & ciborum, & potus genera, & somnus atque vigilia, & motus & quies, & animi accidentia vtpote nonnihil ad concoctionis perfectionem attinentia, considerare oportet. Dicuntur portò non naturales, quoniam non necessariò corporis humani constitutionem ingrediuntur, quanquam ipsum alterare possint. cautè igitur in his procedatur, nam ex incõgruo harũ rerũ regimine accidentia mala interdum & mors subsecuta est, dicãt quicquid velint Empirici, qui contrarium sentire videntur, atque indifferenter, vt ægris obsequãtur, ordinem peruertunt, in initio, & in cruentis vulneribus carnes, oua, caseum, ac vinum concedentes, atque huiusmodi crassiorem victum instituunt, hac imprudentia ducti virtutem perpetuò optimo alimento, veluti omnium operatricem, corroborandam esse, omnes humorum fluxiones ad defatigata loca paruipendentes, ac inflammationis facilem ortum ex victu tali prouenire nescientes; alii verò victum adeò tenuem instituunt, vt vix ptisanam exhibere permittant, quò fit ut corpora uoraciora, ac laboribus dedita noxam incurrant, & ob id accidentia uaria, atque timenda oriantur.

DE AERE.

AEr aere itaque exorsi, utpotè ambiẽte, & in quo uitam ducimus, & a quo necessariò alteramur, dicimus cum in capitis uulneribus, & caluariæ fracturis temperie calidum & siccum requiri: qui si natura talis non fuerit, arte mutetur, frigidus enim aer, ueluti & cætera corpora frigida actu, dum circa fracturas uersamur, abigendus. siquidem frigidum [a] inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ est, calidum uerò utile; hinc Auicenna in qualibet cranii fractura etiam æstiuo tempore frigidum cauere iubet, & Hippocrates ait cerebrum, & quæ ab eo proueniunt frigidis afficiuntur, quemadmodum calidis gaudent, & si natura frigidum sit: propterea quibusdam uisum est frigidũ actu tantùm cerebro inimicum, non autem potentia, cùm interdũ frigido ubi sanguis fluit, aut ad præseruandum, aut ad tollendam inflammationem utimur, & magis potentia, quàm actu. cuius meminit Hippocrates [b] dicens frigidum actu scilicet, hæc mala affert, conuulsiones, distensiones, liuores, ac rigores febriles, ulceribus [c] quidem mordax, cutem obdurat, ac dolores intolerabiles facit, nec dubitandũ quin cerebrum frigidis afficiatur. Galeni [d] quidem sententia est quod cerebrũ maximè à frigore lædatur, ac communi opinione tenetur, cerebri inflammationum potissimam causam frigus esse: quapropter ægri in domiciliis, ac cubiculis paruis undique occlusis, & calidioribus detineantur, ut aer frigidus, crassus, turbidus, aut nebulosus, aut ualdè subtilis, seu quouis alio modo alteratus uitetur: quippe in corporibus [e] nostris facillimè agere solet: locus ergo lumini oppositus necessariò requiritur, qui multùm languentibus prodest. nam dicebat Hippocrates libro de Medico, Primùm quidem locum domus habere oportet, qui sanè talis sit, ut neque uentus ad ipsum accedens molestus sit, neque sol, neque splendor infestet, lux enim splendida medentibus quidem non est molesta, non similiter autem ægrotantibus: itaquè talem splendorem penitus fugere oportet; nec propterea calidissimus probatur, cùm febrem accersire possit, ac aliunde materias capiti attrahere; quapropter temperatus exigitur, quem probauit Hippocrates [f] in ossium fracturis nudis præcipuè, & his maximè, quæ in capite sunt, quò fit ut Chirurgi ualdè decipiantur, & aberrẽt dũ prodesse credunt plurima lintea mina, fascias, stupas, pellem, & calorem adaugentia, aut medicamenta admodum calida, aut terreas tegulas accensas, aut simile aliquid apponẽtes capiti oneribus

non

a ¶Hipp. lib. de humid. usu lib. 1. de fract. & 5. aphor. 18. Cels. lib. 1. cap. 9.

b 3. Reg. act. 14. li. de humid. usu & 5. aphor. 17.

c ¶Hipp. lib. de ulceribus lib. de humid. usu & 5. aphor. 20.

d ¶8. de utilitate par.

e ¶Gal. 1. de tuen. ualetud. 2. de Crisi cap. 3. & 3. meth. cap. 8.

f ¶ Lib. de humid. usu li. 1. de fract. & 5. apho. 22.

non assueto, & quod natura à calido læditur; quod innuit Hippocrates [a] cùm dicit fasciæ, mundæ, leues, molles, tenues nè uitiatus locus oneretur, neve malorum uaporum transpiratio prohibeatur, & calor augeatur, & ob id si malorum symptomatum timor aderat, nec fasciis caput aduoluebat. Ad eũdem modum & humidus aer uitandus, rheumatum siquidem ac putredinum causa esse solet. Sic cus nimis pariter obest, dolores affert, & locum inflammatum facilè reddit. Autumno igitur ac Hyeme ignis ex lunipero, Cypresso, aut Fago accendatur ne cerebrum afficiatur, uti ex carbonibus, a quibus stupores, sternutamenta, & capitis grauitates oriri contingit: hinc Celsus [b] inquit uitanda quæcunque mandenda sunt, item fumus, & quicquid excitat sternutamentum. Ergo ut temperatus aer reddatur, aut aliquantisper calidior, huiusmodi ignis accendatur, atque ab ægro quàm possit longinquius. Obscuritas adhuc confert, nè ab obiectis exterioribus plurimi spiritus moueantur, atque resoluantur. tenebræ enim [c] ad animi quietem probantur. nam ut dictum est [d] lux splendida medentibus quidem molesta non est, ægrotantibus uerò non similiter; itaque [e] talem splendorem penitus fugere oportet, per quem oculos ægrotare contingit: quocirca obscurum conclaue habitare, & lecto ualdè molli quiescere, diuq; quietem sustinere, & quàm minime proiicere ac se se iactare, fracta caluaria maximè iuuat. Sub Cane uerò, ac tẽpore magni æstus, & calidiori constitutione aer [f] ad temperiem per contrariũ dispositionem reducatur, flores scilicet, & germina, quæ frigidæ sint facultatis, per aream, & thalamum proiiciendo, modò uulnus non increduescat, & æger noxam percipiat. Hæc itaque de aere particulari dicta sint: quod autem ad regiones attinet, meridionalis calidior existit, sicut borealis frigidior, ima loca, & ualosa, calidiora, montana uerò frigidiora experimento iudicantur. iuxta etiam anni tẽpus, Ver saluberrimũ est, Aestas medio modo se habet. Autũnus, & Hyems, periculosus. Chirurgorum quorundam sententia est, quòd aer natura crassior subtiliori salubrior existat, & hinc forsan euenit quòd Venetiis, Ferrariæ, & similibus ciuitatibus, & locis, insignia capitis uulnera mirum in modum sanitati reddantur: secus uerò Florentiæ, Perusiæ, & locis montanis, in quibus admodũ subtilis aer spirare solet. Siquis tamen anceps esset in capitis plaga de aeris natura ac dubitaret nunquid magis calidus, aut frigidus aer competat, cùm Hippocrates [g] in uulnerum capitis curatione calidum magis probauerit: & alibi [h] dicat in Hyeme diutiore tempore uiuere hominem, quam in æstate: ob id igitur tempus frigidum magis probatur; Insuper [i] eius sic uerba sonant, plerisque ulceribus tempus calidius commodius est hyeme, exceptis his, quę in capite sunt, & uętre, magis uerò æquinoctium; His [k] respondetur ambiens & cœlum, in quo uiuimus è præsidiorum numero unum habetur, si contrariam morbo temperiẽ habet, gauderque [l] medicus si cum ijs, quæ morbus facienda suadet, est cõcors, talis enim iuuat, ueluti contrarius aduersatur. Frigidus itaque aer, inquantum est frigidus, præseruat, & humiditates a putredine arcet, quę in capite, ac thorace, utpotè partibus cauis, abundare solent, atque illis detrimentum afferunt, ac in eis facillimè corrumpuntur, si expurgari nequeant, aut a natura, aut aliquo instrumento, aut deligationum industria, quanuis in articulis, aut alibi interdum cõpetere uideatur; præterea ex partium externarũ ob frigus stipatione, calor ad intima fertur, nec dissipatur ut in æstate, ualidiorque efficitur intus, & benè concoquit, ubi manus adhiberi non potest. Hippocrates [m] hac ratione adductus dixit, Est autem ubi in distentione sine ulceratione, iuuene benè carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat: calor enim hæc soluit. Confert igitur frigidum ueluti præter uatiua causa, per accidens tamen, & non per se, neq; ad curationem necessario, neque in omnibus capitis uulneribus, sed in aliquibus, uariis symptomatibus adiunctis, nec omne frigus, sed temperatũ, ut in Aequinoctio, quod frigidum est respectu magni æstus, in quo ex uictus ratione, & fructuum horario-

rum

a ¶Lib. de Officina med. lib. 2. de fract. & lib. de Cal. curat.

b Lib. 8. cap. 4.

c Cels. li. 3. c. 4.

d Hippo. lib. de Medico.

e Hipp. 4. re. ac. 49.

f ¶Gal. lib. ar. part. med. ca. 85.

g Li. de humid. usu. & 5. aphor. 18. & 22.

h ¶Li. de Calu. curat. Cel. lib. 5. ca. 26.

i ¶Lib. de ulceribus in princ.

k ¶Gal. 3. meth. cap. 8. & 1. ad Glauc. ubi. de feb. cont.

l ¶Gal. 9. meth. c. 14.

m ¶Li. de humidi usu & 5. aphorisa 1. Aui. 2. 3. doct. 2. cap. 7.

rum usu, putredines, & bilis copia augetur, ac humores liquefacti facillimè ad de- 19
fatigata loca defluunt. Quapropter frigidum nunquàm, sed calidum temperatum probandum esse existimamus.

DE CIBO ET POTV AC MODO NVTRITIONIS.

MAGNVM profecto in omni morbo auxilium est, cibus, tempore, modo, & qualitatibus opportunis, exhibitus. & Celso autore, initia morborũ famem & sitim desiderant, hac ratione modicus [a] cibus, & aqua omnibus ulceribus quàm maxime conducit, magis uerò recentioribus, quàm uetustioribus, maximè autem omnium fracturis in capite, ac fœmore, & si cui alij parti 20
fractura contigerit. quod Cellus [b] elegantissimè approbauit dicens, quod ad abstinentiam, & primos, ulteriores q; cibos, potiones que pertinet, eadem, quæ in uulneribus præcepi, seruanda sunt, eò magis, quò periculosius hæc pars afficitur: præceperat [c] siquidem cùm antea dixisset, abstinere quantum uires patiuntur ante inflammationem à cibo debet, bibere, donec sitim finiat, aquam calidã, adeò tamen nihil perpetuum est, sed semper pro uiribus corporis æstimandum, nanque imbecillitas, ætas, consuetudo tenuem, ac exiguum cibum non sustinet: quò fit ut protinus medicorum communi [d] sententia uberior cibus interdum exhibeatur, atque ante ullam curationem si opus est, uino ægri reficiantur, quod alioquin inimicissimum uulneri est: porrò [e] quotidianum experimentum attestatur plerosque ex tenui uictu, & longa inedia syncopam, ac capitis dolores incurrisse, atque eos præsertim, quorum uentriculi concoquẽs facultas ualida fuerit. quæ cùm in exiguum cibum concoctu facilem agat, ipsum confertim absumit, ac propemodum adurit. inde uaporibus ad caput eleuatis dolor excitatur, famemque dum tolerat uentriculus malis repletur humoribus, & in ipso dolores, ac languores sentiuntur, quos denique cerebri affectus uarii sequuntur. Quocirca Princeps Auicenna [f] absolutam abstinentiam bilioſis corporibus, ac laboribus deditis, uoracibusque detestabatur, natura [g] siquidem repentinas mutationes non patitur: Galenus [h] itidem dicebat longæ inediæ his, qui calorem habẽt ad igneam naturam propensiorem, præter alia mala, febrem afferunt. Sæpe 40
[i] etiam in ijs magis necessaria festinatio cibi est, qui inediam minus tolerare possunt. quod affirmatur octauo Methodi capite primo, ubi de mente Hippocratis sexto Epidemiarum ait Galenus, qui bis die, præsertim picrocholi, id est homines bilioſi, comedere solent, si non prandent, ægrotant. Insuper [k] in morbis longis tenuis uictus periculosus: maior enim in hoc accidit error, quàm in paulò pleniori uictu. Cæterùm [l] cùm per gradus uictus ratio distinguatur, nempe tenuissima, ubi uix melicratum usque ad tempus iudicationis exhibetur. Tenuis altera, quando ptisana utimur, & eius terminus est uirium resolutio Plena & crassa. Tertia est, quemadmodũ quotidiano usu seruatur, sub quadam tamẽ cõditione omnes iuxta temporum diuersitatem, ægri consuetudinem, ac temperamentum ap- 50
probandas censemus. Tenuissima [m] quidem & more Hippocratis uilis dicta in principiis ad septimam usque diem, præsertim in plethoricis corporibus, & quæ malis scatent humoribus probatur: Tenuis autem usquequò inflammationis aut alicuius symptomatis suspicio præterierit, cuius terminus [n] decimus quartus dies existimatur. Crassa uerò, pacatis omnibus accidentibus, ac sigillato uulnere, aut paulatim pro ratione ad quemlibet uictum reuertatur: Verùm cùm nullus sit qui tenuissimo uictu usque ad septimum perdurare possit, nutritio ex ptisana, addito pauco saccharo si æger ipsa delectetur, aut ex pane loto saccharo identidem admixto, uel titubante uirtute ex panis micis in pullorum gallinaccorum, aut hædi, aut uituli iure decoctis, hac tempestate obseruatur, nos uerò cibũ minoramus & augemus, prout morbus, & uirtus requirẽt: atque ut uaporesẽ a uentriculo subla-

ti

a ¶Hipp. lib. de ulceribus. & lib. de fract. in fine. Cel. lib. 2. ca. 16.

b ¶Lib. 8. cap. 4.

c ¶Lib. 5. ca. de rat. uictus uulneratorum.

d ¶Hippo. 2 re. ac. 36. & 1. apho rism. 17. Cel. loco ut supra. Gale. 6. de tuẽ. ualetud. & 8. meth. cap. 9 Auic. 1. 4. tract. 2. cap. 8.

e ¶ Gale. 2. ad Glauc. & 3. de comp. med. secũdum loc. ubi de his qui ex stomachi uitio laborant capite.

f ¶1. 4. cap. de ci bat. febr. & 4. 1. cap. de purgat.

g Hipp. 6. Epid. par. 3. Gal. li. art. par. med. ca. 86. 2. Reg. acu. com. 36. & 1. ad Glau.

h ¶2. aphor. c6. 22. 7. apho. cõ. 9

i ¶Cel. in proh.

K ¶Hippo. 1. 2. apho. 4. & 5.

l ¶Gale. 1. reg. ac. c6. 2. 1. 2. reg. ac. com. 21. & 1. aphor. com. 4.

m ¶Hipp. li. 3. de fract.

n ¶Hipp. lib. 3. de fract. Gale. 3. meth. ca. 8. & 3. Catageni in fermoue uniuersali de cura ulcerum.

ti reprimantur, assumpto cibo uentriculus ipse roboretur, parum sacchari rosati, aut uiolati, seu diacitonitis ex saccharo, aut citonium ipsum, aut pyrum sub cineribus coctum saccharo inspersum exhibemus. At si sitis urgeat, malorum granatorum usus probatur. reprimit enim bilis feruorẽ. quod si septimam uacare accidẽtibus nouerimus, pane iure ex prædictis infuso usq; ad decimumquartum æger alendus est, ac, si uires requirant, caro ipsa concedatur. postmodum recedẽtibus prorsus omnibus accidentibus, oua sorbilia recentia, postea carnes uberius concedendæ sunt: moxque curatione ad optimum finem tendente, quæ ex optima sanie, accidentium remotione, & carne subnascente dignoscitur, uictus ratio [a] paulatim adaugenda est, prohibitis tamen ijs quæ difficulter concoquuntur, nempe 20
lacticiniis, oleribus, leguminibus, fructibus, carnibusque sale conditis, ijsque crassis perpetuò dimissis, nec non & piscibus, exceptis fluuiatilibus, & qui inter saxa degunt, ac in uniuersum omnibus cibarijs, quę caput offendere quoquomodo ualeant. Si uerò breui tempore curatio ob uulneris naturam, absolui nequeat, præter hædorum ac uitulorum, perdicum quoque, turdorum, merularum, ac paruarum auicularum nemoralium carnes propinare conueniet. Potus uero paucum uinum, clarum, rubeum, & odoratum, quod Græci oligophoron uocant, existat, idque magis dum substantia illa cartilaginea, compacta ac densa quam, Græci in aliis fracturis porum sarcoidem, Arabes alrosboth, & Latini callum uocãt, in his fracturis gignitur, quo tempore etiam uiscosum alimẽtũ commendatur. Capi
30 tis igitur ingentia uulnera qui susceperunt, hoc alendi modo sunt regendi, & eo magis si letalia accidentia nõ apparuerint, quibus urgentibus ratio uictus tenuis sine carnibus & uino obseruetur. quanquam interdum ad diem uigesimamquartam eam sic protrahere decet, & nos sæpe etiam ad quadragesimam, & ultra sine ullo incommodo tali uictu ægrum deduximus. At si ob maximum cerebri affectum ægri cibum respuant, uel tenuissimus uictus requiratur Arabum auctoritate [b] primis quidem diebus hordeacea aqua uino granatorum affuso, tantũ exhiberi debet. postmodum cerebris gallinarum nutriri, utpotè cerebro cõcusso mirè competentibus, ipsum nempè corroborant ut quidam attestantur, & sanguinis 40
fluxum ipsius cohibent. At quoniam ne uerbum quidem Galenus de his cerebris protulit, quanuis [c] ferè similem uictus rationem probauerit, ipsis nunc non utimur, humidioris subſtantiæ, uomitumq; euocantia eadem esse existimãtes, quod forsan innuit Auicenna, cùm dixit, Licèt sit in eis sententia alia, attamen ipsemet [d] uentriculo uulnerato uitulorum, agnorumq; omasa tribuere uidetur. & Auerrois [e] sententia, substantiæ similitudine cibaria, iuuare plurimùm partem affectã testatur; pro aliquorum etiam interpretatione Galeni [f] uerba sic accipi debẽt, dicimus sanè communis omnium internarum partium indicatio est, ut ea eligantur, quæ animalis naturæ maximè sunt familiaria, siue ea cibaria sint, siue medica
menta, siquidem [g] cibus debet esse similis nutrito: Nos autem, ut uerũ fateamur, 50
nunquàm ob cerebrorum gallinarum exhibitionem cerebrum uulneratum sanitati restitutum uidere potuimus, licèt interdum id pernotauerimus ob tenuem victum, ratione institutum, ac conuenientium topicorum usu euenisse. Summatim uerò de potu dicendum adhuc est [h] quòd aquam, quousque accidẽtia quiescant, exhibere opportunum sit, & [i] uinum tanquàm uulneribus inimicissimum in aliquibus ad integram usque sanitatem relinquendum: Facessant igitur qui in Caluariæ fracturis, ac neruorum uulneribus uinum concedere audent. nam omnek vini genus, & si quàm maximè aquosum sit, halitu & tenuitate partium, caput facillimè petit, & alterat, neruisque nocere compertum est, cùm à naturali calore [l] in alimentum maturè uertatur, inde uaporum ac spirituum auctio fiat, quò fit ut cerebrum patiatur, & facultates animæ, quarum ipsum sedes est, depraueantur. Aqua itaque simplex cocta illis sit potus, uel cùm qua coriandri ebullierint, licet a quibusdam damnentur, utpote imbecillo uẽtriculo aduersantes, quorum etiã

nimius

a ¶Auic. 4. 4. de med. gener. car.

b ¶Rasis Oribasii auctoritate 6. ad Almans. cap. ult. Auic. 1. 3. tract. 2. cap. 20. & 4. 4. trac. 1. c. ult.

c ¶ . de comp. med. secundum loc. ubi de cura Sodæ a perc.

d ¶ 3. 3. trac. 4. cap. 74.

e ¶5 Colliget c. 19.

f ¶4. meth. ca 5

g ¶Gal. 1. de Elementis.

h ¶Hipp lib. 1. de morbis li. de Vlceribus. lib. de Calu. curat. & 3. reg. ac. 43. Gal. 2 Meymir ubi de Soda a percuss. & 3. meth. cap. 3 Aui. 3. 1. cap. de regimine aquæ, & uini.

i ¶Cels. lib. 5. c. de rat. uictus uulneratorum.

K ¶Gal. 2. apho. com. 18. Auic. 4. 1. cap. 1. & 2. 3. c. de paralysi.

nimius usus, Dioscoride [a] teste nocere solet, ac in [b] uenenosorum seminum genere enumerantur, ipsis tamen præparatis interdum utimur prohibentibus nimirum [c] uaporum ascensum ad caput, at [d] huiusmodi præparatu omni, noxa destituuntur, interdum parum quid admiscentes iuleb, uel syrupi rosati, uentriculum respicientes. nam eum corroborât, adhuc interim ad sitim extinguendâ, temperatura biliosa existente, aut æstiua constitutione, uinum granatorum infundimus: sunt qui hordeaceam aquam commendent, quæ, haud quaquâ uitio vacare aliqui [e] contendunt, cùm in uentriculo facile acescat, & corrumpatur, ac flatus expers non sit, uerùm ad tenuium humorum acrimoniam tollêdam, caluaria fracta, in potu commendatur. Quod autem apud nos magis probatur est aqua simplex non nihil cbullitionis perpessa, ac ut frigus, aut halitus, si quis in ipsa est, absumatur, sacchari, aut cinnamomi, aut fœniculi seminis pauxillo addito. Si uerò [f] primis diebus malum aliquod accidens ad uini concessionem compellat, uelut si uirtus imbecilla fuerit, aut sanguinis nimia copia effluxerit, aut uehementissimi ac diuturni dolores præcesserint, aut uentriculus frigidus sit, aut corpus cacheticum, & mala habitudine affectum, aut si mulier vtero laboraverit, illud aquosum, flauum, & prorsus inodoratum existat, quod Hippocrates [g] probauit, atq; in eius potione aquæ exiguum superbibendum, siquidem hoc modo uini potentia caput, mentemque minus tentabit, uel ad quorundam mentem, cui panis portio infusa fuerit, ut tenuiores, halituque plenæ partes, absumantur: tunc enim nec capiti, neque neruorum substantiæ obest. Vinum sanè probatur cùm caro recens gignitur, nanque [h] uirtuti robur, & sanguini temperies additur, præsertim si modicè assumatur.

a ¶Lib. 3. c 497
b ¶Dioſco. li. 6. cap. 6.
c ¶Auic. 2. Canon. cap. 144.
d ¶Auicen. 6. 4. ſup. 2. tract. 1. cap. 8.
e ¶Auic. 2. Canon. cap. 538.
f ¶Cel. lib. 5. ca. de rat. uict. uulnerat.
g ¶ 3. reg. acut. 41
h ¶ Gale. 2. de mor. & ſimpt. c. 3. Auicē. lib. de uir. cor. cap. 5.

DE PLENITVDINE ET EVACVATIONE.

ET si uulnera, fracturęve per se materiales morbi, aut ex plenitudine non sint, attamen corporibus athleticis, plethoricis, aut cacochymis vtplurimum occurrentes, opportunas euacuationes expoſcunt, si magnitudinis nomen assequantur: Nam [a] in huiusmodi corporibus & quæ leuia sunt uulnera ob humorum copiam, accidentia quandoque ualida comitâtur, ac verisimile est maiora in magnis fieri, in quibus corporis uniuersi depurgationem approbat Hippocrates, [b] quanuis nullum plenitudinis indiciũ appareat: Magna quippe capitis uulnera dici possunt, uel propter affectæ partis præstantiam, ved dùm sæua vrgent accidentia, vel propterea quia in amplum extendũtur, addamus euacuationem fore necessariam in omnibus vulneribus, in quibus aut sectio, aut dilatatio, aut ossis abrasio, opportuna fuerit: & morbus vehemens imminet: & euacuasse adsunt indicantes periculum fluxionum. Quapropter in his vniuersalis euacuatio primò emolienda est, nempe si nihil obstiterit uenam secando, ut uiriũ imbecillitas, ætas infantiæ, aut senectutis, malus corporis habitus, temporis constitutio & similia, ut diuertendo humorum ascensum prohibeamus, ne [c] inde dolores, ac inflammationes suboriantur, quæ à succo biliosо seu tenuiori sanguine caput natura petente ut plurimùm procreãtur. nec obstat si caput in corporis subimiori parte sit uetur, aut in aliqua operatione atroci dolore fuerit vexatum. aut ab eo copiosus effluxerit sanguis. nam ex Hippocrate pro confesso habetur, omnẽ caluariæ fracturã ab ictu vehementi produci, unde ne interna aliqua fortis cõcussio facta sit uereri oportet, ad quam inflammatio sequi solet. ob id in curãdis partibus uulneratis, propositum est, ut omnino ab inflammatione defendantur; hoc autẽ fiet, si nullus humor ad eas concurret; quæ omnia à præcautrice potius, quàm a curatrice facultate indicãtur. sanguis enim aliorum humorum pater est, cuius copiam primis diebus, plethora existente, ab oppositо latere a nigra aut capitali uena extrahere iustum est, in iunioribus, aut consistentibus abunde, nisi e

a ¶Gal. 4. meth. c. 6. 6. meth. c. 3. & 2. de compo. med. secundum loc. cap. de dolore cap. ex plaga.
b ¶Li. de Calu. curat. Lib. de Vlceribus. Lib. de fracturis & lib. de affectionibus Gal. 4 de rat. uic. ac. com. 16. & 4. meth.
c ¶Gal. com. 4. lib. de articulis 3. meth. cap. 3. Rasis 7. ad Alm. cap. 5.

uulnere copiosè effluxerit, omni [a] nanque recenti uulneri, nisi in uentre sit, expedit ex ipso statim sanguinem plus minusve effluere, quippe phlegmone minus tentabitur tum uulnus ipsum, tum quæ circumposita loca sunt: quòd si e uulnere parce emanauerit doloribus inuadentibus, inflammationibusque apparentibus liberaliùs educendus est, mittendus ex brachio vtique est si corpus iuuenile, robustum, & exercitatum fuerit, multoque magis, si id uulnus ebrictas præcesserit, sanguis in corpore abundet, & multùm tempus absque euacuatione præterierit, sin minùs, cephalica eiusdem lateris aperiatur, nec propterea illicò accepto uulnere sanguis mittendus est, tunc enim humores uniuersi, bilis præsertim, spiritusque in motu & alteratione existunt. at post quandam corporis ac animi quietem, itaque sanguis iuxta uirtutis, ætatis, & exercitii mensuram, necnon anni tempus, accidentiumque naturam extractus. Præstat etiam id fieri post absolutam cibi concoctionem, enæmateque præmisso, ut excrementorum communis euacuatio ex intestinis expleatur. Quòd si brachii uena secari nequit, tutò per cucurbitulas dorso applicitas, aut per Ani venas, quas hæmorrhoidas vocãt, sanguinem mittere licet. nam & hæ sanguinem a capite euertunt, idque pariter faciendum in utero gerentibus instante causa a quarto [b] mense usque ad septimum; nec non conuenit bis ac ter ad mentẽ Rasis robustis & exercitatis corporibus urgente necessitate, phlebotomiã reiterare, idq; magis ut corpora sicca seruentur. ad quẽ facit summopere sanguinis missio. Præterea si adhuc alicuius plenitudinis suspicio aderit, medicamento purgante corpus inanire oportet, & si nullum quidem uerbum de hac intentione fecerit Celsus. nam [c] purgatio uentris deorsum pluribus ulceribus confert, & uulneribus, quæ sunt in capite, & in ventre, & articulis. quapropter [d] humor ille euacuandus est, qui superabũdare uidetur, ac faciliùs ad caput ascẽdere potest, qualis est bilis, ac tenuior sanguis. nec obstat si caluaria fracta non doleat, aut non sit affectus materialis, ab humore aut fluxo, aut fluente productus, & quod medicamenta purgantia calefaciant, corpora & humores commoueant, ac insaniam faciant. nam quæ in simili affectu probantur pharmaca, tantũ lenientia esse debent, & non robusta seu eradicantia. siquidem huiusmodi indicatio a præcautrice potiusquàm a curatrice, facultate sumitur. igitur in hac præcautione lenientia medicamenta sint & non fortia & robusta. Erit igitur accommodatum pharmacum mirobalanorum omne genus Cassia, Manna, Rheubarbarum, Tamarindi, aut Syrupus violatus aut rosatus solutiuus, in robustis, & qui plethora abundant: Electuarium rosatum Mesues, aut de succo rosarũ, & id genus alia, admixta Cassia & Mirobalanorum decocto, vt uentriculus ac intestina leui euacuatione exonerentur, & caput uaporibus obnoxium minime reddatur. Sũt qui hoc opus libentiùs enæmatibus, quàm pharmaco aggrediũtur, quòd magis euacuando uapores etiam retrahant; quidam statim deligato uulnere clystere imponunt, ac postridie uenam secant, nihil aliud agentes, quãuis explicite nullum uerbum quidem de sanguinis missione proferat Hippocrates. [e] Non ab re autem nos arbitramur quotidie summo mane syrupum rosatum, ex intybo, ex lupulis, ex betonica, aqua Endiuiæ, oxalidis, cichorii, betonicæ roratum opportune exhibere, ut calor, si quis est, aut febrilis aut ex animi affectibus, remittatur, perspecta perpetuò temperatura tum totius, tum partis affectæ. Sic igitur procedatur, donec accidentia mitescant. Enæmatum etiam quotidianus usus habeatur, si sponte, & à natura aluum non expurgatur, aut saltem glandium beneficium ex melle, aut sapone, aut bliti radice cognoscatur, ne in magnis uulneribus corpus nimis dimoueatur. De cæteris autem euacuationum generibus, quæ uomitu, lotionis copia, sudore, sputo, narium ac aurium expurgatione, semineque fiunt, hic obiter dicamus. Vomitus, præsertim sub cane, aut hyeme, nisi à natura proueniat, & in facilè vomentibus, improbatur: nam caluariæ fracturæ obesse cõpertum est. trahitur siquidem vi quadam ventriculus præter naturæ modum, ad supe-

a ¶Hipp. lib. de Vlceribus. Celſ. lib. 5. ca. de cura. inflammat. uul. & cap. de Sanie. Gal. 4. meth. ca. 6. Auic. 4. 4. c. 7.
b ¶Hipp. 4. aphoriſ. t. & 5. aphor. 29.
c ¶Hipp. lib de Vlceribus. Gal. 4. meth. cap. 6. Paul. lib. 6. c. 90
d ¶Hipp. 1. aphoriſ. 15. 4. aphor. 3. lide medic. pur gant. & 6. Epidemiarum. Ga. 4. meth. c. Auic. 3. 1. c. de cura lo dæ 2 percussiõe 4. 4. cap. de cura casus & 5. 4. cap. de oss. fract. crã. 4. 4. cap. de cura ulc. c. 5. 4. c. 2. 18.
e ¶Li. de Calu. curat.

superiora, humores & Chylus in eo agitantur, & sublati vapores cerebrum infestant [a]. Vomitus est ex eis in quibus non fit iuuamentum in curis ægritudinum capitis nisi fiat lege consortij a ventriculo. Lotium emittere quotidiè expedit. quod si supprimatur, causas suppressionis inquirere oportet, vt remotæ lotium ad naturalem statum reducatur. Sudor nempè copiosus, si critico modo, id est, via iudicationis ob humiditatum copiam à natura moueatur, nequaquàm occludendus. verùm si ob cubiculi calidioris aeris statum id euenerit, aer ad temperiem deducatur, nam huiusmodi sudoris abundantia virtutem resoluit, & corpus languidum reddit. Sputum, quanquàm capitis expurgationi conferat, cerebro tamen vehementer affecto eò quòd ab osse fracto comprimitur, aut pungitur, ne quaquam prouocetur. Et naribus, oculis, auribusque excrementorum effusio iuuat, ob id quòd cerebrum commodè interdum sic expurgatur, naturæ enim motibus minimè obsistendum est, potissimum si per conuenientia loca, oppositeque motus fiant. Seminis demum profusio tanquàm pernicios a vitari debet, cùm semen sit vltimi nutrimenti vtilis superfluitas, nec sicut sudor, aut vrina, inutile, sed humanæ speciei conseruatrix, ac Hippocratis [b] sententia à cerebro, & capite maiori ex parte decidit, cui venæ post aures peruiæ sunt: Iccircò neruis, oculis, vẽtriculo, ac cerebro venus inimicatur, humores turgidos reddit, vires prosternit, & corpus refrigerat, quare omni ratione tanquàm corporis destructiua relinquatur. Et omnia hæc à præcautrice potius, quàm a curatrice facultate indicantur.

a ¶Auic. 1.3.ca 29.

b ¶Lib. de genitura.

DE SOMNO ET VIGILIA.

SOMNVS, si naturę [a] conuenientem modum excesserit, caluaria fracta, malum signum est, & causa: indicat enim cerebrum frigida temperie laborare: vigiliæ etiam multę inflammationem eiusdem portendunt: vt causa verò diuturnus somnus malus est. nam ex nimia caloris innati concentratione in longo somno, cibus in ventriculo aduri posibile est, vel quandam alteratio nem pati, adeò vt inde vapores caput petentes sodam, hoc est capitis vniuersi dolorem mouere valeant; contra [b] verò in vigilijs superfluis concoctiones interturbari, habitus identidem ascendere, & corpus resolui compertum est. Vterque igitur cauendus & corrigendus: diurnus etiam somnus, & statim assumpto cibo, improbatur, nisi nox vigil, aut inquieta præcesserit. Cęterùm vtilis somnus est si nocte debitis horis conciliatur, tunc [c] enim animalis facultas quiescit, & naturalis validius agere videtur; vnde cibus non solùm in ventriculo, verùm etiam per vniuersi corporis ambitum optime pręparatur; insuper capiti vulnerato adeò cõferre videtur, vt pus optimum perpetuò gignatur. Secus verò in vigilijs appareret, in quibus nulla datur occasio quin cerebrum moueatur, & in somno quiescit, in quo [d] etiam, si moderatus est, dolores omnes mire sedantur. nam somnus dũ retrahit spiritum, sopita facultate sentiendi dolores mitigat: & caloris innati ope vulnera omnia recte disponuntur, & accidentia profligãtur. Cubabit ergò ęgrotus qua parte minus dolebit, donec pus sit genitum. tunc enim, vt facilius pus effluat, affecta parte cubet, nisi dolor id prohibeat.

a ¶Hipp. 2. apho rif. 3. 7. apho. 68. Gal. 2. 2. ho. cõ. 5.

b ¶Hipp. 2. reg. acut. in fine. Gal. in commento.

c ¶ Gale. 4. de mor. cap. ult.

d ¶Auic. 4. 1. c. 30.

DE MOTV ET QVIETE.

VNIVERSI corporis quales sint motus tùm mentales, tùm arbitrarij, licet minimi fuerint, ingenti existente caluariæ fractura abigendi sunt, veluti in rigore contingit. siquidem dum quiescit homo, solam interdùm inæqua-

inęqualitatem sentit, dum mouetur horrorem, dùm verò exercitatur rigorem; quamobrem sic affectis medici experientia docti consulunt, vt ab omni motu se se abstineant, nec [a] humores ad loca vulnerata vtpote imbecilla transferantur. Quies [b] ergo tanquam ad curationem necessaria, præsertim si magna sint vulnera, conferre videtur; optimum enim istis, inquit Celsus, medicamentum quies est, moueri enim & ambulare alienum. & Galenus dicebat quicquid in corpore dissectum est, id exquisitam integramque expostulat requiem: quæ non solum corpori vniuerso, sed oculis etiam imperanda est, qui ex nimio motu, & copioso lumine multum agitantur, & spiritus resoluuntur. Quiescat [c] igitur, vt dictum est, eger in lecto valde molli, ac humili, & conclaui obscuro; Vulnus verò æstate bis, hyeme verò semel pro cura moueatur; eger parcius loquatur, sermo [d] nanque prolixus & capitis inclinatio, risus & clamor his affectibus mirifice obest. arcenda sunt quæ sternutamenta cient, fumus nempe, odores mali, fœtidi, aut acuti, & vomitus, qui vulnerato capiti aduersatur. Vulnus in ima semper, & decliui parte quiescat, præter illud, si magnum fuerit, quod in lateribus infigitur, ne quando cerebrum procidere posset. reliqua verò talem situm exposcunt, vt excrementa, purulentaque materia facilius expurgetur. At exercitij loco vt vapores auersionis gratia remeentur, leues frictiones, & his partibus, quæ longius a vulnere absunt, ante cibum, & euacuato ventre commendantur: pariter interdum cucurbitularum spatulis, atque dorso absque scarificatione applicatio, vtilis admodum creditur.

a ¶Gal. 4. apho. com. 33.

b ¶Hipp. lib. de Vlceribus. Gal. 6. aphor. com. 6. & 6. meth. ca. 3.

c ¶Celsli. 8. ca. 4. Gale. 6 meth. cap. 3. Auic. 4. 4. tract. 1. cap. 2.

d ¶Auic. 4. 4. tract. 2 cap. 10.

DE ANIMI AFFECTIBVS.

NEGOTIA [a] cogitationes, solicitudines, iræ, furores, clamores, timores, tristitiæ, & omnes vehementes animi motus, & huiusmodi reliqua quæ corpus alterare, & a naturali statu peruertere possunt, cranio fracto aduersantur, & obnoxia iudicantur: quapropter omninò a similibus abstinere oportet. siquidem [b] dictum est lętari mente in omni morbo bonum, plerique [c] etiam pro gaudio duntaxat magno ab acutis, & cronicis passionibus euasere; porrò [d] ex congruis remediis, quę in quolibet morbo conferre possunt, illud est, quod vires validas reddit animales, & vitales sicut lætitia, & gaudium, attamen nec cantus, nec instrumentorum harmonia, & sonitus, nec ludus probatur, nec mulierum illecebræ laudantur: nam sanguinem mouent, risum excitant, & in longum sermones protrahunt, quæ omnia, caluaria fracta, inimicissima sunt. Quitaque [e] partes capitis affectas patitur, motus omnes tùm mentales tùm corporales dimittat, quiescat, & hilaris sit, & quicquid ipso audiente profertur lętum omnino esse debet, & perpetuò ad eius indubitatam salutem, iuuat [f] nempe ęgrum sermonibus, aut ueris, aut fictis oblectare. Strepitus omnes amoueantur, & quæ horrorem inducere solent, ut pumicum simul, aut ferri cum ferro frictiones, & huiusmodi uisui & auditui ualde molesta. Cęterum ante omnia æger medico confidat. nam [g] plures sanat in quo plures confidunt, & ob id languentibus gratum, humanum, affabilem se prębere studeat Medicus, maturam, indubitatamque salutem promittendo. Hæc omnia diligenter obseruanda sunt, etsi magis ad partem, & methodum prębeuatiuam, quam ad curatiuam, videntur pertinere.

a ¶Gale. lib. art. par. med. ca. 85.

b ¶Hipp. lib. 2. de mor.

c ¶Gale. lib. de ludo paruæ sphæræ.

d Auic. 4. 1. c. 1.

e ¶Auic. 1. 3. c. 29.

f ¶Hipp. 6. Epidem. par. 7.

g ¶Gale. 1. progn. comm. 2. Auic. 6. nat. par. 4. cap. 4.

DE LEVI AC SIMPLICI CAPITIS VVLnere, & eius curatione. Cap. VII.

a ¶Gale.lib.art. par.med.cap.90 3. meth. cap.3. 4. meth. cap.1. Aet.lib.4.ca.20. Paul.lib.4.c 36. Rasis li. diuisc. 138. 7. ad Alm. cap.3. Auic.4.1. c.28.4.4 cap.3.

VLNVS [a] quodcunque cæsim, aut punctim leuiter caput attingens, ac pericranion vsque deductum absque substantiæ detrimento, omnique symptomate prorsus destitutum, sane simplex vocitari debet, nec curationem aliam exposcit, si corpori prauis succis scatenti non euenerit, quam abrasis capillis partium dissidentium vnionem, ac postmodum partes sic vnitas seruare laqueo, aut sutura, aut decenti ligatura si decet, vinculo scilicet duobus initiis circundato: coeunt nempè ex se mollia membra, ac viscosa humido proprio, ac elementari, dum in vnum adducuntur, agente natura per se absque medio, dura verò per accidens medio, etero geneo, poro nempe sarcoide siue alrosbot, in similibus enim vulneribus partium carnosarum, vt oræ ipsæ secum coalescant, atque agglutinentur certè sola natura & calor natiuus causa est, qui aut ipsamet natura est, aut eius proximum instrumentum. Equidem dictum est, coalescere autem facit ea, quæ inuicem distant, ac pristinam restituit vnitatem ipsa natura. Cæterum tria requiruntur ad hoc, primùm partes vnire, vt iam dictum est. Secundùm, indicatione sumpta à causis, prohibere nè quid labijs vulneris intercidat, quoniam sæpe vsu uenit vt puluis, pili, aut oleum, siue quęuis alia humiditas interueniens earum quæ copulandæ sunt partium, vnitatem impediant; Tertium præuidere nè aliquod accidens vulneri superueniat. Et hæc absoluta simplicium, leuiumque capitis vulnerum curatio est, si temperatis, atque valentibus corporibus occurrant. Quòd si fortè hæc prima intentione operationis finis frustratur, tunc indicatione sumpta à vulnere, siccis medicamentis vtimur, aridis nempè cephalicis, veluti ex Iride, Aloe, Olibano, Aristolochia, & Orobi farina. omnis nanque medicina, quæ temperatè exiccat, ac leuiter sine dolore abstergit his omnibus vulneribus conueniens est. dictum siquidem est vulnera duobus modis sanari, uel per agglutinationem partium vel per carnis concretionem. Verùm cùm corpora ea optima temperatura media destituantur, ac eucraton corpus inueniri non permittatur, interdum in similibus diuersas nancisci operationes necessum est, cùm ex sutura ipsa, aut laqueo, inconueniens aliquod, multoties oriri videatur, veluti saniei collectio, dolores, ac inflammationes, nec vndique ac æquè medicamenta partes omnes attingere possint; talia verò vulnera capitis chirurgorum nostratium vsus est non consuere tum ob cutis duritiem, tum vt facilius abstergi possint. attamen

b ¶Gal.2.Meymir ubi ad c. dolorem ex iciu arpoio. Aet.lib.14.c.26 Albuc.li.2.c.84

b cùm ampla fuerint, & labia latiori spatio disident, absque timore sui possunt, licet plerique hoc opus affatim in capite improbent, expurgato igitur vulnere illud consuere oportet præterquàm in temporibus, præsertim si vasa quæ ibi locantur sunt affecta, tunc enim, laqueis id constringere licet, aut relicto musculorum suere, ne aliquod sequatur incommodum: porro

c ¶Gal. commẽtario. 3. libri de fracturis Hipp.

c scire licet quæcunque cute conteguntur si nuda fiunt proprio velamento delectari, cæterisque omnibus lædi. at nuda caro si sine cute relinquatur ægre ad cicatricem perducitur, & quæ vlcus purgant ob detergendi facultatem mordent: vbi verò pars a qua detracta cutis est eadẽ contegatur nullo modo afficitur. ex his patet etiam os quodlibet innata cute contegendum esse: Huiusmodi enim vulnera interdum simplicium genus pertranseunt, & ab ambiente, ac medicamentis actu frigidis ea non consuta alterari contingit. nam stipantur humiditates in labijs, & oritur cruditas, quò fit vt maiori præparatione, seu concoctione postea indigeamus, quousque pus optimum appareat, alioquin facultate operatrice impedita sanguis, qui ad partem

partem affectam ab ea potentia, quæ nostrum regit corpus, demandatur, as similari non potest, nec partes disiunctas agglutinare. Atsi ad hæc necessitate vrgente non impellamur, haud ab re factum est, veluti in his vulneribus nonnulli faciunt, licet non contusis, vti saltem primis diebus puluillis, siue linamentis, aut lichinijs ex lino carpentato, aut lenissima stupa paratis, recenti rosacco omphacitide prius madidis ac tepidis, & circa vulnus in orbem eodem oleo inungere, inde molli linteo duplicato madefacto operire, ac superaddita molli stupa caput leuiter fascijs inuoluere. Sunt & [a] alij qui vt suppurationem citius moliantur, ethi seos medicamentum, quod digestiuum vocant, admouent. fit nempe ex rosaceo, & oui luteo: verùm detecto pericraneo resinam lentiscinam addunt, tali vtentes medicamento usquequò pus optimum appareat, inde [b] cephalica remedia administrant ad integram vsque cutis æqualitatem. emplastrum demum ex betonica, aut palmulatum, aut triapharmacum pro cicatrice inducenda superimponunt, & hæc est probabilis & laudata cura. Si autem necessitas ad suturam impellat, & vulnus tali medio coierit, tunc & oleum, & suppurantia omnia abigenda sunt, sed siccioribus insistendum, tùm vt sutura vnita seruetur, tùm etiam ut putredines arceantur & cutis natura quæ in capite dimissa uola manus, aut pedis planta omni alia & durior, & siccior est conseruetur. Sumito igitur Aloes, Sarcocollæ, Thuris corticum, Boliarmeni ana. ex quibus paretur puluis subtilissimus pro molli corpore, in duriori ac exercitato Albucasis calcem viuam, aut ridis radicem addere solitus erat. Cum verò pericraneum scissum fuerit, cùm sit membrana neruea, ac per suturas duræ meningi annexum diligentem curationem exigit indicatione ab affecta parte sumpta, nam neglecta eius vulnera dolores, febres, inflammationes, ac conuulsiones accersunt: quapropter præter rerum non naturalium obseruationem, & conuenientes euacuationes, vulnus iuxta opportunitatem regatur, vtpote dolore quodam inuadente, rosaceum oleũ, quod completum vocant, aut ex terebenthina aut ex vitellis ouorum adhibendo, donec dolor leuetur; pars affecta sic foueatur usquequò laudabilse pus gigni possit. Si autem vulnus dolore vacet, ab aridis cephalicis discedendum nõ est. hæc enim leuiũ capitis vulnerum communis curatio est, in quibus, si aliqua substãtiæ deperditio appareat, aut labra multùm disfideant, aliquo sarcotico medicamento uti possumus, nempe illo à resinæ ingressu resino, aut à citri colore citrino nuncupato, basilicone minori, aut periclymeno, quod ex matresylua appellatur. nam hæc præstantia medicamenta sunt, quamquàm ne verbum quidem vllum Theophrastus, aut Dioscorides ad capitis vulnera valere fecerint, quem admodum de betonica dixere: quare medicamentum ex betonica summopere probatur; illud pariter, quod ex gummi ellenia, quam ellemi dicunt, paratur & illud Galeni, quod nigrum appellatur, aut ex lino Mesues, quod Auicẽna approbauit; quorum omnium descriptiones in calce huius primi libri videri poterunt. Vnum vlterius scire etiam oportet. q in his simplicibus vulneribus cõsolidandis deligãdi modus summe necessarius est. igitur danda est opera ut uitato om ni incõmodo deligaturã ex fascia lintea, quę huic operi aptissima est, nec arctare, nec remitte re debeamus, sed eius terminus sit bona laborantis tollerantia, ac partium vnitarum cõseruatio. cæterũ extrema fasciæ acu assuenda sunt, nam nodus multum lædit, & dolores inferre solet.

a Aet.lib. 14. ca.26. Alb.lib.2.c.84.

b ¶Hipp.lib.de uul cap.Gale.6. meth.c.6. Aet.lib.14.c.35. Auic.4.4 tract. 1.cap.uic.

DE CAPITIS CONTVSIONE absque cutis solutione aut cranij manifesta fractura. Cap. VIII.

VBI caput à graui quodam corpore obtuso & æquali, quod extrinsecus superinciderit, contunditur, venæque exiguæ indidem diuortium experiuntur, sanguis vt solet cùm tunicas venarum transcolat, profunditur, cute inquam & externa facie integra, & tumor tactu mollis, cedens, liuidus, magna ex parte indolens oritur, & fit passio, quam græci ecchymoma, & latini simpliciem contusionem vocant, statimque geminæ curationis indicationes nascuntur. Eò igitur animo primò tendimus nè ad affectam partem alienæ humiditates procumbant, demum vt extra uenas progressum sanguinem, qui in læsa sede continetur dissipemus, atque confertim antequam nigruerit. Vix [a] enim fieri potest in contusis quominus humores aggregentur, qui crebrò putredine, corripiuntur; iccirco non immerito eas medici quamprimùm curare accelerant, priusquàm alterentur, eo sanè curationis consilium dirigentes vt eas absumant non ignari ægrè discuti posse si iam in cumulos coierint, & altè constiterint. Per [b] initia enim in his affectibus nonnihil ex astringentibus ijs, quæ digerunt, admiscere oportet, eo quòd venarum tunicæ contusæ densationem requirunt, indè ad sola medicamenta digerentia deuenire tempestiuum est. Quapropter caput à capillis derasum rosaceo immaturo, quod methopion & omphacinum vocant inungatur aut [c] oxyrodino, aut [d] rosaceo myrtino admixto, deindè oui candidum, quod albumen appellant, aliquandiu agitatum, & leni stupa exceptum admouea tur, quod ad secundam tantùm diem sat erit, postmodum decoctum excipiendum ex vino nigro, austero, tepido, in quo rosæ, myrti, betonica, camomilla ebullierint, uel oxyrodinũ oui albumine admixtum, denique sic per diem quiescat, & si dolor aliquis appareat, bis in die medicamenta permutare conducit, & rosaceo maturo tepido caput totum irrorare, ac lanam eo imbutam superponere; veruntamen, si resolutioni magis vacare deceat, puluis hic aspergatur ex rosis, myrtis, betonica, & calamento, ac desuper lata splenia decocto prædicto madefacta ac expressa apponantur, siquidem leues contusiones sic quietè curari solent. Præstat etiam nonnihil fasciarum obuolutionis modus, arctatio enim modica fluxiones arcet, & innatum calorem seruat, nè à copia humiditatũ uincatur, quò fit vt etiã validior reddatur ad discutiendum omne, quod præter naturam coniũctum fuerit: verùm [e] huiusmodi deligationis usus antequam pars in tumorem attollatur, competere videtur, pars enim tumida æqualem exigit ligaturam, sitque eius initium vbi sedes contusa est, & vergat quò fluxio accedere minatur; fasciam autem qualis esse debeat postea dicemus. Si verò uehemens fuerit ictus, ac ex intenso dolore fluxio ingens confertim oborta sit, tunc parte capitis contusa percussionis modo, teli genere, distantia, ac percussoris robore sedulò perspecto, reliquis accidentibus, si quæ præcesserint aut adsint, neglectis scrutandum est nũquid caluariæ aliquid contigerit, sæpe enim, vt dictum est, frangitur caluaria cuti illæsa, cuius curationis modum suo dicemus loco. Quòd si cranium noxam effugerit cõtusionis duntaxat ac tumoris habita ratione ad cutis sectionẽ illicò deuenire non licèt, sed illicò venam secare expedit, si nihil impediat corpus pharmaco bilẽ educente mouere, tenuem victum instituere, ac omni studio fluxionem auertere: porrò si quietem exposcimus enæmatum saltem quotidianus usus sit, cùm plurimùm ad auersionem conferant, sed de hoc satis, superiùs enim abundè dictum est. Lo-

calia

a ¶Gal. 4. meth. cap. 7. Aet. li. 14. ca. 69 Paul. lib. 4. c. 30. Auic. 4. 4. tract. 2. cap. 2.

b ¶Gal. 13. meth. c. 3. Auic. 1. 3 tract. 1. cap. 3. & tract. 3. cap. 3.

c ¶Gal. 2. de cõp. med. secundũ loc. ubi ad cap. dolores ex ictu Rasis 6. ad Alm. cap. ult.

d ¶Gale. 2 de comp. med. secũdum loc. ubi de Soda a percuss.

e ¶Auicen 4. 4. tract. 2. cap. 3.

10 calia verò medicamenta indicatione à dolore sumpta, ea sint, quæ affectæ partis innatum calorem foueant, & doloris causam absumant, iccircò lana dulci oleo calente madida probatur, aut rhodinum & sapa, aut rosaceum, & oui luteum per vices adhibitum, &, si hæc parum prodesse videntur, locum decocto Althææ, seminum lini, fœnugræci, & betonicæ fouere non dedecet, canonicè [a] tamen magis operatur, inquit Auicenna, qui ad sedandos hos dolores oleis tepidis solùm vtitur. quapropter nostrates Chirurgi rosaceum, myrtinum, camomellinum, & liliorũ alborũ hilari corde ac tutò vtuntur; aliqui verò gallinaceã, aut anserinam axungiam addunt; alij vnguentum Dialthææ, aut alabastrinum. nam hæc omnia dolorem mulcent, & contentos humores dissipant. Leuato aliquantisper dolore, discussionem valentiùs aggredi possumus, ne quod in tumore relinquitur suppurationem experiatur, quare satius fuerit resolutionem præterquàm in crisi, vel in materia valde putri diligenter molliri, quocirca Auicenna [b] calamentum, farinam hordeaceam, ac hyssopum humidam summopere extollit: à nobis verò tale probatur medicamentum. Accipito cimarum Absynthii m. iij. rosarum rubearum, florum Camomillæ, Betonicæ, Sertulæ campanæ singulorum m. j. bulliant omnia in vino nigro, postea contundito, & addito farinæ hordei fabarumque an. unc. iij. Ciminì unc. s. rosacei quantum sat sit pro cataplasmate. uel sumito resinæ laricinæ, unc. iij. Hyssopi humidæ unc. ij. Absynthij, Betonicæ, singulorum unc. j. Ciminì unc. s. olei masticini, camomillini singulorum unc. ij. farinæ hordei, ac seminum lini singulorum unc. j. s. misceto, & fiat emplastrum, cuius administratio vt materia discutiatur, post diem quartam probatur: quidã verò ad hoc opus tantùm emplastro ex betonica aut de gummi elemi, aut illo mirabili humano Lacobi Carpensis perpetuò vtuntur. At si quis fluxerit humor pituitosus solus aut eterogeneus, eiusq; notæ sint tumor mollis, indolẽs, decoloratus, & frigidus, corpore priùs euacuato, aut Agarico, aut catapotiis cochiis, sumatur Camomilla, melilotus, stœchas, absynthiũ, andrósemum, betonica, calaminta, calamus aromaticus, sapa, mel, oleum liliorum, & camomellinum, & formetur cataplasma. Hæc & similia auxilia in communem vsum veniunt, semper [c] veluti suppositum accipientes, quòd dispositio, siuè affectus nobis præsidia subindicant, mensurã verò uniuscuiusque, & particularem in materiis suggerit pars affecta, ægrotantis temperamentum, robur præterea, denique ætas circunferentis, temperies, anni tempus, & consuetudo viuendi; Bilioso succo iã defluxo corpus purgare oportet me dicamẽto, vt iubet Hippocrates, cologogo. deinde locus inflãmatus violaceo, ac rosaceo oleo, aut vnguento rosato Mesues inungatur: porrò in his percussionibus occurrere solet dum tenuiores succi partes insensibiliter euanuerint, ut crassiorum reliquiæ, quæ quoquomodo adhuc supersint in duritiem aliquam cõuertantur, quam postmodum tollit tutò emplastrum ex succis Andromachi; siue diachylon Mesues, aut apostolicum Chirurgum Damocratis, aut ex pyrite Galeni, aut ex caseo Aetij, aut aliud simile emolliens, ac materiam per halitum digerẽs. Cæterùm cùm ob corporis plenitudinem, aut meatuum angustiam, aut humoris copiam uel crassitiem, ac caloris innati suffocationẽ nihil discussum fuerit, & apostema ad statum deuenerit superante calore præternaturali suppurationẽ expectare oportet: tunc igitur præsto esse debemus, ne innatus calor dissipetur, vt ualentius in concoquendo se habeat, hoc præsidio tanquàm præstantissimo utentes, fomento nempe ex oleo dulci tepido, aut decocto maluarum althææ, & caricarum pinguium in iure salem non experto, uel horum substantiam sic paratam accipito, ipsamque contusam, ac per cribrum transmissam, farinæ triticeæ unc. iiij. adipis Gallinæ unc. ij. olei communis quod sufficit, uitellos ouorum num. ij. & cataplasma conficito. pariter ad pus mouendum administrabis, & idoneum ab omnibus [d] probatur emplastrum macedonicum, siue triapharmacum, quo cõtinuo ad phlegmones concoquendas utimur. constat quippe ex olei dulcis parte

a ¶Auic 1. 3. tract. 2. cap. 2.

b ¶4. 4. tract. 2. cap. 3.

c ¶ Gale. 2. de comp. med. secũdum loc. ubi de cap. dol. ex ictu.

d ¶Gal. 5. de sim. p. med. dist. 2. c. 1. 13. meth. c. 2. 2. ad Glau. ca. 5. & 5. de comp. in gen. Auic. 3. 4. cap. 3.

una, aquæ communis duabus partibus, & triticea farina quod satis sit. huic addunt nonnulli uitellos ouorum, ac thuris cortices; cumque in absessu, quê Arabes dub elet, & Græci apostema uocant, materiam in saniem conuersam continri ex notis ad tactum, ex dolore, & febre, nouerimus, ac inundare sub digitis percipimus, ipsam extrahere necesse est, ne alterato pericraneo, &, quæ sibi colligantur, interiore membrana cerebrum ambiête, aliquod accidat incommodũ; quod quidem absoluitur sectione facta, annuente Hippocrate, in parte tenuiori ac decliuiori ad prolapsum opportuna, instrumento nimirum idoneo, quod à semilunari, siue curua forma græcè [a] scolopomacherion, Arabicè [b] Gamedin, Latinè [c] spatumen curuum, vulgò Gamaul, uel Gamaut dicitur, vel altero instrumẽto huic non absimili, quo in fistulari ũ sectione utimur, a Græcis [d] ob fistulas quas syringas appellant, syringotomum, ab Arabibus [e] Embula & Caiada, & à Latinis [f] Manubriolum, uocitato, quorum imagines hæ sunt.

a ¶Gal. 14. meth. cap. 14. & 9. de aggreff. anat. Aet. lib. 15. c. 86. Paul. lib. 6. cap. 23. 74.
b ¶Auicen. 3. 4. tract. 2. cap. 5. Alb. lib. 2. ca. 80.
c ¶ Cel. lib. 5. c.
d ¶Gal. 6. meth. c. 4. 88. de adm. anat. cap. 4.
Paul. lib. 6. c. 52.
e ¶Auic. 4. 4. c. 7 Alb. lib. 2. ca. 80. 87.
f ¶Cel. lib. 7. c. 29.

Porrò accommodata sunt huiusmodi instrumenta si tumor depressus, & nõ extuberans appareat, cutisque dura & aspera fuerit; quòd si eleuatus, eminens, & in mucronem tendat, culter rectus, acutus, & vtrinque secans magis probatur, qui duplici modo [g] formatur. vel enim myrti folij imaginem refert, aut oliuarũ foliis assimilatur, propterea & myrtinus & oliuaris culter uocitatur. Et quia ad uenæ sectionem, quam phlebotomiam vocant, valere omnes confitentur, phlebotomum ferè semper nuncupatur; quidam scalpros Chirurgos, & alij ob sagittæ formam sagittellas, & uulgares lancettas uocant. Fiunt hæc instrumenta hoc modo, sed uariant in latitudine, & acumine, quorum vtilitas vt sanguis crassus, aut subtilis a uena euacuetur secundùm opportunitatem, celebrari debet.

g ¶Hipp. lib. de medico Cels. li. 7. cap. 2. Gal. 14. meth. cap. 17. & 6. meth. cap. 4. Act. lib. 14. c. 32 Paul. li. 6. ca. 34. Auic. 4. 1. ca. 20.





Dissecto absscessu, atque euacuata, vt decet, materia, si sanguis emanauerit, uitello ac oui albore contuso, & leni stupa excepto supprimatur, inde saniei generationem accelerare oportet, adhibitis medicamentis, quæ, quia pus mouent, digestiua nuncupantur. siquidem a Galeno [h] dictum est, ex præsidiis in ipso vlcere, quæ linteolis excipiuntur, primum ea sunt, quę pus mouent; deinq; expurgant, postea, si quę sint cauitates, quæ impleant, ultimò quæ cicatricem inducant adhibenda ueniunt; prima à Græcis septica, secunda catarctica & rhiptica, tertia sarcotica, & quarta epulotica. At quia in calce huius libri primi qualia sint hæc medicamenta copiosè explicabimus, ac quibus indicationibus hi absessus regantur, de ipsis hactenus dictum sit satis.

h ¶13. meth. c. 2

DE

DE CONTVSIS CAPITIS VVLNERIBVS absque caluariæ nocumento. Cap. IX.

Si impetu aliquo in capite fiat ictus, telo obtuso, grauí, inæquali, & non incidente, cutim, pãniculum membraneum, & si qua est, musculosa substantia abrumpi cõtingit, sæpe etiam pericranion cranio integro permanête; interdum verò seruato ipso pericranio, externarum partium fit continui solutio contusa, quæ & si nõ statim, paulo post ulcus profundum & latum producit, & curationem huiusmodi exposcit. Quamprimùm igitur ægrotantem adierimus, sedulò inspiciendum est, si quid in uulnere præter naturam contineatur, ut lapillus, festuca, capilli, uel aliud quid simile, illudque auferendum, atque iam nulla adesse Caluariæ fracturam certiores redditi, abrasis capillis per uulneris ambitum, si sanguis immodicus fluat, pulueribus ad hoc præparatis, aut filis cõbustis, aut oui candido supprimatur, decentique ligatura caput aduoluatur: quòd si circumposita loca dolore, aut inflammatione afficiantur, propria eius effectus sanatio, inuenienda est, illud pro certo habentes, fieri nõ posse ut uulnus sanetur, nisi sedes, in qua consiterit, iuxtà temperiem se habeat. Tunc igitur præmissa euacuatione tùm per uenæ sectionem, tùm per medicamenta purgantia, ut fluxiones auertantur, tenuique uictus ratione instituta, quæ omnia ab omnibus medicis [a] cõmendantur, licet corpus nec sanguine, nec ullo succorum uitio redundet, detectabilẽ illam reiiciendo methodum, ut refert Rasis, qua crassum uictus regimen, carnes inquam, caseus, oua, uinumque permittitur, uulnus per initia regatur in ambitu, ut leuetur dolor, rosacei, aut myrtini illinitione, intus ea admouendo, quæ pus mouent communiter digestiua appellata, donec symptomatum præterierit suspicio. necesse est enim, inquit Hippocrates, cõtusas carnes putrescere, & in pus uerti: incumbendum igitur est, ut huiusmodi contusiones quàm celerrimè suppurent, minus nanque phlegmone tẽtabitur uulnus, ac ex sedatione doloris robur affectæ parti additur, fluxionesque prohibentur. ab his denique medicamentis uulneris labia præparantur iam ab ambiente, ac medicamentorum frigiditate dissipata, alteretaq; in quibus ichoris copia continetur, adeò ut tumida fiant. hęc nẽpe cruditas illa est, cuius meminit Hippocrates [b] cũ dixit, Vulnus incrudescens non paruã molestiã exhibet, aliquando etiã febrẽ inducit, & medico quidẽ negotia, ægroto uerò periculũ non minus affert. quocirca medicamẽtis in calido, & humido tẽperiẽ plurimũ non excedentibus vtendũ, vt vigorẽ capiente innato calore, concoctio partis inualeat, alioquin vulnus huiusmodi curationem non facilem admittit. nanque [c] concocta medicare oportet; & hinc est quòd Princeps Auicenna dixerit omne vlcus exiccatione indigere, præter attritum aut contusum; illud enim humectari & mollificari expostulat. Amplius dictum est [d] contusum vulnus ad cicatricem nequit deduci, nisi optima præcesserit concoctio, absterso-ve. Hæc itaque seriatim seruanda sunt, vt contusum vulnus prius coctionem experiatur, deinde non dolorosam absterſionem, posteà nouæ carnis productionẽ vsque ad cicatricem æqualem. In his igitur per initia rosaceo solo veluti efficacissimo, ac præstantissimo remedio vti debemus, in mollioribus præsertim, delicatisque, ac acuti sensus corporibus, cùm in eo requisitæ omnes conditiones reperiantur, vt alibi fusius enarraturi sumus, & eo vtendum est uel simplici maturo, vel oui luteo admixto quousque pus optimum apparuerit, atque magis pericranio illæso. In durioribus verò corporibus, ac humidis vulneribus, resina laricina addito oui luteo, ac rosaceo probatur; siuè quouis alio pus mouente medicamento, vt picato Galeni [e] ex pice, rosaceo, & cera, quod etiam triapharmacum vocant.

a ¶Hipp. lib. de fract. Cels. lib. 2. c. 10. & 2. 6. Gal. 4. meth. cap. 5. & 2. de comp. m. secundũ gen. ubi de Soda a percussione. Rasis. 6. ad Alm. cap. ult. & 7. ad Al. cap 1. Auic. 4. 1. ca. 20. 28. & 4. 4. tract. 2. cap. 1. Alb. lib. 3. cap. 3.

b ¶Li. de Calu. curat. in prin.

c ¶Hipp. lib. de humoribus & 1. aphor. 22.

d ¶Hipp. lib. de Cal. curat. & lib. de Vlceribus. Gal. 1. meth. c. 7 Act li. 14. ca. 26 Auic 4. 4. tract. 3. cap. 2.

e ¶Lib. Hippo. de fract. com 3.

aut

aut tetrapharmaco [a] ex pice colophonia, cera, adipe taurina, aut vitulina: Nos autem probamus illud, quo felici euentu vſi ſumus, & vtimur. conſtat nempè ex oleo roſato cõpleto, reſina terebinthina, ſingulorũ unc.iij. ceræ unc.j. croci ſcrup. s. quòd ſi aliqua inflammationis ſuſpicio adſit, abluatur reſina aqua betonicæ, addatúrque farinæ hordei unc.j. & ut ſarcoticum, id eſt carnis productiuum euadat drac.ij. pulueris corticum thuris, & drac.j. aloes admiſcere oportet, ex quo filamentis ex panno lineo molli, ac ſubtilli illitis, vulnus imbuatur; in ambitu verò ex roſaceo optimo inunctio fiat, amplumque linteum eodem oleo madidum regionem omnem induat: quidam etiam indicatione a dolore ſumpta anodinum aliquod adminiſtrant, & ſi peruertatur intentio, accipientes triticei panis medullam, hordei farinam, roſaceum, & oui lutea, ex quibus cataplaſma paratur, quod exterius apponitur; alij maluarum folia ſumunt, violarumque, ac ſertulæ campanæ flores ſingulorum m.j. radicum althææ unc. ij. omnia in iure ſale non experto bulliunt, poſtea contundunt, & per cribrum tranſmittunt, inde addũt farinæ hordei unc. iiij. roſacei, ac violacci ſingulorum unc. ij. ouorum lutea numero ij. croci ſcrup.j. & cataplaſma componunt: & ſuper alia medicamenta applicant. Si verò affecta pars, vt in contuſis ſæpè euenit, pituitæ copia redũdet, & tumor aliquis œdematoſus oritur, vt in corporibus cacochimis, ac cruditate repletis, oriri contingit, curetur vt in præcedenti capite dictum eſt: vnum autem prætereundum minimè cenſemus, quòd ex humidorum medicamentorum vſu diuturno noxa in affectis temporũ muſculis ac magni cruciatus, naſcũtur; quapropter humida cauenda ſunt, & iuxta requiſitam intentionem in lacertorum, & tendonum vulneribus corrigantur. Concoctione iam ſe oſtendente vulnus leuiter abſtergatur, quod præſtat ſyrupus roſatus ſimplex, rhodomel, farina hordei, ſuccus apij, aut terebinthina leta, & ſimilia, aut per ſe, aut aliquo ex prædictis digeſtiuis admixta. & ſi fortior requiratur abſterſio, id facit iſidis addita portiũcula, adeo vt nulla eroſio percipiatur. ſic enim procedere oportet donec vulnus floridi coloris, & uiuidi appareat, & dum leuiter tangitur, doleat. Mox purgato, vt decet, vulnere, ad ea, quæ nouam gignunt carnem, tranſire oportet, & hæc in curandis iſtis uulneribus contuſis ſecunda erat intentio, humida prorſus omnia medicamenta dimittendo. Ea igitur ſumenda ſunt, quæ primum, aut ſecundum ſiccitatis gradum non excedunt, & arida cephalica uocantur, ex quibus tenuiſſimus puluis paratur, quo caua ulcera replentur, aut ſi decet, aliquo eſt utendum unguento, nempè ex matreſylua, aut reſino, aut baſilicone minori, aut de gummi elemi, aut eo, quod à nobis in magnis ſectionibus probatur. Sumito artemiſiam, ſcabioſam, ualerianam, betonicam, hipparim, uerbenam, pimpinellam ſingulorum m.j. contundantur, & ſuccus extrahatur, cuius unc.vj. accipito, olei roſati, maſticini, myrtini ſingulorum unc.ij. bulliant ſimul donec ſuccus euaneſcat. indè reliquo tranſuſo addito myrrhę, aloes, thuris, maſtices, ſanguinis draconis ſingulorum drac.ij. cerę citrinę quãtum ſufficit pro unguento extenſibili, quo utimur turundas indies imminuendo, ſic enim carnem modo, quo ſupra diximus, naturæ auxilio generare opus eſt. Cicatrix poſtremò emplaſtro palmeo, aut græco, aut ex betonica, aut ſimili obducatur.

At ſi in affectibus capitis contuſis, caluariæ os fuerit detectum, an leſionem aliquam patiatur diligenter inquirere oportet. occurrit, n. interdum, ut contũdatur ipſa caluaria ad curis cõtuſionem, nulla aut rima, aut ſedes, aut fractura exiſtente. ſiquidem paulo poſt maculis & pũctis ſubrubeis repletur, aut eius color interalbum & rubrum permutatur. exanguis & arida inde fit & multa incõmoda ſequantur. nam temporis interuallo ſanguis in ea corrumpitur. & tunc colorem, aut liuidum & pallidum, aut cinericeum acquirit, poſtremo, quia nõ nutritur emoritur & fit atri coloris, nec amplius membrana exterior pericranion dicta ſecum uniri poteſt, nec minus caro ſuper eam gignitur: Hac quippe ratione Galenus iubebat ut

caluaria ſuperficies abraderetur, aut profunda aut debili ut decet abraſione donec ſanguis ille ycoroſus efflueret & humida eius appareat ſubſtantia, potiſsimũ verò in adultis, ſenibus, & ſiccis corporibus. Secus uerò in pueris cum eorum oſſa mollia, tenuia, ac ſanguinea exiſtãt, igitur abraſione raro egent, & ſi egent, ter minus abraſionis erit eo uſque rubeus color denotetur aut ſanguis effluat perinde atque eſſent lacrimæ rubeæ, poſtmodum ſi opus fuerit, uulneris labra uniãtur aut ſutura ſi uulnus magnum fuerit, aut alio ingenio, & agglutinantia adhibeantur præſidia: ſi verò cruditas aliqua apparuerit, indicationem ſumere oportet, à natura uulneris contuſi.

DIGRESSIO.

CÆTERVM ſi quis fortè in huiuſmodi vulneribus medicamenta pus mouentia improbaret, vtpotè humiditates ac putredines adaugentia, quæ quidem rationali methodo videntur repugnare, necnon vti venena homini inimica potius quam congrua medicamenta damnaret, atque magis, quia [a] dolores febresue promouent, omnino abigenda eſſe, vel tanquam ſuperflua reprobanda, quando quidem coctio naturæ, & non medicamentorum ſit opus, inſuper reſina, cùm obſit coctioni, improbum medicamentum cenſetur, obeſt nempè vulneribus ob nitroſam & acrem quandam eius ſiccitatem, quę coctioni omninò aduerſatur, nam humida eſſe debent quæ pus mouent. Huic profectò ſic reſpondemus nullo modo medicamenta putrefacientia probantes, plurimùm enim intereſt inter pus mouentia, & putrefacientia. ſed illa duntaxat, quæ partis affectæ innatum calorem, ac propemodum à ſoluta continuitate contuſa extinctum fouere, & augere poſſint; ac vt in ſanguine, & humido partis iam alteratæ, coctionis actio fiat, quod huiuſcemodi medicamenta præſtant, vt latiùs inferiùs demõſtrabitur: Porrò dictum eſt [b] in animantium corporibus triplicem fieri alterationẽ; vnam nempè exquiſitè ſecundùm naturam, & ſit à calore naturali in iuuatiuo, & materia admodum familiari, in qua verè dominatur natura, & calor ingenitus ſuperans, vt in ventriculi concoctione, aut Iecoris ſanguificatione apparet; altera huic aduerſatur, & planè præter naturam exiſtit, cuius actor calor putrefactiuus eſt, agens in materia inutili aut diuerſa, vt in omnibus putreſcentibus, dum talis olida, ac cœno ſimilis apparet, ſiquidem [c] putredo nihil aliud eſt, quàm totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam à calido extraneo in humido ſuo. Tertia inter has medium locum tenet, & veluti mixta ex naturali, & præter naturã agente, ſcilicet calore naturali, & non naturali, vt in abſceſsibus, & bonæ ſaniei generatione dignoſcitur: Ad veram igitur coctionem duo requiruntur, calor naturalis temperatus, & materia benigna & familiaris; ad putrefactionem verò calor alienus alteratus, & omninò præter naturam, & materia inutilis calida & humida putredini obnoxia, putredo enim [d] eſt via corruptionis; ad mediam alterationem innatus calor vincens addito non naturali & aduentitio in materia nec ex toto benigna, nec ex ſanè parte malà ſub prohibita tranſpiratione occluſa, aut in porositatibus carnis impacta, ut ſanguis eſt, qui extra vaſa propria, aliam acquirit naturam, & ſeminalem qualitatem adipiſcitur, præſertim ſi in loco minus tranſpirabili detineatur: quare vt hæc vltima fiat alteratio, ſiue cococtio aut, vt iſti dicũt, in vulneribus contuſis digeſtio, ea omnia remouenda ſunt, quæ innatum calorem ſuffocatum conſeruant; ſuffocatur enim à ualida contuſione à nimia frigiditate, aut aëris ambientis, aut topicorum medicaminum, à forti conſtipatione, & à copioſa materia, ideò ab Hippocrate [e] ea probantur, quę temperata caliditate naturalium calorem adaugent, cutem emolliunt, ac extenuant, & dolores ſedant: Hippocratis autem propoſitio in abſceſsibus intelligenda ut plurimùm eſt, nõ autem in vulneribus, vt paſsiones in diuortio ſunt, quinimmo, [f] vbi uulnera coctionẽ oſtendunt,

a ¶Li. de elemẽtis & 13. meth. cap.2.

a¶ Hipp.2.aphor.47.

b ¶ Gale. 5.de ſimp.med.fac.c. 5.

c ¶Gal.11.meth.

d ¶Auicẽ.1.4. tract.1.cap.45.

e ¶5.aphor.22.

f Hippo.lib.de Vlceribus.

ostendunt, ægri à symptomatibus custodiuntur, & velocitatem crisis & securitatem sanationis promittũt. quapropter in vulneribus contusis, vt simus adminiculo naturæ, quæ nisi impediatur, pus optimum mollitur, vtimur medicamẽtis, quibus affectæ sedis obstructiones aperiendi, necnon dolores sedandi uis insita sit; secus autem in abscessibus. siquidem ea medicamenta emplastica esse debent; & hinc dicebat Auicenna [a] in contusis vulneribus dolores sedantur medicamentis pus mouentibus, membri temperiem conseruantibus, ac humores in labiis vulnerum congestos attenuantibus; & hac ratione in his vulneribus, vt optima producatur concoctio, naturæ auxilium præstare iustum est; porrò medicamenta huiusce modi temperatæ caliditatis, paucæ humiditatis, absq; vlla obstructione, sed alicuius abstersionis esse debent: talis nempè caliditas illius sit conditionis, quam describsit Hippocrates [b] in vlcerum suppuratione valere, cùm dicit calidũ suppuratorium in omni vlcere, excepto putrido, aut phagedenico magnum ad secu ritatis indicium, cutem mollit, extenuat, dolores sedat, rigores, conuulsiones, & distensiones mitigat, & ex his quæ ad caput attinent, eius soluit grauitatem; pluri mum etiam confert osium fracturis, sed nudis præcipuè, eorumque maximè, qui in capite vlcera habent: quæ autem caliditas temperamentum excedit, incommoda plurima affert: quapropter opinantes saniem ex medicamẽtorum calidorum, ac diuersarum rerum applicatione, in vulneribus produci decipiuntur. nam ex tali medendi modo materiæ quàm plurimæ, præsertim subtiles, ac biliosæ ad caput transferuntur, vndè & apparentes, & internæ inflammationes sæpe gignuntur. quod annotauit Hippocrates [c] dum de hoc uerebatur. nam nec tantùm fascias applicare ausus erat, asserens hũc errorem, inter manifestos enumerari posse. Opinantibus verò terebinthinam improbum medicamentum esse, respondemus, & si ea in pasiuis qualitatibus sicca existat, à qua digestio talis, quæ in his vulneribus decet, prouenire non solet, sed [d] à calidis, & humidis, opportunum tamen, ac conueniens præsidium esse, ac in continuo vsu haberi, necnon proprium homini medicamentum, partium præsertim neruosarum, veluti pericraneum est, communiter affirmatur. Præseruat quidem resina ipsa membra omnia contusa a putredine, & corruptione, à medicis semper in omni attritione, & magnis contusionibus verenda; ea corroborat, obstructiones aperit, dolores sedat, & vlcera pura reddit; & si in ea, quia resina est, nitrositas aliqua adsit, ea tollitur, ait Galenus, [e] ablutione in æstate facta, ut decet, cum aqua betonicæ, aut consolidæ, aut vino albo tenui, &, ut pariter ea debilis acuitas contemperetur, humiditas quædam admiscenda est, quæ ab oui luteo, & rosacei modico expectatur; atque de ipsa agens Galenus [f] dixit Terebinthina resina simul cùm detergendi, discutiendique, facultatem habet etiam concoquendi, ac pus mouendi; quapropter optimum, ac opportunum medicamentum censeri oportet, longoque experimento comprobatum; scire etiam oportet quòd digestiuorum continuus usus, etiam in contusis non admodum laudatur, sat enim est ipsis uti, donec pus optimum apparuerit. dictum siquidem ab Hippocrate est, [g] primis diebus contusa ulcera irritare non conuenit; sed operam dare vt vlcus quam minimè inflammatione tenetur, & quam maximè suppuret, atque vbi septem dies vel paulo plures transierint, si febris non sit, atque vlcus inflammatione uacet ad exiccantia transeũdum est. Occurrit interdum in magnis istis contusionibus, aut in his, qui ab alto cecidunt, quòd nec cutis, nec os frangitur, attamen uaria subsequuntur accidentia, vt obmutescentia, stupor, paralysis, conuulsio, & similia, quæ præsidiis ac indicationibus, vt in eorum curatione dicturi sumus, corriguntur, ac prosliguntur.

a ¶ 4. 4. tract. 2. cap. 3.

b ¶ Lib. de humidorum usu & 5. apho. 22. Gal. 5. de sim. m. fac. cap. 8.

c ¶ Li. de off. medici lib. de Cal. curat. lib. de fracturis.

d ¶ Gal. 4. meth. c. 5. & 13. meth. cap. 2.

e ¶ 1. de comp. m. secundum genera.

f ¶ 5. Ktageni ubi de m. hære. & 5. de simp. m. fac. cap. 8.

g ¶ Lib. 3. de fracturis.

DE CALVARIAE ANGVSTA FRActura non detecta, nec læsa membrana. Cap. X.

Saepe itvr multoties caluaria, ad intima fractura non descẽdente, vulnerata tantùm prima tabella, aut etiam medullio, nõnunquàm & diploide ipsa, seu uitrea, quam isti secundam tabellam vocant; qui quidem affectus omnes, maximè timendi sunt, quanquàm ad meningas non deuenerint, perpetuò tamen medicus anceps de eorum quiditate & progressu permanet. quippe breui temporis tractu, ignota penetratione pernitiosa adducunt symptomata: aperiuntur interdum arteriarum, aut venularum nonnullæ ex his, quæ per Caluariã obcius nutritionem disseminantur, quod ex anatome, ac in cranei terebratione, apertissimè dignoscitur, dum eam sanguinis copiam effundunt, ut operator, nè, clarè quod operatur, appareat, impediri solet; exit sanguis à venis, & extrà propria vasa continetur, à natura non regulatur, & qualitatibus malis afficitur, vnde pessima subnascuntur accidentia. nam ex ruptis capitis ossibus, ait Hippocrates, difficillima cognitu sunt ea, quæ circa futuras rumpuntur, rumpuntur autẽ maximè a grauibus, & contundentibus telis, & ab his, quæ ex sub contrario afferũtur. Solent etiam hæ fracturæ ad intima penetrare, quæ tamen, noterunt, quanuis angustæ, uel humiditate diuersa ad meningas effluente, vel sanguine percolato, qui postmodum non expurgatus putrescit, vndè uaria sequuntur incommoda, & mors: quapropter Caluariæ vniuersæ fracturæ, & diligentem operatorem, & regimen victus conueniens requirunt. Medicus ergo prudens, cum primum caluariam detectam adinuenerit, accuratissimè eius statum perquirat, & primò quærendum est ait Hippocrates, an ẽaro ab osse denudetur, & si qua in eo adest fractura, ac sensu, uisus percipiatur necnon quanta & qualis fuerit, inuestigare oportet. indè quibus mediis, siue iudicationibus curari valeat; si uerò oculus id agere nequit, specillo uaris, & si eo agente certus non fueris, ab iis quæ præcessere, & præsentibus symptomatibus ueritatẽ adipiscaris. Dimissis igitur primò capillis, & uulnere ab eis amplè denudato, diligentia adhibita, quæratur si in eo capillorum portiunculæ inserantur, inde qua capitis parte, & num in debiliori uulnus sit receptum, & capilli circa ipsum inspiciantur, an à telo dissecti sint, & intus in uulnere resideant; quòd si adsint, periculum imminet, os carne denudatum esse. itaque dicere oportet, os aliquam læsionem a telo habuisse, at que longè prius considerasse ac dixisse oportet, antequam hominem attingat, operatorem. Qui si caluariæ aliquam portionem extoto separatam, ut in asciali fractura contingit, ac ipsi corio adnatam inuenerit, siue magna siue parua ipsa particula fuerit, eã auferat, nam pars ossis emortua cum ea quæ viua adhuc est uniri de nuo nequit: uerum ut uulneri vicinos pilos abradat, Nouacula utitur, Rasorius, siue culter excisorius uocitatur, aut illo instrumento, quod etiam ad hoc creditur opportunissimum, forceps uulgo forficula dicitur, quorum imagines sic demonstrantur.

NOVACVLA.

FORCEPS.



POSTQVAM caput à capillis circa uulnus undequaque denudatum fuerit, dã-
da est opera ut an os sit nudatum, perspici possit, aut fractum apertè percipiatur,
quòd si aliqua in eo fractura reperiatur, quod dignoscitur si oculis nõ pateat, ubi
digitus immissus est, qui in caluariæ fracturis certissimum præstat indicium, siuè
ubi id non licet, specillo nudatum, aut fractum esse significatur, specillo enim con
siderandum est quantum sit malum in osse, & quam operam exigat. Specilli tamen
admotio an tale quid mali os passum sit, non indicat, & an habeat quid in seipso,
aut non passum sit, sed sedem teli indicat specillum, & an intrò cesserit os ex natu
ra sua, & an vehementer fractum sit, quæ etiam oculis conspicua videnti cogno-
scere dantur. Diuersarum formarum huiusmodi instrumenta parantur, sed quæ
huic operi adaptantur magis, nec nimis plena, nec nimis tenuia esse debent, ratio
2 ¶Libro. 1. de morbis. nibus superius adductis, chirurgi dedecus magnum est, ait Hippocrates 2 si spe-
cillo capiti admoto os fractum adesse non nouerit, quo factum est, ut qui istis utũ
tur instrumentis, illa diuersimodè vocitarunt, antiqui specillum, & radiolum, alij
astillam tentoriam, aliqui stylum, nonnulli expertorem, & exploratorem uocant,
& non immerito, nam sæpè istarum fracturarum cognitio, & experientia, eorum
auxilio acquiritur. verè enim occultarum, & quæ sensibus non subiiciuntur, pas-
sionum. explorator & iudex est, ueluti internarum teredinum, syringarum, vlcerũ
cauernosorum, & diuersorum anfractuum; cuius materia aut argentea, aut ænea,
aut plumbea, communiter esse solet, & sub his formis effingitur.

Hipp. li. de Cal. curat. libro. 1. de morbis & li. de medico. & lib. de fistulis. Cel. li. 8. cap. 4. Gal. lib. de art. Hipp. com. 2 & 6. de anat. ad. m. cap. 10. Paul. lib. 6. c. 25, & 77. Auic. 4. 1. c. 17. & 3. 4. c. 29 Alb. lib. 2. c. 46.

SPECILLI VARII.



COGNI-

COGNITA fractura, uidendum est ne quid ex ipsa membranula, quæ sub cut
caluariam iungit, super os relinquatur. siquidem hæc scalpro, terebrisve lacerata
vehementes febres cum inflammatione excitat: eam itaque commodius & ex to-
to diduci debet, illa tantùm separatione, quæ opportunè operatori id præstet cõ
modi, vt finem assequatur. siquidem multa incommoda ex amplis sectionibus pe
ricranij, & cutis, sequi solẽt. nam membrana neruea est à dura meninge orta, qua
re dolores, inflammationes, & conuulsiones facillimè commouet, & caro, ac lo-
cus affectus imbecillus redditur, quod in his curationibus maximè uerendum est;
hac ratione experti chirurgi operando instrumento aciem obtusam ex altera par
te habent. ex altera uero bene secante, aut spata, seu ea latiori parte uolsellæ utun
tur, quam in continuo usu ad uaria commoda circunferunt; porrò ad multa facit,
nam tutò perioſteos, siue pericranion, quam tunicam Arabes almocatim vocant,
in caluaria fracta ab ipsa diuellit, sæpe etiam fracta ossa, aut depressa eleuat, aptè
medicamenta extendit, & cum opposita, ac duplicata parte, osicula, aut, ut Ara
bes dicunt, sattagias, pilosve, ac minima huiusmodi corpora à vulneribus, & ca-
uernis eripit. communiter verò lichinia, plagelas, ac turundas a plagis extrahit,
vocitatur ab antiquis uolsella, uulsilla, & uulsella, ab Arabibus gesti, communiter
pinceta, pincigarola, & apud nos molettina, & sub triplici forma paratur, cuius
imagines sic inspici possunt.

Hippo. lib. de medicõ. Cel. lib. 7. c. 12. & 30. Gal. Hippo. de med. uul. com. 1. Paul. lib. 6. c. 90. Alb. lib. 2. cap. 6.

VOLSELLE.



FACTA cutis dilatatione accuratè inquiratur si qua ossis depressio, aut fractu
ra appareat, aut eius portiuncula ubique separetur, sic vt digitis quiete subleuari,
aut euelli possit, aut saltem uolsella, aut altero simili opportuno instrumento; si
uerò sano sic adhæserit, ut tuto extrahi nequeat, eo dimouendæ instrumẽto, quod
Græci ostagram, Latini uectem, & uulgares ab eius operatione leuam, siue eleua-
torium vocant; diuersimodè formatur, & simile habent nostri chirurgi, ad uaria
commoda perpetuò paratum, eoque depressa ossa, aut quæ ferè tota excisa sunt,
& iam labant, attollunt, ac una cerebri membranam custodiunt; eo Galenus vteba
tur in fractura camarosis, & engissoma, est enim lamina ferrea angusta, longitudi
nis digiti, ex ferro indo, aut ex calibe optimo fabricata, lenis sed angustior in ea
parte, qua os tangit, aspera & conuexa ab altera, non recta, sed duabus extremi-
tatibus recuruata. similia instrumenta, ob eorum uarietatem uaria sortiuntur
nomina, nam interdum latiora ex vna parte, angustiora ex altera fiunt, & hæc
terna habeantur, aut etiam plura. ut ad opus aptissima sint. quibus demissis, ossa
eodem pene momento quo intenduntur, impellenda ac eleuanda sunt, non aliter
quam si uectis ad lapidem uel lignum attollendum admoueretur. sint ergo orga-
na hæc quantum fieri potest, fortissima ne flectantur. siquidem opus hoc magni
momenti esse solet, & longo eget experimento. tutum tamẽ erit, si idonea instru
menta adsunt, & impulsus conueniens adhibeatur.

Hipp. li. de Cal. curat. Gal. 6. m. th. cap. 6. Cel. li. 8. cap. 4. Paul. li. 6. cap. 90.

VECTES.



CVM PRIMVM medicus sibi opportunum præparauerit locum, ac extractis os sium squillis, filis nitidis uulnus totum impleat sic, ut & uulneris labia, & pericraneum aliquantisper distent, & fractura euidenter pateat, & os nudatum appareat quod interdum iniuriam patitur, quanquàm inuiolatum uideatur: altera die quãta & qualis fuerit ipsa fractura diligenter inquirat; quæ si ascialis, aut rimularis, aut, ut dicit Auicenna, non fuerit nisi cortex, aliquo ex prædictis instrumentis corticem absumere poterit, inde uulnus curare ac si os incolume reperiatur; remanẽte verò in ea aliqua scissura nequaquam ad intima penetrante, eam radere conetur, donec eius uestigium, aut signum non remanserit, & ut iubet Hippocrates, primò super os aliquod nigri coloris medicamentum, quod liquidum sit inducendum est, & vulnus aridis lichinis repleatur, ac desuper cataplasma quod dolores leniet adhibere oportet. postridie uerò soluto, ac purgato vulnere, os deradere expedit. quod si sanum non fuerit, sed fissum, aut contusum, reliquum quod rasũ erit, album inuenietur; fissura uerò quæ nigrum medicamentum eliquatum in se ipsam susceperit, in reliquo osse albo nigra conspicietur: verùm si vna vice tantum negotium expediretur, sat esset. sin autem iterum quoque rima, quam nigram intueris, alte radenda est, ita vt ex toto delitescat, & os sub rima totum album appareat: porrò vel si delitescat, uel ita altè descendat, ut scalpro detrahi nequeat, tũc quidem terebro opus perfici debet, nè sanies super cerebri membranas colligatur, quæ non nisi extracto osse eijci potest, hac ratione os uel serra, uel scalpris, uel terebris, uel modiolis detrahatur: si uerò telum altius non descenderit, rima tantùm radenda est, donec ex toto euanescat; unde Auicenna dicebat, magis rectum est iterum vt frices illud usquequo non remaneat de scissura aliquid, & si amas vt festines cum effusione humiditatis nigræ, donec vehemens fiat apparitio scissuræ, per eam fac, & frica donec non remaneat uestigium. Hæc omnium medicorum est uera praxis, qui loco huius nigræ humiditatis scriptorio atramento utũtur. At quia apud eos instrumentorum variæ formæ ad hasfricationes accommodatæ reperiuntur, de eis aliquid considerare expedit. Apud antiquiores nonnulla aderant instrumẽta, quæ concaui seu semilunaris scalpri formam præ se ferebant: his nempe similia, quibus lignarij fabri paruum aliquod lignum excauant à græcis cyclisca & chylisca, à Latinis scalpra excisoria caua dicuntur. quòd autem eorum imago talis existat, id asserere, eorum vsus, nos cogit, nam dicebat Galenus, operatio, quę per terebrum fungitur, parum tuta est, propterea quòd dum audacius eam tractamus, duram membranam quæ ossi substernitur, nõ rarò uiolamus. quod uerò

uero per cyclisços opus administratur nè id quidem omninò uitio careat, cum quatiat modicè caput, quod potius quietem postulat. Ad eundem modum & Paulus, cùm id explicaret, inquit, si uerò os imbecillum aut natura, aut fracturæ uitio fuerit, id scalpris excisoriis cauis, quos græci cyclisços uocant, a latiori incipientes, mox angustioribus, deinde specilli modo angustis, malleolo sensim adactis, ad capitis concussionem utemur. Hinc Auicenna dum huius instrumenti utilitatem ostenderet, ait, & administra facilitatem in percussione parua & magna, ut non lædatur caput, & inquietet ipsum. Hoc illud instrumentum sine dubio est, quod a Celso scalper lunatus dicitur, qui literæ C imaginem præ se fert; ac ima parte, qua acies continetur in canaliculi speciem utrinque a lateribus sinuatum; sic enim & cauum est, & ad semicirculi figuram accedit, dumve operatur, eius decliuis pars super fracturam, & cornua super os sanum apparent. Est pariter sine dubio scalper excisorius cauus Pauli, qui acies incuruatas inter se, conseruat. Ergo uera delineatio hæc est horum instrumentorum, ueruntamen aliqua recta, & aliqua curua formantur.

CYCLISCA.

NON desunt alia scalpra, quibus Hippocrates os radi iussit; cuiusmodi aũt fuerint non satis constat. illud tamen pro certo est, quòd veteres his non solùm ad os radendum vtebantur, sed eti am ad excidendum. osse enim in ambitu per terebrum perforato huiusmodi scalpris nonnulli ab uno foramine ad alterum malleolo adactis id solùm quod restabat inter foramina præcidebant: id scalper, Celso auctore, cùm planus admouetur, radit. cùm in latus conuertitur, excidit. cauendũ tamen est excidendo, nè anguio scalpri membrana cerebri violetur: verùm quia admodum tuta eius operatio non iudicatur, qualis phacoti creditur, reprobatur. radit enim inquietè, & si carnem attingit, eã lacerat, & dolores mouet, si medius recuruatur vbiuis facilè sistitur, si rectus est, vix continetur, quominus delabatur. forma hæc est.



SCALPRA hæc omnia citra malleoli operam nullius momenti sunt, mouẽtur necessariò malleolo adacto, præsertim in rimis, quæ ad diploidem vsque pertingunt. excauant totum os forti adhibita percussione, non tutò, sed incommodè. hac ratione eius usus nõ probatur. siquidem tutiora, ac magis prona instrumenta his diebus apud nos extant, attamen eius operatio a Galeno adiecto phacoto in aliquius ossis separatione, aut diuisione, laudatur vt infra dicemus. Malleolus hic est, & eius materia aut lignea, aut plumbea esse debet.

MALLEOLVS.



OPINANTVR nonnulli quod Cyclisçus, cuius imago superius delineata est, illud sit instrumentũ,quo recentiores in Caluariæ rimis perpetuò vtuntur,quod ab re est,illud nempe a multis reprobatur,hoc autem securè,commodè, ac festinè operatur,nec malleolo eget, nec caput commouet; rectum est, ac fere vnius palmi longitudinem implet,in imo recuruatur sic vt paruum sinum in orbẽ ostendat.oræ autem,quæ utrinque a lateribus sunt, aciem acutam habent. in ipso autem usu ferramentum in latus uertitur,& ima sui parte os attingit, dumve vna tãtùm manu digitis partim subiectis partim superpositis ducitur, id radit: hoc ad omnes fracturæ modos nostrates utuntur ubicunque diuidendum,aut radẽdum os est, ut quicquid intus cerebri membranas læserit exitum præbeat. Nonnulli hoc solo ferramenti genere cõtenti sunt,nè scalpro, adacto malleolo cerebrum concutiant,aut terebræ mucrone membranam lædant;est enim,ait Hippocrates, & ad perforationem,& ad rasionem facile,ac expeditum; ob id in operãdo cùm ad imam ossis partem deueniunt scalprum imprimẽdo leniter procedunt,tuncq; maximè angusto utuntur,quàmplures nimirum & latiores,& angustiores habentes penes se;siquis ergo manu strenua sit,& exercitatus fuerit,celerrimè hoc solo scalpro omne opus perficiet;ab Hippocrate rasorius scalper, a Paulo scalper arcuatus,à Celso scalper aduncus communi voce,quia raspando, siuè fricando ossium sedes & rimas delere solet,raspator,& fricator, & ab aliquibus curator nuncupatur: verè hæc instrumenta sicuti latitudine, ita numero & magnitudine diuersa esse debent. Cyclisca profectò non sunt, ut aliqui imaginantur, quod ex operatione,& tali forma dignoscitur.

RASPATORIA.



TRIA

TRIA apud antiquos scalprorum genera reperiuntur,unum cauum,alterum lenticulatum,tertium latum,unumquodque quidem radendo idoneum,quę omnia,ignoramus,qua ratione,a medicis nostræ ætatis reprobantur,cùm dicant decepti tamen,securiora,ac magis commoda inuenisse. Hæc quadrifariam præ se ferunt formam,totidemque nomina sibi uendicant, acuta nempè ab acutie, plana à planitie,sphærica à rotunditate,amygdalina ab amygdalæ effigie, & in excauandis,ac explanandis ossium scissuris,rationem obtinent, quæ per cauos scalpros administratur, uitio omnino carent, & scalpra rasoria dicuntur: uideamus quæso formarum diuersitatem,ac legamus nomina,quibus designantur.

SCALPRA RASORIA.



PRAEDICTORVM scalprorum aliqui proprio manico siuè manubrio ita inseruntur,quòd inde euelli nequeunt;alij,& si quam plures uideantur, uno tantùm egent manico,in cuius imo torculatum foramen inseritur,ubi scalprorum caude ex oppositio pariter torculatæ sub eadem forma & quantitate adaptari, facillimè extrahi,& cõmodè permutari possint:Manicus uerò interdum plenus, interdum inanis formatur,ut intus scalpros omnes conseruare ualeat, in fundo tamen effœminatum torculum habet, ut scalprorum caudas recipiat; sub hac effigie formantur.



PRAXIS.

POterant plura alia de scalpris adduci, sed his contenti esse voluimus, quibus etiam rimas, ac sedes omnes delere possumus, & ad hanc rem maxime pertinent: dum ergo opus agitatur, si de rimarum vestigio ancipites fuissemus, nigro medicamento oblinito uulnere os radatur, donec omnis tollatur nigredo, & sanguis emanare inceperit, eapropter instrumentorũ copia adesse necesse est, diuersa quidem in forma pro læsionũ uarietate, ac vnius formæ diuersa in numero, & magnitudine. Sint igitur alia parua, alia mediocria, & alia magna, vulnera enim usque ad diploidem duntaxat ducta angustiores scalpros requirunt, & non terebra, vt contusiones & magnæ fracturæ. Instrumentorũ materia Calybs depuratus existat, acutæ aciei vt optimè radat. Ossium abrasiones fiant iam secta vena. Vena secetur præmisso enemate, aut post conueniẽtem corporis euacuationem, ac summo mane, à latiori scalpro initiãdo, ac per gradus ad strictiorem, indè ad angustiorem procedẽdo donec penitus rima abolita sit. Scalpra perpetuò parata habeantur, nè ex indigentia aliundè quærantur, & tempus amittatur. Absoluto opere cephalicis medicamentis, nàm sic iubet Galenus, vsq; in finem utaris, & sufficit. Quæ uerò rimæ aut sedes altius insident, & ad meninges perueniunt, secus radendæ sunt, ab angustioribus ad latiora progrediendo, vsque quò membrana admodum detegatur, vt per ossis aditum humiditates, si quę fuerint, vel osficula, aut quid extraneum educi possit, ac medicamenta opportunè applicare valeamus. Porrò, antequàm opus aggrediamur, vulnerati aures aut lanã, aut xilo, aut carptis filamẽtis lineis obturentur, nẽ ab ossis fricatione molestè afficiatur, & strepitu horreat, dumq; opus agitur, duo experti ministri caput vulneratum immobile conseruent, nè hinc indè labatur, scalper interdum rosaceo immergatur, nè à motu nimio incalescat, & os accendatur. Post operationẽ, quæ calorem, ratione motus, cui trahendi potestas inest, excitat, ac dolores commouet, nè inflammatio superueniat vereri oportet, ob id interdum anodinis uti non ab re est, quapropter primis diebus vulnus illiniri rosaceo crudo expedit, aut si neruosæ partes detectæ fuerint, terebinthina lota addito oui luteo, ac rosaceo modico; partes etiam circa vulnus rosaceo maturo calido foueantur, deinde linteum uino nigro calido, rosis, ac betonica bullito imbutum, ac expressum, quòd totam partem rosaceo perunctam contegat, adhibeatur, ac superadditis aliis linteis calidis fascia uulnus uinciri debet; talis enim medendi ratio cõcoquit, expurgat, temperatè exiccat, & carnem inducit; rosaceum confortat, inflammationes arcet, dolores mulcet, & materiam, quæ iam fluxa est, discutit; vinum affectam sedem corroborat, astringit temperatè, & fluxiones remeat. At, si alicuius inflammationis initium apparuerit, emisso sanguine, rosaceo solo vtendum est, desuper verò cataplasmate ex hordei farina tosta, & posca, aut illud quod paratur ex planta gine, rosis, farina hordeacea aqua decoctis addito rosaceo ac aceti modico; verũ quia de inflammatione loco proprio agemus hæc pro nunc sint satis; dum uerò inflammationis nulla aderit suspicio, nec vllum indicium apparuerit, Hippocratis sententiam, quam scriptam in libro de Caluariæ curatione reliquit, sequamur, cùm dicit exiccantia medicamenta capitis vulneribus conuenire, & ne humida adhibeantur, prohibet, quippe nec vinum, & si exiccandi, ac constringẽdi vim habeat: ex quibus docemur pinguia omnia, ac oleosa fugiẽda esse, sed perpetuò aridis cephalicis in vulnere vtendum; ossis nempe complexio ualdè sicca est, quę sic conseruari requirit, attamen hoc semper seruato, ait Hippocrates, ut si non iuues, saltem non noceas, symptomatum natura singulatim considerata, & quicquid agis prudenter agas, tutò quidem, citò, ac sine dolore; hæc obiter dicta sint, & ad rem nostram redeuntes, dicimus serrularum quarundam apud

apud priscos ad rimas oblongas tollendas usum fuisse, quæ præsertim transuersim feruntur, & sano ossi conterminant. de quibus Auicenna dicebat, quandoque absoluitur opus subtili serra, quam eam esse arbitramur cuius imaginem inferius delineauimus; quanquàm per subtilem serram, cum Hippocrate, serratum modiolum intelligere aliqui uideantur, dum dicit. At si inter initia ad ægrum non accesseris, sed homo alteri prius traditus, minus tempestiuè tibi cõmittatur, acutiori serra os protinus excidere, usque ad membranas conuenit. subinde autem tollendum ferramentum est, & demisso specillo, eius circuitus considerari debet; circuitus uerò non nisi à tereti instrumento prouenire solet, ut illud est, quod Græci chinycidam, aut cænitium, & Latini modiolum uocant; de quo infrà multa sumus dicturi. Igitur diuersa est subtilis serra Auicennæ, à tereti serra Hippocratis; & quia Auicenna terebrorum distinctè historiam commemorauit, ideò per subtilem serram hic instrumenta similia intellexisse credendum est, quæ in aliquibus fracturis utilissima, ac apud chirurgos peritos obseruatissima sunt; faciunt adhuc in leuioribus, ac profundioribus sedibus ac rimis ad ossa lenienda, si inæqualitates contineant, asperitates delendas, & frustula conterenda; siquidem, ut osse detecto caro coalescat, circumhæreatque omni parti, illud nitidum esse debet. id inde maxime eueniet, si neque sordes, neque oleosa substantia aderit, atque quælibet uitiati, ac detecti ossis pars planè pura, ac sicca fuerit. Serrularum imagines uariæ sunt, nam aliquæ breues, aliquæ longiores, aliquæ planæ, aliquæ asperæ & limatæ, aliquæ rectæ, aliquæ conuexæ & curuæ: subtiles tamen omnes esse debent, dentibus benè acuminatis, & proprio manubrio firmiter insertæ; ualent in amplo osse quod tundendum uenit, interdum acuto scalpro prius sulci parandi sunt nè huc, aut illuc serra delabatur; sæpe pedetentim, secura manu, sola serra opus perfici potest. Sed danda opera erit, cum in primis in omnibus, tum vero maximè in his, quæ circa cranij partes fiunt operationibus, vt breui tempore, & citra dolorem, tum denique, ut tutissime cures. Tutissimè autem curabis, vbi quod aggredieris omnino absolues, uel sin minus, cubantem saltem non lædas. citò vero iucũde & commode rem expedies, cum tui habita ratione, tum illius, qui curatur, instrumentorũ, ac luminis. Serrularum formæ hæ sunt, quas paratas plures habere tenemur.

SERRVLAE.



DE



DE INTERNIS MEMBRANIS DE-tectis ob caluariæ manifestam fracturam. Cap. XI.

VBI vulnus cum manifesta fractura, sensibus tum uisus, tum tactus se offert, aut id ex symptomatibus nouerimus, aut meningam duram detectam, aut telo vulneratam, aut fracto osse compressam, aut laceratam, aut punctam, aut succo diuerso grauatam perceperimus, si ex se tale existat, ut fracta ossa haud ægrè euelli possint, & sic prauis symptomatibus occurrere, non est cur manuum opus exposcat, veluti angustiora in quibus ossa fracta uariis instrumentis amouere necesse est, ratione, experimentoque ducti periculo imminente, ne quidquam subrus lateat, quod naturale non sit, & cerebro officere possit: Cæterùm quia nõ-

a ¶Hipp. lib. de loc. in homine, & lib. de Cal. cu rat. Cel. lib. 8. ca. 4. Scrib. libro de comp. med. Gal. 6. meth. c. ult. & 4. de loc. aff. c. 1. Aet. lib. 14. c. 35. Paul. lib. 6. c. 90. Hali. 9. pract. c. 84. Zoar. 1. Thei sir tract. 2. c. 1. Auic. 5. 4. trac. 3. ca. 1. Auer. 6. col lig. ca 26. Albu. lib. 3. cap. 3.

nulli ab Hippocratis[a] methodo recedentes reperiuntur, empiria ducti, ac friuolis quibusdam, leuibusque suis rationibus, ac experimentis, sanctum hunc, & tutum operandi modum reiicientes, idcirco nos eorum sententias, ac falsas rationes in medium adductas, reprobare intendimus, vt ipsis detrusis tanquam ab omni ueritate, & ratione deuiis, recte seruata methodo cæterorum medicorum, operari valeamus.

PRIMA SECTA EMPIRICA.

ET prima eorum ratio hæc est. Dicunt aliqui quod facilius, ac tutius caluaria fracta emplastris, ceratis, & reliquis medicamentis exterius appositis sanari potest, quàm manuum opera, ac ossium fractorum remotione; ac inde sic argumentãtur. Curatio ea facilior, breuior, ac tutior est, quæ medicamentis exterius applicitis absoluitur, quàm ea, quæ ferreis instrumentis, ac ossium extractione; ergo laudabilior, & magis amplectenda.

Secunda ratio. In omni curatione, ea præstantior habetur, in qua intentio conseruatiua, curatiua, & non destructiua, seruatur: talis verò ea est, quæ medicamentis exterius applicitis utitur; secus autem quæ manuum opera, soluit, nempe Chi-

a ¶Scrib lib de comp. med. descr. 201. ad mentem Trasæ Gliconis, Megetis, Triphonis & aliorum. Gal. 11. meth. cap. 13. & 2. uirt. nat. c. 14. & 2. 4. & 6. Katagen. Auic 4. 4. tract. 2. ca. 11. & 5. Canon. ad mentem Antiquorũ. Cel. lib. 5 ca. 19. Aet. lib. 15. c. 13 Paul. lib. 7.

rurgia, continuum in cute, carne, & ossibus; quò fit ut sæpe multa mala oriantur, atque ossis extractio, aliud non est, quàm fracturæ additio, & ea quæ tantùm medicinis utitur, conseruat, curat, & non destruit, ergo laudabilior uia est, & tutior.

Tertia ratio. Dantur medicamenta ita attrahentia, ut infixas spinas, sagittarum cuspides, schlopetorum glandes, & alia e corpore extrahere ualeant; ergo & ossa fracta saniem, & cæteras humiditates sub craneo contentas, quorum syluam apud antiquos medicos[a] uidere est facile.

Quarta ratio. Instrumẽtorum operatio, cyclischis nimirum, phacotis, terebris, modiolis, & similibus, præterquàm quòd ægris terrorem incutit, inflammationes accersit, teste Paulo, & Auicenna; medicamenta verò exterius solum apposita, huius noxæ ansam fugiunt; igitur laudabiliora, ac magis idonea uidentur.

Quinta ratio. Cerebri inflammationes, aut meningarum, nempe phrenesis, & lethargia

lethargia solis medicinis caluaria intacta sanari solent, ergo magis existente fractura posse sanari credendum est, discussa causa: ergo saniem educi, & ossa fracta amoueri absque instrumentis possibile est.

Sexta ratio. Experientia comprobatum est, plerosque sanatos esse sola medicamentorum applicatione, & non chirurgia; cui experimento magis credendũ est, quam rationibus, non est equidem neganda eius vtilitas, cùm sensibus acquiescere fit necessum, nec[a] sensum pro rationibus dimittere licet, præsertim cùm sit concessum medicamenta dari attrahendi ualida potentia prædicta; potentiæ[b] enim per operationes cognoscuntur.

a ¶Arist. 1. de gener. com. 58.
b ¶Aristot. 2. de Anima & 9. metaph.

Septima ratio. Sumpto medio ab auctoritatibus, sic argumentantur, ex Celso, ubi ait. In omni verò fisso, fractoue osse protinus antiquiores medici ad ferramenta venicbant, quibus id excluderent; sed multo melius est prius emplastra experiri, quæ caluariæ causa componuntur. Ex Auicenna[d] pariter dum dicit, in cura uulnerum capitis principium quidem consistit in emplastris, & erit eius rectificatio velociter: quam plurimas etiam alias antiquorum[e] auctoritates adducunt probantes in cura sodæ, ac meningarum inflammatione medicamenta magis ualere, quàm manuum operatio; ergò magis probantur, & magis ualere creditur. His omnibus rationibus breuiter respondentes, dicimus.

c ¶Lib. 8. c. 4.
d ¶ 1. 3. trac. 3. cap. 14.
e ¶Gal. 2. Meymir. cap. 7. Aet. li. 6. ca. 47. Paul. li. 3. c. 6. Hali. 5. pract. cap. 10. Rasis. 6. ad Al. cap. 18. & lib. diuis. cap. 3. Auic. 1. 3. trac. 2. c. 26

Ad primam: Antecedens negatur ob id, quia huiusmodi medicamenta non dantur, quæ tantum exterius applicita, eas omnes indicationes, quæ necessariò requiruntur, explere possint, veluti fracta ossa tuto extrahere, mẽbranas a putredine mundare, vniuersum vulnus exiccare, affectam sedem corroborare, eãq; proprio symmetro conseruare, nouam carnem producere, & tandem inducere cicatricem, quod experimento compertum est, & apud antiquos scriptores pro absurdo habetur; quod si darentur, eorum scriptis mandata fuissent.

Ad secundam: Negatur pars secunda minoris rationibus iam dictis, & ad tertiã respondemus, operationes ab experto medico, & rationali celebratæ sunt ueræ, ac tutæ indicationes curatiuæ, & ad requisitum finem opportunæ, ad unionem uidelicet partium separatarum inducendam; siquidem chirurgus rationali methodo ductus vulnera, ac fracturas sanare, nõ aũt destruere solitus est; ac dissectas partes humani corporis coire facit, & unionẽ inducit, quod aliter tutò fieri nequit.

Ad tertiam, dicimus medicamentorum attractiones, temporis longitudine perfici, quæ caluariæ fracturis competere nullo modo uidentur, atque minus urgentibus symptomatibus, ac latè patente causa: adhuc intentio in caluariæ fracturis nõ tantum dirigi ad puris aut ossium extractionem debet, sed ad membranæ abstersionem, & ad quàm plurimas alias requisitas operationes medicamentorum uarietatem requirentes, & si ab antiquis ad ossa, & spinas extrahendas medicamentorum uaria genera descripta reperiantur, ea quidem valere credimus dùm ossa, aut teredine affecta, aut seiuncta, aut a calore innato destituta fuerint; tunc spontè solent hoc modo egredi, & eo celerius noua subnascente carne, quod in caluariæ fracturis expectare non decet. Amplius dicendum medicamentorum attrahentium quædam à proprietate substantiæ, seu à qualitate, aut operatione, vt dicunt, occulta, quædam ob suarum partium tenuitatem, & caliditatem id agere; vnde si primo modo, saniem attrahere possunt, non ossa, ratione dissimilitudinis substantiæ, si à forti calore nullo modo conueniunt in his affectibus, & minus si dolor aliquis, aut inflammationis initium apparuerit.

Ad quartam, respondendum est, meliusque laudabilius fore ægrotantis saluti consulere, quàm eius timorem prospicere; præterquàm si ab excellenti, & perito chirurgo tractetur, non timet; qui dum talis existit, tuto, eleganter, citò, lętè, & sine dolore opus absoluit, eoque magis si opportunis, & accommodatis instrumentis, ac expertis ministris haud indigeat; tunc enim nec timorem, nec aliud accidẽs inducere solet, quod ex necessitate post operationem non apparet, sed inepta po-

tius

tius imperitorum medicorum agitatione,uel ob ambientis qualitatem,& uehemẽ
10 tem frigiditatem,seu malam uictus rationem.

Ad quintam negatur similitudo, ob id, quia inflammationes internæ non omnes medicamentorum duntaxat externorum applicatione, sanitati restituuntur, sed interdum corporis uniuersi euacuatione initiante morbo,ac materia pauca benigna,ac discussioni opportuna,existente in corpore robusto,optimi habitus,latorum pororum,quod malorum humorum copia non scateat; secus uerò semper uidetur ubi plurima fuerit materia facta inflammatione,in cacochimia, aut succo maligno.siquidem intercunt omnes,præterquàm si in incremento aliqua significatio apparuerit,crisis dicta,ueluti plurimus secessus,aut lotij copia, vel sudoris abundantia,aut è naribus sanguinis multitudo,aut erisipelas exterius,aut alia que- 20
uis euacuatio a natura,& non à medicamentis facta, & si aliqui euaserunt, regulã facere minime videntur.

Ad sextam respondemus,verum esse quosdam sola medicaminum applicatione conualuisse,quod artis perpetuo esse non creditur.nam aliquibus hoc euenire posset ob intrinsecas,ac proprias dispositiones,vt in corpore eucrato,robustę virtutis,in aere saluberrimo cum latiori fractura,in qua aditus adeò patet, vt omne præter naturam contentum,facilè educi possit;porrò hę conditiones omnes non ubique,nec in omnibus reperiuntur, nec curatio per medicamenta in uniuersum probatur,nec tutior ea habetur,quę optimo uictus regimine, opportunis euacuationibus,& diligenti chirurgia perficitur. 39

Ad septimam,dicimus Celsum ibi medicamenta non probare ad uulnera, & fracturas,quatenus talia,quæ uarias indicationes exposcunt;sed in eorum principio humorum,ac uaporum ascensum prohibere intendit:probat lanam aceto imbutã, quæ quotidiè permutari debet usque ad diem quintam. probat item medicamenta alia similia ex accto,& reliquis ad prohibendas inflammationes, & ait,si uerò sub prima curatione febris intenditur,breuesque somni, & ijdem per somnia tumultuosi sint,ulcus madet,neque alitur,& in ceruicibus glandulæ oriuntur, magni dolores sunt, cibique super hæc fastidium adaugetur.tum demum ad manuũ operationem,scalprumque veniendum est,dimittendaque emplastra, & medicamenta omnia reprimentia: pariterque dicimus Auicennam ibi de passionibus cerebri, ac membranarum sermonem habere, cùm accidentium quorundam horum affectuum meminerit: præsertim si ad cerebri ventres uulnus deuenerit,quo circa ad inflammationes arcendas, ac tumorem, alfuturatim dictum, prohibendum, emplastris vtitur, ut omninò talis meningarum, aut cerebri excrescentia impediatur; nam paulò post medicamenta propria localia enumerat. Auctoritatibus etiam in cura sodæ a percussione dicimus medicorum intentiones ad quietem, & dolorum remotionem solummodò dirigi, vtpotè accidentium grauiorum inducias minimè ferentium, & non ad caluariæ fractæ curationem, nec ossium extractionem, vulnerum absterſionem, & carnis productionem; alibi enim de vulneribus capitis ad plenum pertractarunt. Ea verò reliqua 50
argumenta,quæ hæc secta in medium solet adducere,vtpotè nullius momenti,ac friuola omittamus,ne frustra citrà vtilitatem laboremus:hoc tamẽ ynum addi potest,quod si qui Galenum præcessere, ac tantùm in hac curatione medicamentis, & non Chirurgia vsi fuerint,illud euenire potuisset ob id,quoniam anatomẽ non exercuere,neque opportuna,concinnaque terebra,aut modiola parata habebãt, quemadmodum nostrates quotidiano usu obseruant.

SECVNDA SECTA EMPIRICA.

ALTERVM Empiricorum genus adhuc viget,Hebræorum nimirũ,ac Germanorum, quibus potionibus quibusdam caluariæ fracturas indifferenter turò sanari posse,visum est;has pigmenta vocant. quorum vsus in fistularum

10 stularum,cassaliumque vulnerum curatione habetur: exterius verò caulium folia solùm apponentes,citrà rerum non naturalium,vt vocant,considerationẽ, nulla quidem ratione ducti,sed priuato solo experimento,nescientes profectò illud casu euenire,naturæ ualidissimo robore operante,non pigmẽtorum facultate; quæ si talis esset,vulnus omne, fracturaque, licèt membrorum nobilium noxa consisteret,indubiè curaretur:quod hercle falsum est.Absint igitur à nobis tanquàm erronei,& mendaces,tametsi simplicia vulnera reliquarum partium, aut puras fistulas his potionibus exiccantibus,interdum sanauerint: non sunt probandæ capite fracto,vbi ueræ,uariæ,ac diuersæ operationes ordinatæ requiruntur, per excellentem,ac peritum virum administrandæ. Sunt etiam qui caluariæ fracturas, & vul-
20 nus quodcunque tùm simplex,tùm compositum,fontis aqua duntaxat, orationibus,ac benedictionibus,incantationibus,& similibus sanare arbitrantur, linteola quàm plurima eadem aqua sic parata,imbuta,apponentes,nilve aliud agentes. Cæterum quia nondum operationem notabilem ex his nouerimus,neque experimẽtum securum uiderimus,præterquàm in leui,& carnoso uulnere; eapropter nunc ea silentio pertransibimus,in calce enim huius primi libri describemus quic quid particulatim scriptum inuenerimus,aut de hac empiria audiuerimus. Solent tamen isti in quibusdam uulneribus manuum operationes probare,ut in fractura, engissomatos,& camarosis,ubi ossa in plures partes diuisa apparuerint.

30 TERTIA SECTA RATIONALIS.

VI verò [a] ratione ducuntur,hippocraticam methodum seruãtes, duas potissimum causas, ob quas ferreis instrumentis in caluariæ fracturis vti necesse sit,ut ossa fracta,aut dubio affecta eximi possint, assignare videntur;quarum prima deligatio est,indicatione sumpta a natura partis læsæ, quam in aliis fracturis, ceu maximè phlegmonas arcentem ratio inuenit, capiti adaptare non possumus,nec quod affluit reprimere,nec quod in ægris partibus continetur exprimere,sine quibus præsidiis nec reliquorum ossium vllum seruari sanum potest: secunda ex communi omnium sententia sumitur, ut si ossis aliqua pars pun-
40 gat,comprimat,aut humiditatum sub cranio contentarum expurgationem prohibeat,illa quidem tollatur,manuum nempe, ac instrumentorum operatione: siquidem hæc,nec ligatura duorum capitum, vt in aliis fracturis Hippocrates facere solitus erat,nec alio ingenio expelli possit, quam operationem innuit Hippocrates [b] dùm dicit,si fissuram,rimam,aut fracturam scalpro adimas minus horrẽda hæc est,& minus negotii exhibuerit fissura deleta;si uerò in profundo sit,& dũ raditur deleri nolit,calamitas hæc ad perforationem deuenit,qua integræ hæ fracturæ curantur;& alibi,siquidem os fractum fuerit, ac contritum periculo vacat, & curare oportet hunc humectantibus medicamentis.Si verò rumpatur, & fissura fiat,periculum est,huic ferram adhibere oportet, ne in ossis scissuram sanies in
50 fluens membranam cerebri corrumpat.nam vt per angustum intrans,non autem exiens,affligit,& furere hominem facit; huic itaque ferram adhibere oportet, vt sanies exitum habeat, & facta ampla serratura medicamenta commodè ingredi possint:igitur ambigendum non est,an Hippocrates manuum opere ac ferramentis exercuerit, quod apertè percipi potest [c] in casu Antonomi,famulæ in Omilo Equisonis;Palamedis,& aliorum;vel etiam Celsi [d] testimonio dum inquit,in omni verò fisso,fractoue osse protinus antiquiores medici(Hippocratem, & Soranum innuens)ad ferramenta veniebant,quibus id exciderent.nam os fractum, nisi succursum est, grauibus inflammationibus afficitur,difficiliusque postea tractatur.Probat hãc operationem Galenus [e] dicens,Etenim si cranium est fractũ, id curamus præcipuè,vt quàm citissimè ossa fracta excidamus, ne uidelicet ipsum cerebrum aeris occursu refrigeretur;id quod certe esset malorũ vltimum illi, cui

caput

a ¶ Gal. 6. meth. c.6. Auic. ca. de fract. cran.

b ¶Lib. de Cal. curat. libr.1. de morbis.& li. de loc.in homi.

c ¶5.& 7. Epidemiarum.

d ¶Lib.8.c.4.

e ¶8.de usu par.

caput fractum est. Sed quid magis, nonne & Galenus [a] ipse, se operatum ferramentis esse demonstrat, cùm dicat, Nouimus enim aliquando sincipitis os fractũ; quod autem os huic protinus succedit temporis os uocatur, in quo ipsas squãmatim commissuras compactas esse accidit, in eo luculenta fractura longissimè pernebat: quam ipse equidem minime contingens, sed tantum sincipitis os excidẽs, hominem sanaui, sic vt nunc quoque multos iam annos viuat atque statur [b] etiam Pergamenos suos capita perforasse, dum inquit, Columbæ sanguinem Pergameni nostri, atque etiam per totam fere Asiam, qui capitis ossa confracta perforant, in crassum cerebri inuolucrum effundere solent; & paulò post, Ego [c] verò sexcentos noui eorum, quibus Romæ perforata fuere capitis ossa, nec quicquam ab vsu rosacei citrà columbę sanguinem offensos. Auicenna etiã itidem locutus est, scias quòd ossa capitis diuersificantur ab ossibus aliis, cùm franguntur, quoniam nõ restaurat natura super ea alrosbot forte, sicut attrahit ipsum, & nasci facit super reliqua ossa, immò rem debilẽ: quapropter, vt non effundatur pus ad interiora, oportet ut extrahatur si fuerit plaga capitis completa, & non fiat occupatio in restauratione eius. Omnium igitur Græcorum, & Arabum sentẽtiam fuisse videtur, qualem descripsimus; patet quę terebris, ac modiolis cranea perforasse, vt corpus tutum redderent, ac à prauis symptomatibus liberarent. sed cũ nostri in his opinionibus determinandis insistere non sit instituti, auctoritates quam plurimas diuitatemus, quibus operandi necessitas demonstrari posset. Absint igitur qui operationes improbant, credentes tutò cataplasmatibus, emplastris, potionibus, aquis, & suis incantationibus fracturas Caluarię omnes post posito victus regimine, ac operationibus dimissis, curare posse; veruntamen si hisce eorum medicamentis, interdum vti necessum fuerit, illud eueniet nempe, vel ob vulneratorum animi pauorem tale operis genus respuentium, vel ob causam à medico perpensam, veluti est ætas infantiæ, aut decrepitatis, vt sunt vtero gerentes, aut si fuerit rationalium Chirurgorum penuria, aut instrumentorum defectus. quę omnia in aliquibus temporibus reperta fuisse aliqui [d] testantur; vel dum talis [e] fuerit fractura, vt nulla indigeat operatione, nullo symptomate apparente.

a ¶ 6. meth. cap. ult.

b ¶ 10. de simp. med. cap. de lapide ex columb.

c ¶ 10. de s. m. ut supra.

d Zoar. 1. Thesir. albu. in suo proh. Auerr. 1. coll. cap. 1. & 7. coll. c. 32.

e ¶ Hipp. lib. de Cal. curat.

DE OPERANDI RATIONE FERREIS instrumentis.

RVrsus vbi ad manifestas fracturas peruenerimus, aut os depressum perceperimus, & sanguinem, aut alterum succum per ossis scissurã super membranas destillasse vereamur, cerebrumq;, ac membranas compressas, aut punctas esse dignoscamus, aut quid extraneum absconsum detineatur, manuum opus, mollire necesse est sæua accidentia non expectando, omni adhibita diligentia, vt sedes affecta & affectus natura ac magnitudo ad unguem percipiatur. Si igitur minor plaga est, quàm fractura ipsa, secetur donec uniuersum os fractum, aut quòd fractum sit dubitatur, conspici possit. sic enim iubet Hippocrates [a] qui tribus de causis sectionem fieri debere innuit, nempe cùm os nudatum est, ut aperte noscatur quid mali senserit, & cuiusmodi sit, quantumque carnis collisum. secus uerò cum sub telo inuiolatum seruetur, nihilque læsum sit, quidque opus in curatione, egeat tam quod ad carnis, quàm quod ad ossis uitium pertinet; secundò cũ enudato osse uulnera intus caua sint, ut latiùs pateat intus, quàm extrà, neque possit ea medicamenta recipere, quibus nutriendum sit, incidi debet scalpello transuersa linea ducta, qua parte medicamenta non admittit; Tertiò cùm uulnus orbiculare est, capacissima enim omnium figurarum sphærica iudicatur plaga quæ in orbem est, cùm angulum non habeat unde caro nascatur, diuturniori tempore repletur: quare eam sectione accommodare opus est, sic ut duæ lineæ scalpello ducantur in longitudinem hominis, altera nimirum a superiori parte orbis, ab inferiori

a ¶ Lib. de Cal. curat.

riori altera, quò uulnus longum reddatur. Itaque, inquit Celsus; [a] quantum fieri potest eodem momento & cutis incidenda est, & os detegendum, ante inflammationem enim tutius omnia tractantur; sic etiam Paulus, & Auicenna senserunt. Plagam igitur, si ex uulnere talem esse nouerimus, qualem necesse est habeamus, sat erit; si autem manibus facienda est, ea fere commodissima esse solet, quæ duabus transuersis lineis per medium se mutuo secantibus literæ X figuram accipit, licèt priuatim huius non meminerit Hippocrates, primę quidem in genere sectionum manufactarum; oportet autem, ubi secatur, carnem ab osse diducere, & membranam quæ ossi iuncta est, separare; deinde uulnus uniuersum linamentis implere, oui albumine imbutis, præsertim in sanguinis fluore, uel etiam & candido, iuteoque simul, ut dolori obsistamus; sic enim in posterum diem minimo labore uulnus apertum habebimus. suprà uerò pulluillos, ex molli stupa paratos, uino, & rosacco infusos apponemus, aut Hippocratis cataplasma, siue polentam tenuissimã, quæ ex aceto aqua & farina hordei tosti subacta, atq; incocta sit, vt glutinosa reddatur: demùm caput fasciis concinnè, & vt tantùm contineantur quæ fuerunt apposita, auolui debet. nam fasciæ, quæ ad continenda medicamenta superdantur, in capite opportunæ sunt; Et hic quidem operandi modus à nobis probatur, dimittendo spongiam aceto imbutam Celsi aut poscam Pauli, cùm vsu non seruentur, sed vtimur vtplurimum aridis linamentis, qui modus communiter laudatur.

Altius itaque collocato capite, ita secanda est plaga, vt omnino prædictæ figuræ imaginem referat, sic, vt vna sit linea ipsius plagæ, altera, quam scalpellus chirurgus duxerit, ex quo tetragona figura oriatur: antea verò caput radẽdum esse clarius est, quàm dignum quòd scribatur; ab osseque diducta carne & pericraneo, angulo eleuentur, linamentisque aridis plaga impleatur. Vt autem opus hoc absoluatur, opportunum instrumentum requiritur, quòd à Paulo culter excisorius, ab Auicennæ interprete nouacula, vulgo rasorius, quòdque a Chirurgo perpetuò deferri debet; ad hanc imaginem efformatur; aut tale sit, cuius forma hic intueri licèt, aciem obtusam ex altera parte habet, ex altera verò acutissimè secat.

Vt autem forma incisionis externæ cutis, quam isti scorticaturam vocant, superiùs enarratæ faciliùs sensu visus percipiatur, eam sub hac effigie delineare decreuimus, in qua anguli quatuor eleuantur.

TETRAGONA SIVE CRVCIALIS.

a ¶ Lib. 8. c. 2. in fine.

At cum sæpenumero contingit, vt vel ratione ossis substantiæ imbecillioris, uel ratione modi percussionis, vnum plagæ latus duntaxat fracturam experiatur, tũc vnam partem tantum secare sufficit, latus nimirum illud, sub quo fractura impressa est; nam non semper ad eam sectionem, quam crucialem vocant, cogimur deuenire præterquam in fractura ingenti, aut magna depressione sub ambitu plagę tetius. Ergò interdum datur sectio recta à latere vulneris ad vulnus ipsum, adeò vt anguli recti constituantur, ex linea recta ducta supra lineam rectam, præsertim si vulnus rectum, aut oblongum extiterit, & fit figura trigona, quæ ad operantis intentum conducit; Diducatur ab osse caro, & membrana, ac eodem modo regatur vulnus, vt dictum est. hanc sectionis formam multi orthogonalem vocãt, à qua anguli duo recti prius formantur, deinde super os detectum, cùm labra eleuantur, triangulus quidam apparet, ac ut talis sit prius vulneris sectionis imago efformetur ⊢. postea in hac capitis forma, duorum angulorum eleuatio, triangulum efformantium conspici potest; quod sequens figura apertè demonstrat.

TRIGONA SIVE ORTHOGONALIS.

39

Quod si vulnus ob sui magnitudinem, rectæq; fracturę formam, diduci potest, labiaq; non nihil separari, nulla sectione opus est, sed mox tantùm aut digito, aut vnguibus, aut instrumento aciem obtusam ex altera parte habente membrana ab osse diducatur, labia adinuicẽ æqualiter distent, sic vt fractura latè pateat, & opus commodè confici atur, quemadmodum hac figura uidere est.

LINEALIS SIVE RECTA.

Cvm

Cvm autem secare intendimus latas, & magnas sectiones vitare oportet ob id, quia particula, vbi ad cicatricem est perducta, non solum turpissima redditur, sed etiam protinus imbecillior fit: ergo cum nudati ossis causa, plaga in capite secatur, vt pateat, necnè à telo os ipsum læsum fuerit, eatenus incidi debet, quatenus opus esse uideatur, omni studio ne [a] meninge os tegenti inflammatio suboriatur, ac indè consortij lege duræ membranæ, & cerebro communis fiat. Suturam igitur nunquàm secare oportet. nam in sutura os est diuisum & facilius cædit. neque ab ea pericraneum diuellere; siquidem [b] suturæ maximè neruosæ sunt, nec memoria excidat quòd tempora, & regio superior iuxtà uenam, quæ per tempora fertur, ob eius sensibilitatem attingi non debet; cũ enim, qui incisus fuerit, neruorum distensio prehendit, nerui enim qui a tertio pari oriuntur per has membranas disseminantur, & in eas desinere videntur, musculorum quippe omnium hi à prauis, accidentibus facillimè corripiuntur, cum neruorum principio ualdè proximi sint, adeò, ut ossis tantùm substantia tenuis inter ipsos, & cerebrum media sit, inferiori maxillæ motum præstant, quæ capiti iuxtà tempus committitur, & nè [c] ab externa causa facilè læderentur sagax natura iugalia ossa, Zigomata a Græcis dicta, solida & duriora absque medulla superposuit. Cæterum quanquam Celsus [d] hæc omnia nouerit, in eis etiam sectionem admittere uisus est. ait enim, neque id vitium vllum metum, nisi inter musculos, qui tempora continent, affert, sed ibi quoque nihil tutius fit vrgente nimirum necessitate, & si accidentium magnitudo impellat, agendaque tunc temporis incisio est, iuxta villorum progressũ, in temporibus: secus verò in fronte, & supercilijs, vbi sectio corporis rectitudinem transuersim rugas requirit, nè ob cicatricem facies plurimum deturpetur. Itidem supra caluariæ suturas sectiones uerentur, nam pericraneum illæsum ibi perpetuò seruari debet, cùm per suturas duræ meningæ, à qua ortum habet, proximè coniungatur, plurimæque venæ per eas transitum habeant; nec ullo modo facta sectione, calli in suturis gigni debent, nè vaporum continuus exitus impediatur, ac interioris membranæ motus deprauentur. attamen concessum in ipsis est, præsertim in coronali, cauteria vulgo dicta fieri posse, uel candenti ferro, uel urẽte quopiam medicamento, pro affectus ratione. Quapropter nos & accidentibus, & rationibus coacti sæpe & in temporibus, & in futuris felici quidem euentu sectiones moliti sumus; cuius actionis testes sunt quàm plures discipuli nostri, qui nunc excellentes viri euaserunt, & curationibus nostris sæpius interfuere. Hortamur igitur Chirurgos necessitate motos intrepidè ad opus deuenire, nam satius est aliquid nonnulla cum fiducia, vel cum periculo facere, quàm omni spe adempta certò perire. Patet itaque, ac demonstratum est fractæ caluariæ curationem manuum opera, ac ferreis instrumentis fieri debere; sed antequam ipsam aggrediamur, considerationes quàmplurimæ necessariò requiruntur, quarum prima TEMPVS est operationi opportunum: secunda LOCVS suè situs illi accommodatus; tertia QVANTITAS ossis extrahendi; quarta INSTRVMENTORVM forma, & numerus ad operis absolutionem: quinta OPERANDI modus: sexta MEDICAMINVM administrandorum post operationem substantia, ac facultas ad rationalem uulneris curationem conueniens, ac insimul ordo totius in ea seruandus, tum ad præcauenda accidentia tum etiam ad ea amouenda, quæ superuenerint. Sed ut ordine quodam procedamus, a tempore ueluti ab ea indicatione, quæ satis vrget, initium capiamus.

a ¶Hipp. lib. de Coac. prænot. & lib. de Calu. cutat.
b ¶Gal. com. 4. lib. Hipp. de Articulis.
c ¶Gal. 1. de usu part. circa principium.
d ¶Lib. 8. c. 4.

DE TEMPORE CONVENIENTI.

Licet varietate quarundam antiquarum opinionum de temporis historia ad has actiones dubitari posset, cùm de eo multi diuersimodè crediderint; nos tamen dubitationes dimittentes, ex longa praxi dicimus, ope-

rationum huiuſcemodi determinatum tempus non concedi, ſed ſumi debere ab indigentia ipſius operationis, quandoquidem curatiua vulnerũ indicatio a morbi eſſentia, patientis robore, & ſymptomatum natura, & non à tempore ſumi debet, non eſt enim quòd tempus præfixum ad opus plurimum faciat, cùm ſymptomata, aut ea, quæ affligunt, aut quæ afflictionis indicium præſtant, temporis præbeant occaſionem; porrò ab Hippocrate dictum eſt modò citius, modò tardius accidentia fracta caluaria ſuperuenire: quapropter omnes vnanimes fatentur eam operationem turiorem, utiliorem, & magis laudabilem fore, quę celeriter admodum pleturꝰ, & ideò axioma hoc perpetuò durat, quanto citiùs, tanto melius. Cùm igitur ad operationem accedere cogimur, auctore Hippocrate, ea nempè ante quartam adminiſtretur, id magis æſtiuis temporibus in quibus humores putredini parantur, & inſultus naturæ, contra morbum mouentur, cumque tempeſtiuè ad curationem accerſiti ſumus, & ante inflammationis initium, corpore euacuato, ſi expedit, os perforare oportet. nam plerunque æſtate poſt ſeptimum diẽ febris corripit, hyeme verò ante decimumquartum. Igitur, inquit Celſus, non ſunt audiendi, qui oſſe nudato diem tertium expectant, vt tunc excidant, ex quo euenit vt humor ad membranam deſcendat, exitum verò nõ habeat, ac eam irritet, & graues inflammationes moueat. Matura itaque operis abſolutio requiritur, cùm internã læſionem nouerimus, neque tertium tranſigamus diem, nempe hoc pacto determinata temporis deſignatio fieri poſſet. Cùm verò accidentia vehementer intenduntur, dum humiditates ad putredinem tendunt, & naturæ inſultus contra morbum apparet, nec de Lunæ aſpectu, hoc eſt nouilunio, aut plenilunio, aut de criticis diebus, qui magis ad prognoſticum, quàm ad curationem faciunt, cura habenda eſt; ſed quamprimum negotium moliendum, vt ſanguis nondum congelatus facilius exeat, ac nè errans cerebrum perturbet, vel premendo grauet, vel æſtuando inflammet, minusque extendendo dolorem moueat. hinc Auicenna dicebat, quando frangitur craneum, & infrigidatur velamen, & apoſtematur, tũc opus eſt vt feſtines ad inciſionem; at ſi neceſſaria fuerit expectatio, ea ſit vſque ad duos dies, aut tres; ſed ut plurimum oportet ut curetur in ſecundo, præſertim ſi panniculus coarctatus, aut punctus fuerit, quoniam punctura facit ad apoſtema, & ſpaſmum; quare oportet vt extrahatur illud os ſtatim, & remouebuntur accidentia. Ergo ab apparentibus ſymptomatibus, aut ab eorum timore operandi indicationes diligens medicus ſumere poteſt, & magis in corporibus cacochimis, aut malis ſuccis repletis: verùm vbi a principio facta non fuerint ea, quæ ſubterfugere non licèt, reliquis diebus efficiamus. ſatius nanq; eſt quoquomodo tardius occurrere remediis, quàm ijs omiſſis, ſine ſpe mori ægrum ſinere. ob id & tertio, & ſexto, & decimoquarto, & reliquis diebus indifferenter operari poſſumus, quod ſi per firaturam humiditates, & quicquid ſubtus continetur facilè expurgentur, cerebrum a noxa tuetur, vel ſi materia exigua, & benigna fuerit, & ab innato calore regulari & diſcuti poſſit, tunc demorando interdum nihil damni affert, eoque magis ſi in regione temperata, conſtitutione non æſtuante reperiamur, egrotantisque habitus validus ſit, nec copia malorum humorum ſcateat, ſi opportunæ euacuationes præceſſerint, victus ratio congrua, nec accidens vllum appareat, quibus conditionibus temporis aſſignationes obſeruandæ ſunt. Ab anni conſtitutione ſolebat Hippocrates operationem innuere, cùm dicit, Ab initio autem cùm vulneratum ſuſceperis, hyeme quidem ante quartam decimam diem, omninò os auferre tentato. æſtate verò ante ſeptimam, priusquàm ſymptomata mala oboriantur. verùm, quoniam hyeme quandoque die vndecima accidentia ſuperuenire ſolẽt, decima abſque vlla operatione non eſt prætereunda, quæ æſtate accelerari debet; tunc enim humiditates facilius alterantur, & corrumpuntur vehementius in humidiori temperatura. Abiiciamus igitur Empiricorum ſententias, operationes reprobantes, nec eos audiamus, qui ſymptomatum acceſſum morantur, priusquàm operen-

operentur, quo ſit vt errores, & damna ægri experiantur; corpora ſiquidem humida in loco calidiori non ventilato conſtituta facilè putreſcunt, ſerius vero in frigidiori; & hinc efficitur quòd accidentia diuerſimodè, & variis diebus apparent, &, vt retulit Paulus, & Auicenna, etiam tranſacto anno patientem inuaſerunt: nõ datur igitur ad hoc tempus præfixum, ſed omnia rationalis medici iudicio dirigantur Celſi præceptum obſeruantis, prudentis hominis eſſe primum, qui ſeruari nõ poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem eius vt occiſi, quem ſors ipſius peremit; deinde, ubi grauis metus ſine certa tamen deſperatione, indicare neceſſariis periclitantis in difficili rem eſſe, ne, ſi victa ars malo fuerit, uel ignoraſſe, vel fefelliſſe uideatur.

DIGRESSIO.

AT cum [a] caluariam quandoque frangi contingat cute exterius integra remanente, non eſt cur ambigendum ſit, nunquid huiuſcemodi fracturæ genus concedi poſſit, quamquam argumenta quam plurima adducantur, uidelicet quòd minus percuſſionibus cutis & caro reſiſtat, quàm os, & ideò ſuapte natura promptior ſit ad vulnera ſuſcipienda oſſe ipſo, agens [b] enim facilius agit in patiente bene diſpoſito: Cutis ob ſui ſubſtantiam mollem, laxamque minori negotio ſoluitur, quàm os, cum melius diſpoſita ſit: Inſuper cum oſſis tegumentum, ac tutela cutis a natura genita ſit, oſſe facilius frangi, diſrumpique poteſt, utpotè ſolidiori, ac duriori: præterea quemadmodum in fluxionibus a capite ad pectus pulmonem promptius affici contingat, molliorem nimirum, ſubſtantiaque laxiorem corde ipſo ſolidiori ac denſiori, ita & in capite veriſimilius eſt cutem, quàm cranеum lædi poſſe: ſed unicuique patere poteſt, quomodo oſſis ſubſtantia, licet durior, attamen tanquam tenuis, frangatur, cum magis reſiſtat, & corpori graui opponatur, impetu quodam exterius aduenienti, quàm cutis compactæ quidem ſubſtantiæ, & cedenti adeo, ut non frangatur ad ſenſum, quamquam cõtinui ſolutionem patiatur, idque magis euenire ſolet in oſſibus ſiccioribus, vel natura, uel ætate, ut in colliſionibus, & contuſionibus quotidiana commonſtrat experientia; ſecus uerò in pueris [c] qui ob oſſium humidorum, molliumque ſubſtantiam, minus franguntur, cum facilius cedant ac flectantur; propterea in caſu ab alto precipitantes, ut plurimum noxam euadunt, patet etiam tale quid in phyſicis de fulmine, a quo ex uelociſſimo deſcenſu ab aere enſis in uagina abſumitur, illæſa uagina. compertum eſt etiam in re medica febrem fixam, quam Hecticam uocant, prima acceſſione ſolida membra inuaſiſſe, & non ſpiritus, aut humores, cùm tamen facilius ſit, humores, & ſpiritus affici, quàm ſolida ipſa membra. Quòd autem cutis non rumpatur falſum eſt; ſoluitur enim ſemper in contuſionibus, quanquàm innoteſcat affectus, vt in apoſtematibus contingit. Siquidem [d] in eis, & ſi occultè, neceſſariò datur continui ſolutio. porrò ex tribus morborum generibus vnum fit nempè apoſtema. ſed his omiſſis, dicimus huiuſmodi fracturæ genus celerem quidem ac ſolertem manuum, inſtrumentorumque operam requirere: nanque dum occupatio in apoſtematis curatione ſit, & ad fracturam non peruenitur, fortaſſe accidit vt os deſubtus putrefiat, & accidunt antequam fiat ſanies, aut poſt ipſam, ægritudines malæ ex febribus, tremore, deſtructione rationis, & ſimilibus. Ergo cum in mora periculum ſequatur, quod decet quamprimum perpetuò ante diem tertiam adimpleatur, præſertim ſi cerebrum, aut eius meningæ pungantur, aut comprimantur, aut alio modo lædantur; nec obeſt ſi Galenus temporis conſiderationem prætermiſerit, cum ſat illi fuerit ad Hippocratis mentem pluries dixiſſe, quicquid agis citò, tutò, lætè, ac ſine dolore agas: & hæc duo ſemper ſeruato, vt niſi iuueris, ſaltem nõ noceas; inſuper ſi ſextus methodi liber Galeni, in quo omnia explere promiſerat, & quem imperfectum habemus, apud nos extaret, aut

a ¶Paul. libr. 6. cap. 90. Auic. c. de fract. cra.

b ¶Ariſto. 2. de Anima. cap. 24.

c ¶Hipp. lib. de nat mu. Gal. li. de Calu. curat. Auic. 4. 4. trac. 2. cap. 4.

d ¶Gal. libr. de inæquali temp. Auic. 2. 1. ca. 5.

septimus a Rasi citatus, qui non reperitur, fortassis tempus ad hoc opus determinatum, cognosci posset.

DE LOCO, SIVE SITV OPERIBVS opportuno.

a ¶Arist. 2. phy. com. 79.

QVM [a] actiones vniuersæ ab agẽte dirigãtur in finẽ, cuius gratia aliquid fit, & sedes cranii perforanda plurimum ad finis consecutionem conducat: iccirco opportuna, & accommodata eligi debet, vt faciliùs finis ipse assequi possit, præsertim dum aditum, & orificium paramus ad variarum humiditatum sub caluaria contentarum expurgationem; tunc enim vel terebris, uel modiolis, vel cyclisciis, vel simili alio instrumento emissariũ in caluaria facimus, nempe ita commodo loco, ut facillimè succus omnis extra uenas exeat, ficque ad hũc finem in ima, ac decliuiori vulneris parte locus imprimatur; porro situs infimus, & decliuis, ac huic expurgationi pronus interdum respectu rectitudinis corporis consideratur, quandoque ad fracturæ formam, utrunque uero ad rem nostrã minimè conducit, nisi per eam materiæ tuto educi possent: sed ea vtilis est, quę ex decubitus patientis modo desumitur: inquit Princeps, oportet vt sit incisio ex loco conuenientiore, & conuenientior quidem est aggregans ad oppositionem per quam existimes, quòd virus currat, ex eo melius, & ad facilitatem incisionis: ad eundem modum si membranæ comprimantur, lacerentur, aut pungantur ab osse, aut ab alia re adeò ut mala subsequantur symptomata, partem auferimus, quam arbitramur nocere, & operatio duntaxat respectu symptomatum absoluitur: quòd fit vt non magis hanc, quàm illam partem auferamus, sed tantùm eam, quam commodiorem, ac utiliorem iudicamus, non contenti interdum uno tantum foramine: ut infra ostendemus, sed quàm plurima, cum res ita expostulat, fieri debent; at in fractura ingenti, uel depressione, uel cum ossa in frustula diuersa diuisa sint necesse est quandoque terebello exiguo, modiolove sanum os fracto contiguũ perforare, quo eo imposito instrumento, quod græcè ostagran, latinè vectem, & uulgò eleuatorium nuncupatur, os depressum attolli possit. nam citrà periculũ imbecillia ossa, teste Hippocrate, non perforantur. quare nonnihil sani ossis interdum accipere licèt; ubi uerò inferiorem ossis tabellam, fracturam, osse superiori maiorem, pati percipimus, recto scalpro, ac malleolo uti licèt, uel forpicibus uulgò mordenti appellatis, ut paulatim partes superiores per orificium undique auferãtur, quousque talis reddatur aditus, quòd diploidis, siue secundæ laminæ commodè fractura extrahi possit, seu quicquid intus contineatur. A natura itidem partium, operationis modum desumimus, cum [b] in ipsa caluaria uarietatem in crassitie, duritie, & soliditate spectare oportet, occipitis enim ossa solida, crassa & firma sunt, contra uerò sincipitis ossa tenuia, & debiliora, uerticis autem inter hæc media sunt; lateralia & circa tempora frangibilia, ob id eorum fracturæ ualde periculosæ sunt, cum in lateribus non uno in loco etiam neruorum, horumque non leuis momenti quidã exortus existat, quibus admoniti ab eximendis ossibus quæ in lateribus capitis sunt, abstinere debemus, Galeno [c] asserente, nouimus aliquãdo sincipitis os fractum; quod autem os huic ossi protinus succedit tẽporis os vocatur, in eo luculenta fractura longissimè pertinebat, quam ipse equidem minimè contingens, sed tantùm sincipitis os excidens hominem sanaui. quod autem capitis partium diuersitatem cõsideresset Galenus, ait, In alia similiter se habente fractura cogitabam os supremum dimittere, ac quod a lateribus erat, quò sanies defluret, eximere; mox cùm & crassitudinem eius & duritiem æstimassem, utilius fore iudicaui, supremum os potius eximere, quàm ob defluxus solicitudinem, cerebrum ualenter concutere; cogitaui præterea accidere posse, ut si a latere magnũ fieret in ossibus foramen, prominceret fortassis hac parte cerebrum: quapropter

b ¶Hipp. lib. de Calu. cura. Gal. lib. de ossib. c. 1. & 9. de usu par.

c ¶6. meth. ca. ult.

innuen-

innuente Hippocrate aduertendum est in durioribus ossibus opus terebris, ac modiolis absolui debere; nam sic caput minimè concutitur. in tenuioribus autem, & imbecillioribus cyclisciis, aut simili alio instrumento, siquidem terebræ in his periculo non uacant. oportet autem si uulnus in sutura fuerit, & telum ossi insederit, diligenter animaduertere, ut inuestigemus qua noxa os teneatur. nam secare ipsas suturas non expedit, sed ab illis recedere, atque ubi sectio necessaria sit, proximum os secare conuenit. dum ergo operamur, fugiendæ suturæ sunt, nam [a] per eas pericranion duræ meningæ alligatur, & ipsarum uulnera letalia iudicantur; quò fit, ut perforationes haud quaquàm in ipsis conueniant, uel uim in urgẽte causa circa ipsas, quinimmo vtrunque latus multotiens perforare cogimur, suturas cauentes, cum materiam undique sub caluaria adesse arbitramur: At si accidentium magnitudo inualescat in ingenti depressione, aut magna fractura etiã super suturas manum admouebimus, præsertim cum indicia adfuerint propria duram meningã a craneo abscedi, uel percussionis robore, uel à copia humoris super eã contenti: adhuc futurarum varietatem considerare oportet; in capitibus enim qui busdam sagittalis ad supercilia vsque protenditur, in aliquibus lambdois arctior efficitur, interdum omnes adeo conueniunt, vt vix decerni possint, & mentem, ac oculum fallant. nam & Hippocrates a futurarum angustia se deceptum esse memoriæ prodidit, interdum adeo hiant vt vapores, & succi tenues infra craneum facilè per halitum dissipentur, in quibusdam pars anteriori eminet, in aliis deprimitur, vtpotè auctoritate Hippocratis hominum capita nihil inter se similiter habent, neque futuræ capitis in omnibus eodem loco consistunt. porrò capita nautarum, militum, rusticorum, sub dio vitam degentium, ac alimentis crassioribus nutrita, dum consistunt duriora, ac solidiora euadunt: secus verò infantium, mulierum, sub vmbra, otio & quiete degentium, ac victu molli, & concoctu facili vescentium tenuiora, & molliora existunt: magna cautione circa occiput opus est, ne ceruicis penitior pars afficiatur, ac cerebellum, spinæque origo motus à voluntatis imperio prodeuntis noxam subeat: quinimmò aliqui opinãtur occipitij perforationes nunquàm sanari. Cum ergo laterales partes perforamus, summa cura habenda est, nè cerebrum promineat; orificium itaque exiguùm sit, deligatura opportuna, & decubitus secundum exigentiam.

a ¶Gal. 9. de usu part. cap. 17.

DE OSSIS EXTRAHENDI QVANTITATE.

POSTQVAM [a] sedes iã constituta, ac signata fuerit, ossis quantitas extrahẽda se offert, quæ ea quantitate auferenda est, quantam os fractum, & sẽiunctum expostulat; quòd si cuti inhæreat, ab ipsa diuellatur, cum in caluaria, vt in aliis ossibus, callus nunquàm expectatur: his Galenus [b] astipulatur dicens, quantum verò excidere conueniat eius, quod affectum est, deinceps exponam; quod vehementer est confractum id totum est auferendum; at si fragmenta quædam longius excurrant, ut interdum accidere cernitur, hęc ad finem persequi non expedit; illud persuasum habentibus, minimè futurum, vt ex eo noxa vlla sequatur, modo reliqua omnia ritè sint parata. Nos verò non semel, aut bis, sed plànè persępe sic facientes, voti compotes fuimus. Hanc Galeni sententiam ad vnguẽ imitatus est Paulus, [c] & Auicenna. [d] consultò itaque ossa fracta educemus, vt noxam potissimum a membrana, & cerebro auferamus, secundò quoniam caluaria poro solido, & crasso non eget, cum tenuis, ac leuis sit, & à solido poro membrana subcingens premeretur, quapropter ossa educere oportet, vt inde substantia illa cartilaginea, quæ ossis munere fungitur igni possit, siquidem callus, aut porus sarcois, aut alrosbot non generatur, [e] nisi in osse, in quo medulla reperitur, nam medulla ossis alimentum est, &, vt inquit Celsus, callus ossis cicatrix est. Tertiò [f] cùm caluariæ ossa nec motui insigni, nec oneri alicui subiiciantur, sed

b ¶6. meth. ca. ult.

c ¶Lib. 6. c. 90. d ¶5. 4. cap. de fract. cranei.

e ¶Hipp. lib. de Alim. in fine. f ¶Gal. libr. de usu par. c. 1.

vt

vt tegatur duntaxat,& tutetur cerebrum veluti galea extructa sint,fortissima, ac solidissima concretione minimè egent.in scissuris autem penitioribus,ac reliquis fissuris eo deducenda res est nempè cycliscis, & scalpris, vt tantum ossis auferatur,quòd humiditates,si quæ fuerint retentæ,per facilem aditum educi possint,& membranam commodè abstergere valeamus, nec tunc ingens foramen requiritur,veluti in cauis depressionibus,dum ipsa membrana premitur, vel cùm secunda lamina superioris maiorem experitur fracturam: quòd si os compressum citrà disiunctionem appareat, ad vitanda symptomata foramē exiguum in imo depressionis paramus, quo immisso eleuatorio os attolli potest: sit ergo iuxtà ossis extrahendi quantitatem orificium magnum,& paruum,perspecta nimirum materiæ contentæ copia,membranæ noxa,ac fracturæ sede.siquidem in partibus lateralibus,imisque sedibus cerebri procidentia verenda est. nā pro comperto habetur, cutis amplas sectiones, fracti ossis notabilis quantitatis extractionem, ac operationis moram cauere oportere. hæc enim omnia membrum imbecille reddunt,& eius potentiam regitiuam destruunt. At cùm hic particulatim de his actionibus sermo à nobis propositus non sit,hæc dicta sufficiant.Sit ergo tempus, locus, situs,ossis quantitas,opportuna ac concinna instrumenta, necnon approbata medicamenta iudicio,& arbitrio solertis,ac eruditi Chirurgi dirigenda,qui suarum indicationum fundamenta à fracturæ essentia,à patientis robore,a sede affecta, & symptomatum fortitudine sumere tenetur.

DE TEREBRIS, MODIOLIS, PHACOtis, scalpris, cycliscis, meningophylacis, ac alijs instrumentis ad cranij perforationes opportunis. Cap. XII.

CAPITIS fracturæ inter omnes corporis affectus, præsertim in soluta continuitate, instrumentorum varium vsum maximè exposcunt;iccircò chirurgum solertem decet eorum copia, ac formæ varietate minimè carere.siquidem [a] indecens est,in occasionibus ea alibi perquirere,ob id de eis in pręsentia aliqua dicamus, varias eorum formas delineantes, tùm ex antiquarum sententia. tum etiam ad recentiorum opinionem, ut, qualisnam probabilior,ac vtilior esse uideatur, pateat, & hanc vel illam accipere fas sit. Ne miremini igitur, si instrumentorum tot varias formas hìc designauerimus, apta quidem, vt decet, ad omnes caluariæ perforationes: porrò tertia illa medicinæ pars,quæ chirurgia nominatur,in duas partes diducta est,vna carnis vitia corrigit, altera ossium fracturas coniungit,aut luxata ossa in sedem propriam reponit. igitur quod ex vi nominis,ac operationis colligitur,solùm affectus illi ad eā pertinere videntur,qui manus operam requirunt,& ea præsidia, quæ corporibus sic languentibus adhibentur,non nisi multorum instrumentorum auxilio celebrantur,iccircò ea, quæ fracto craneo opportunè opitulātur,hìc inferiùs ordinatè delineare decreuimus, vt ea operando in commodum vsum parata habeamus, quæ si ea qua egemus diligentia delineata non erunt,eorum tamen vtilitas,& operatio facillimè intelligi poterit. Prisci nempè illi medici,qui chirurgiæ operam nauarunt, in caluariæ perforatione quibusdam instrumentis utebantur,dum durioris ossis amplum spatium detectum adesset,Terebram,ac Terebellam sic vocitantes. exciditur [b] enim os duobus modis,si paruulum est quod læsum est modiolo, quam chœnitiā Græci uocant,si spatiosum,terebris.Terebrorum autem duo sunt genera,alterum simile ei,quo fabri utuntur,præsertim ad uasa terrea perforanda angustis quampluri-

a ¶Hipp. lib. de Medico.

b ¶Cels. lib. 8. cap. 4.

plurimis foraminibus;itidem in caluariæ ossibus sic illi operabantur instrumētis; nempè has formas imitantibus.

TEREBRVM QVO FABRI VTVNTVR.



Hoc terebro foramen fit in ipso fine uitiati ossis,atque integri; deinde alterū non ita longe;tertiumque donec totus is locus,qui excidendus est, his cauis cinctus sit,atque ibi quoque quatenus terebra agenda sit scobs significat; tunc excisorius scalper ab altero foramine ad alterum malleolo adactus id,quod inter utrunque medium est excidit,ac sic ambitus similis ei fit,qui in angustiorem orbem modiolo imprimitur.Terebræ proprium est perforare, cùm acutum mucronem habeat;aptatur propriè cum ossa plurimum firma sunt. sed metuendum est, nè dum agitur mucrone cerebri membranam violet,quare imperauit Hippocrates nè operando nimis alte descendat. Adhuc eius vsus alienus est vbi ossa vehemēter sunt confracta, aut vbi per se imbecilla fuerint: At quia dum terebrum hoc circumagitur,periculum imminet nè membranæ lædantur,ideo nonnulli, inquit Galenus,vt quò minus usque aberrarent,& hoc periculi genus euitarent, eiusmodi terebras excogitarunt,quæ mergi non possunt,& ob id a Græcis ABAPTISTA dicuntur,circuncurrit enim parum supra acutam terebrę cuspidem circulus quidam parum extans:expedit sanè complures id genus paratas habere, quæ omni caluariæ crassitudini adaptari possint:nam crassiori ea conueniunt,quæ inter extātem cir-

circulum,& mucronem longius ſpatium habent,tenuiori contra quæ breuius: atque etiam huc pertinere videntur terebræ ſecundo loco a Celſo deſcriptæ capituli longioris,quod ab acuto mucrone incipit,dein ſubitò latius fit, atque iterum ab altero principio paulò minus,quàm ęqualiter ſurſum procedit,prohibet enim capitulum,quod ſuper mucronem ſubitò lateſcit,nè terebra altius deſcendat. Terebræ iſtæ habena ducuntur,cum in tranſuerſarium inſeruntur, quod medium perforatum eſt,ita ut facilè ſurſum,ac deorſum per ipſam feratur, dum habena circũ ipſam obuoluitur,& circumagitur,ac impetu per ſe in contrariam partem conuertitur:hoc terebrum credimus illud eſſe, quod quàm plurimi medici tum ueteres, tum noſtrates vnico ore inſtrumentum ſecuritatis appellant,ab aliquibus etiã terebrum non profundans dicitur; eo tamen nos uti non auſi ſumus, cum ſecuriora ac magis idonea parata perpetuo habeamus; ſed ut abaptiſtæ uera forma cerni poſſit,imprimi curauimus.

ABAPTISTA.



QVAM plurima orificia anguſta fracturam ambientia, non tamen a periculo tuta,longiſsimo tempore,magnis agitationibus, ac laboribus ab his terebris imprimebantur,quæ habena triplici modo circunducuntur,uno nempè per tranſuerſarium,

ſarium, & duplici habena,ut dictum eſt;altero per ſimplicem mediæ terebrę arctè alligatam,ac ſæpius circa ipſam obuolutam;tertio cum exiguus arcus admouetur ſic,vt chorda ſemel circa terebram uoluatur: quæ autem terebra per ſimplicẽ habenam,aut arcum circumagitur pilam mobilem in ſummo continet,quæ manu ſiniſtra firmiter conſeruatur,terebræ verò acuties in oſſe ſano, vbi deſideratur orificium,ſituatur,ac dextera habenam ex tenui corio,aut exigua fune vi quadam trahendo,os terebræ magnitudine perforatur duobus nempè, aut tribus, vel pluribus,ſi opus fuerit,orificiis;quamquam autem ab Hippocrate, Celſo, & Galeno de acutis terebris mentio facta ſit præſertim in oſſe puerili,cùm os terebra in circuitu perforatur, iubeantque admotis ſcalpris excidi, tamen,quia periculo non uacant,hiſce temporibus reprobantur.Sed,ut eorum potentia dignoſcatur,videamus imagines.



NAVTAE, & qui caſtra ſequuntur, inſtrumentorum penuria, oſſa cranij quibuſdam ſuis terebris perforare imaginati ſunt, quæ una tantum manu aduoluuntur in ſummo aut pilam,aut tranſuerſarium quoddam continent, in imò ualdè acutæ,aut torculatæ, aut triangulatæ ſunt;ſed quia facillimè meningas attingere poſſent reprobantur,poſſent fortaſſis a viro peritò commodè vti,quare earũ formas delineare decreuimus.

TEREBRA QVAE VNA TANTVM MANV auoluuntur.

ARABS ille magnus chirurgus Albucaſis [a] in caluariæ perforatione quoddam terebrum commendat,quod digitis tantum uoluitur, & eam agit operationem, quam ſuperius deſcripta terebra facere ſolita ſunt. & quia ſolis digitis circunferuntur, tenuia admodum eſſe opinamur. Ab Auicenna [b] pariter quędam tere-

a ¶Lib.2.c.46 lib.3.cap.3.
b ¶5.4.tract.3. cap.1.



terebra commemorantur, quæ magnarum acuum triangulatarum effigiem præ se ferunt, ac eorum præcipuè, quę ad subsellia, aut scamna restauranda accommodã tur, at quia periculo non uacant, cùm ad membranas immediatè descendant, non admittuntur, quorum hę sunt formę.



Acuta terebra quàm plures angustas perforationes cranij fracturas ambientes radioli crassitudine equidistantes formare solẽt: quod uerò inter foramina residet aut rectis, aut curuis scalpris malleolo plumbeo adacto rescindere expedit, qđ ad rẽ esse nequaquàm videtur: nam scalpri acies mẽbranas violare posset: quare vt tuto opus perficiatur, scalprũ quidã aut ceteris timidiores, aut fortasse tutio res adinuenere, quo nec qui minori cũ periculo, nec qui celerius perficiatur, forandi modus inueniri possit; præsertim in uehementissimis fracturis, quas medici Greci engissomata, & camaromata uocant. nam præter alia membrana ipsa ab ossibus, quæ uehementer sunt afflicta, celerrimè recedit, adeo vt nullus sit metus eam, quæ iam seiuncta est, tetigisse: si ergo vnam semel nudauerimus partẽ, ac scalprum, qui in cuspide præfixam habet obtusam, leuemque lenticulæ speciem, aciẽ verò per longitudinem erectam submiserimus, vbi latam partem lenticulæ supra membranam statuerimus, feriemus malleolo, ac sic calluariam diuidemus. eueniet enim ita agentibus, quæ requirimus omnia; nam membrana, ne si dormitans quidem quis agat, lata tantum lenticulæ parte occurrens, vulnerari potest: tale quidẽ scalpri genus, quod in imo lenticulæ speciem habet, atque hanc habentem, in longitudinem verò aciem acutam apud priscos omnes commendatur, quo adhuc in

osse

osse cranei valdè comminuto, aut arte pluribus in locis terebrato, sed nõ vbique separato, nostrates chirurgi vtuntur; nam lenticula membranã ab omni noxa protegit, malleolo eget; nam excidendo præire debet. quam excidendi rationem Galenus præter cæteras approbauit, vt quæ celerrimè effectum præstat, idque sine vlla membranæ cerebri noxa: facit interdum post cerebri operationem ad squurilas, siue satagias diploidis remouendas, ac ossis parietes leniendas, aut eius partes non ex toto dimotas separandas. Phacotum græci vocant, latini lenticulatũ scalprum, & communiter lenticulare, lenticium, & lẽticula vocitatur, eius cauda ad Vectis formam diuersimodè formatur, vt diuiso aut depresso osse, subleuari possit. in hunc modum effigies videntur.

PHACOTVS.



Praestantissimi Chirurgi, vt cerebri membranam ab angulo scalpri, omnive noxa tuerentur, instrumentum quoddam eius custodem inuenere, quod operando sub caluaria immittitur. Formatur hoc modo inquit Celsus, [a] lamina ænea, aut argentea, & firma, paulum resimã ab exteriori parte, leuisque demittitur sic, vt exterior pars eius cerebro propior sit: subinde autẽ ei subiicitur, quod scalpro discutiendum est, ac si expedit, eius angulum vltrò transire non patitur, eoq; & audacius, & tutius scalprũ malleolo subinde medicus ferit, donec excisum vndique os eadem lamina leuetur, tolliq́ue sine vlla noxa cerebri, potest. Alterã adhuc hoc instrumentum præstat vtilitatem, vbi os totum eiectum est, circunradendæ, leuandæque sunt oræ, & si quid scobis membranæ insedit colligendum, vbi superiori parte sublata, inferior relicta est, non ora tantum, sed os quoque totum leuandum est, ut sine noxa postea cutis increscat, quæ aspero osse innascẽs, protinus non sanitatem afferret, sed nouos dolores commoueret: quod etiam innuit Auicenna [b] dicens cum perfoderis os, oportet vt æques asperitatem eius, quæ fit ex incisione, & concauatione, aut cum nouacula, aut cum aliquo incisoriorum, quæ similatur aciei ensis, postquàm posueris instrumentum, quod cooperit siphac, [c] & seruat ipsum, & si remanserit aliquid ex ossibus paruis, aut fruſtis, tunc oportebit vt accipiantur cum facilitate, donec curatur vulnus, cùm vnguentis. Probant hoc instrumentum antiqui, [c] quod tamen non nisi a perito chirurgo vti licèt; siquidem dictum est a Galeno [d] quemadmodum inter os perforandum, cùm quis

[a] ¶Lib. 8. ca. 3.

[b] Cap. de frac. cran.

[c] ¶Gal. com. 1. de off. m. Hipp. Paul. lib. 6. cap. 77. & 90. Auic. 4. 4. trac. 4. c. 12.

[d] ¶4. de nat. loc. aff. cap. 2.

H mem-

membranam negligenter,ac vltra quàm res expostulat meningophilace,id est mẽ
branæ custode, premendo violauerit,sopor accidere solet;ita vbi os caluariæ ve-
hementer attritum ipsius uentriculos comprimat,maximeque medium, sopor su-
peruenire potest, a græcis meningophylax, à latinis spatomelis, & communiter
membranæ custos,uocatur,cuius imago hæc esse creditur.

MENINGOPHYLAX.

Terebrae proprium est perforare, cum acutum mucronem habeant, & an-
gustos canales facere, & ob id scalpri & malleoli opus requiritur; foramen pri-
mum in fine vitiati ossis,atque integri fit;deinde alterum non ita longè; tertium-
que,& quartum donec,vt supra diximus,totus locus his cauis cinctus sit,tunc ex-
cisorius scalper,aut lenticulatus,ab altero foramine ad alterum malleolo plum-
beo adactus,id quod inter utrunque medium est,excidit,quod opus hæ duæ ima
gines apertè demonstrant.



Expositis quæ ad acuta terebra pertinebant, ad alata, & caudata transire
tempus est,quibus ossa radi,& excauari possunt; hæc aciem hinc inde habent acu-
tam,& formam semioualem,& in suo uertibulo aut manubriolo posita,& pluries
conuersa os excidunt,nec ad membranas possunt descendere;nã quæ prominent
alæ cæteras partes penetrare facillimè non sinunt: Huius generis quam plurima

habenda

habenda sunt latiora & angustiora.primò quidem latiùs admouendum est, dein-
de angustius,sic,vt,cùm dimidium excisum est, maximè angustum adhibeatur: in
cariosis ossibus,& magnis teredinibus ipsis vti non inconuenerit;secus uerò in ri-
mis,aut puris scissuris, tarde enim ac magno strepitu operatur. Hæc sub diuersis
imaginibus formantur,nempe duarum,aut quatuor,aut plurium alarum.



Altera terebrorum species striata sine alis,sed aspera, & limæ formam imi
tans,inuenta est,cuius opus in squamis ossium,& scissuris approbatur, pariter in
corruptis & teredinibus, sed potissimũ ad spurilas siue satagias delendas,ac eorũ
omnes asperitates leniendas,ut inde super ea caro oriri possit;tardè sed tutò ope
ratur.& si quis de industria ad meningas deuenire uoluerit,longissimo eget tem
pore: nã statim scobinis siue asperitatibus repletur. hac de re nullibi usitatur.esset
fortassis in perita chirurgi manu, opportunum instrumentum, cuius formæ sunt
huiusmodi.

ALIAM terebri formam ad ossa ualdè dura perforanda aliqui imaginati sunt, & terebrum imaginatum uocarunt, quod in craneo sine scissuris timorosè operatur; sub duplici forma effingitur, una aculeum caudatum, acutum, ex duabus æqui distantibus, ac incidentibus alis munitum habet, quod Neptuni tridentis effigiem imitatur: altera aculeum acutum teretem, una tantùm ala fecante: terebello, quo uasa uinaria forantur, assimilatur: porrò quia huiusce modi instrumenta operãdo aut caput commouent, quod quietem potius exposcit, aut quia effectum celeriter non præstant, atque non sine ullo timore, quod Hippocratis, & Galeni præceptis oppugnat, & longo temporis spatio indiget, & capitis ossa quàm celerrimè excidenda sunt, ne cerebrum aut commoueatur, aut frigore afficiatur, aut quia ad meningas facillimè delabuntur, non uidentur multum ad rem esse. Nulla ergo de ipsis consideratio habeatur, sed qualia sint terebra imaginata, per has effigies facilè apprehendi potest.



HACTENVS de caudatis terebris multa diximus, quæ profectò per se nisi alterius instrumenti auxilio nullius usuris, ac utilitatis iudicantur. restat igitur, ut qua ratione perpetuò usque ad operis finem circumagantur explicemus. celebratur opus hoc uertibuli, aut manubrioli munere, ob id eorum fabricã describere, & imagines ad sensum reddere licet. Instrumẽtum ferreum, aut argenteũ est, ima parte quadratum ut cauum simile, aut torculatum habeat, cui terebri cauda inseritur, in medio flectitur, ubi fistula quędam mobilis auoluitur; in summo verò pila mobilis annexa est, terebro osti affixo, altera manu pila continetur, fistula altera, circumagitur; sic enim terebri acutie os perforatur, aut modiolo in orbem præcidi tur. Vertibulorum formę sunt, quę hic uidentur.

LON-



LONGISSIMO experimento nouimus, quòd vertibulum superius delineatum, dum auoluitur, & altera manu pila, quæ in summo est, continetur, altera fistula circumagitur, vt hoc pacto os circa quod ferramentum agitur, perforetur, ac in orbem præcidatur, opus laboriosum & tardum uere est, nec ab omni noxa tutum, cùm altè operetur: iccircò alterum dissimile, sed eiusdem operationis, fabricauimus argenteum, aut ęneum, aut ligneum, ouali forma, ad mediam longitudinem perforatum, per quod medium transit axis ferreus, qui in summo reflexus, in girum dextera vertitur, in imo adest cauus, vbi terebri cauda imponitur; ouatum verò in sinistra receptum, super caput infirmum firmiter accommodatur, ac terebro in cauo affixo, & craneo adapto, dum auoluitur instrumentum, os citò, tutò, ac quietè perforatur; manubriolum ouale uocatur, & eius formam hic intueri licet.

MANVBRIOLVM OVALE.



SVPERIVS uaria delineauimus terebra, ac qua ratione auoluerentur explicauimus; restat modò vt de modiolis non secus serræ dissimilibus sermo habeatur. Modiolus [a] ferramentum concauum teres est, imis oris serratum, per cuius medium clauus ipse quoque interiori orbe cinctus demittitur, vt eo insistente modiolus delabi non possit, at vbi iam iter modiolo pressum est, medius clauus educitur, & ille per se agitur, donec opus perfectum est. Hoc instrumentum serra teres Hippocratis [b] est, qua dum caluariæ os secaret, utebatur; nam operando eius circuitum considerari iussit; circulus enim non nisi a tereti instrumento producitur. A Galeno [c] etiam commendatur, qui post Abaptistę descriptionem inquit, antiquiores nonnulli aut alijs timidiores, aut tutiores, ijs quas chinicidas vocant sunt vsi. timidiores nempè in quibusdam fracturis operando, in alijs verò tutiores. siquidem Paulus [d] postquam multas operationes explicauerit, inquit, At quæ administratio serris & modiolo, quem chærition siue chynicidam Græci vocant, peragitur à recentioribus ceu noxia improbata est; sed administrationem pariter in rhogme exposuimus probãt. idem etiam modus, ossium excidendorum etiam in reliquis caluariæ fracturis conueniet: antiquissimum quippè terebrum est, ac multum his temporibus usui seruatum. nam si circunspectè ossi adhibeatur, ac ea seruentur, quæ Hippocrates seruari iussit, citò, tutò, & sine rumore operatur, a Græcis chynicida, a Latinis modiolus, ab Auicenna corrupta uoce anichades, cuius effigies uariè fingitur; nam aliqui sub simplici cannuli serrati forma, alij alis multis circunducuntur, multi sub limæ forma fiunt, multi inter ambas manus auoluuntur, quàm plurimi vna tantum ducuntur. hi caudati sunt, vt in vertibu

a ¶Cels. libr. 8. cap. 3.

b ¶Lib. de Cal. curat. li. de loc. in hom.

c ¶6. meth. c. 6.

d ¶Lib. 6. c. 90.

li

cauo imponi possint, illi proprio manubrio inseruntur, vt in figuris sequẽtibus videre expedit.



RECENTIORES medici ferè per totam Europam, nouam modioli formam inuenere; instrumentum teres est, non à chynicida dissimile, serratum, ex ferro indo, duabus alis secantibus ad longitudinem tendẽtibus munitum, quæ modiolum repentinè mergi non sinũt, ac ossis terebrati perpetuò operando, circunferentias erodunt, & orificium latius reddunt, vt gradatim quanta sit serræ penetratio apertè dignoscatur. Tarde, nec sine aliquo rumore, sed tutò operantur, ob id & nostrates chirurgi talem approbant modiolum, qui sub hac effigie paratur.



PARITER qui hac ętate chirurgiam exercent, vt breuior, tutior, ac latior sit istius modioli operatio, quatuor alis eum induunt, & verè instrumentum satis ac commodatum est: cuius forma sic dignoscitur.

MODIOLI QVATVOR ALIS CIRCVNDATI.

ALTER modiolus vtique in suo genere tutissimus reperitur, quàm plurimis alis circunuolutus, qui eò quia Mespili fructus formam imitatur, mespilatus modiolus communiter uocitatur. eius forma uere similis est.

MO-

MODIOLI MESPILATI.



Et si prędicti modioli vbique fere in continuo usu seruantur: attamen aliqua incommoda afferre videntur, vnde nomen securitatis omnino non merentur, quę admodum multis eos securitatis instrumenta appellare placuit; siquidem instrumenta securitatis, quę eò, quia mergi non possunt, Abaptista vocantur, circulo, & non alis muniuntur; ob id circulatos modiolos fabricauimus, quorum circuli extantes, ac gradatim circuncurrentes parum a cuspide acuta, siue tereti serra distant, sic, vt crassitudini ossis cranij adaptari possint, & modiolum violentia quadam descendere non sinunt, qui paulatim caluariam perforans membranas viola re nequit. Porrò instrumentum hoc vere sanctum, tutum, incomparabile, & abaptistum vocari meretur. Nos instrumentum securum vocamus; nam si quis dormitans eo uteretur, nullum incommodum afferre posset: similia in forma, & cannuli latitudine esse debent, diuersa tamen in circuli distantia a serra; capita enim hominum multum inter se differunt; eorum imagines subiecimus.

INSTRVMENTA SECVRITATIS.

Formantvr etiam modioli aliqui, qui loco circuli nonnullas descendentes eminentias continent, quæ ad serrę imum non perueniunt, sed ab ea gradatim distant, eo fere officio funguntur, quod ab Abaptista expectare decet; quare aliqui modiolos abaptistos vocarunt; videamus eorum delineationes.

MO-

MODIOLI ABAPTISTI.



Aliqvi modiolorum numerum, & uarietatem euitantes modiolum cannulatum, teres serratum sine ala, aut circulo, sed plurimis in locis gradatim perforatũ struxere; & ne mergi possit, transuersarium quoddam parum extans in eius cauis ordinate locarunt, quod ad cranii crassitiem ascendendo permutari possit; sic enim uno solo modiolo omnibus craneis accommodato ossa perforant. Ingeniosum profectò instrumentum est, sed incommodum, maximam caluariæ detectionem requirens, ac longo tempore in transuersarii mutatione indigens.

MODIOLI PERFORATI.

Chirvrgi diligentes in manuum operationibus, ut tuto caluariam perforare possint, nouos quosdam inuenere modiolos, cannulatos, serratos, & exterius torculatos, quibus ab extra alter breuis succedit cannulus, interius oppositę pariter torculatus, qui paulatim ascendendo, ne ui serra ad meningas perueniat, prohibet; modioli torcular a cuspide serræ parumper distat, sic, ut serra perforando quiete descendere ualeat, ut per has figuras demonstratur.

Inter

MODIOLI TORCVLATI.



INTER modiolos cannulatos,ac serra munitos,quidã non sine artificio ex duobus cannulis contextus reponitur;quorum primus simplex est,teres,serratus, semiuacuus in imo longitudinis medietatis digiti,a quo in summo duæ alæ resultãt, tenues,& æquales,in quarum fere medietate duo parua trãsuersaria exterius eminent;modiolus uerò quoddam orificium impressum continet, ubi Vertibuli torculata cuspis inseritur;alter teres,sed latior est,in quo primus ingreditur,sed breuior,& sine serra,a quo pariter alæ duæ oriuntur,interius cauis multis repletæ, in quibus alarum primarum parua illa transuersaria ingredi possunt; sic enim serratus modiolus in opere,descendendo,tuto omnem caluariæ crassitiem penetrat: auoluitur cuiusdam uertibuli munere, cuius effigiem una cum binis illis cannulis delineauimus.



APVD

delineare statuimus:esset quippe longissimus sermo,si quis singulatim eorum fabricæ rationem narrare decreuisset ; quare sat sit vt videamus eorum imagines, ac de eorum operatione iudicium faciamus.



DE terebris modiolis,& similibus instrumentis hucusque enarrauimus in caluariæ perforatione,leui,quieta,ac opportuna;nunc restat vt nonnulla de his,quæ valenter operantur, delineemus, de quibus nullam adhuc mentionem apud antiquos reperire potuimus. Cogitur interdum chirurgus ossis partem aliquam disrumpere,arripere,secare,aut comminuere,vt meningæ à noxa liberentur.præsertim si ossis partes dissectæ fuerint,nec digitis,aut alio instrumento dimoueri possint.vt in ea fractura quę thlasma aut eggissoma vocatur,fieri solet.Horum munus est rodendo plerunque duri ossis partes absumere,aut os diuidere, ac ipsum adhuc ciliorem extractionem parare;fracturæ orificium hoc modo latius efficitur, vnde postea humiditates commodè euacuantur:ab eorum forma nomina propria sortiuntur.ab aliquibus scalpra excisoria opposita vocantur, communiter forpices, & vulgo Mordenti nuncupantur, semper apud expertos Chirurgos parata reperiuntur , & continuò vsui seruantur. hic inferius eorum varię effigies videri possunt.

FORPEX EXCISORIA RECTA.

FORCEPS EXCISORIA OPPOSITA.



MORDENS.



OSSIFRANGENS MAGNVM.

OSSIFRANGENS PARVVM.



ATTRACTOR.



MVLTA alia de instrumentis ad caluarię perforationem opportunis, in mediũ adduci possent: sed nè operatores tędio afficiantur, silentio prętereunda existima uimus; ac horum prędictorum singulum quomodo in vsum veniat, exponere tempestiuum esse iudicamus.

DE RATIONE OPERANDI IN CALuaria fracta curatione. Cap. XIII.

VM fractæ caluariæ curationẽ instrumentis aggredi statuerimus, hæc primò supponi debent, virtus nimirum ægrotantis, quæ [a] omnium opifex est; si enim imbecilla fuerit, uel ob nimiam sanguinis effusionem, aut nobilium partium noxam, aut prauorum accidentium copiam, vel vulneris, aut fracturæ magnitudinẽ, an cipitem medicum in opere reddere solet, adeò vt quandoque ab eo abstinere decernat. nam dictum est ab Hippocrate, [b] vbi est indigentia laborandum non est; secundò symptomatũ natura, quæ si adeo valida fuerint, quòd mortem necessariò præsagiant, ex toto, ne mali medici nomen subeatur, &, vt uulgarium calumniæ euitentur, ob omni opere abstinere congruum est; ob id dicebat Celsus, [c] prudentis hominis est, primum eum, qui seruari non potest, non attingere, nec subire speciem eius vt occisi, quem sors ipsius peremit; veruntamen ex prudentis artificis opere, aliqui præter omnem spem, & si sæua apparuerint accidentia, conualuere, florente nempe ætate, ac virtutis robore, necnon corporis optima temperie, ac animi constantia. hæc enim omnia perpetuò spem aliquam promittunt. horum autem, si tanquàm deplorati primis diebus suscipiantur, curationem tentare perhumanum est, forma denique, & fracturæ magnitudine, ac sede affecta sedulò perspecta, à quibus curandi rationales indicationes omniũ operationum sumuntur. Et primò undequaque detonsis capillis, digito, qui verus iudex est, aut specillo, fracturæ natura inquiratur. indè pericranion commodè à cranео dimoueatur, ne operi impedimento sit; quinimmo si decet, & vulnus in cute amplum reddatur, vel ad eius rectitudinem, vel orthogonaliter absque nimio sedis uulneratæ detrimento; quod opus Chirurgum ingenio præditum, & expertũ expostulat. postmodum, extranea, si quæ sunt, confestim, & in prima cura auferantur, ne ægrum in grauiora pericula inducant; ea præsertim, quę sine iactura, & magno periculo auferri possunt. & si sanguinis nõ leuis aliquis fluxus appareat, quo patientis vires destituantur, hunc sistere aut appositio digito, aut xylo adusto, aut oui albumine contuso, aut aliquo puluere huic operi accommodato laborãdum est; quanuis veteres [d] aut pannis siccis, aut spongiis oxycrato, siue posca infusis, sanguinem sistebant; nos eam methodum non approbamus, sed potius vsum filorum, aut spongiarum in uino nigro austero, quanuis nec hæc, quia tuta non est, cõtinuo usui seruetur; qualecunque igitur adhibitum fuerit præsidium, ac obiectis linamentis occupatus sanguis, caput altius eleuandum est, ac opportunis fasciis auoluendum; postea molli culcitra, ac obscuro thalamo patiẽs locetur, ac ibi quiescat. In secundis uisitationibus, si ratio admittit, nulla obstante causa, sanguis præmisso clystere mittatur; & si aliqua plethora apparuerit, a mediana, aut à capitali vena situs oppositi in ea quantitate, quam uirtus, ætas, sexus, habitudo, & tempus anni exposcit: at si adhuc aliqua cacochymia aderit, superfluus ille humor conuenienti pharmaco purgetur; quod est præceptum Hippocratis [e] & Galeni [f] sub his verbis, Purgatio uentris deorsum plurimis ulceribus cõfert, & in uulneribus, quæ sunt in capite, & in uentre, & in articulis, tenui uictu regatur, fluxiones ad lõgiora diuertantur, ac urgentes humores serapiis ac decoctis quieti detineantur. Sed quia superius multa de his diximus, hęc satis: iam transeundum est ad Chirurgiam, quæ a læsionum forma indicationes sumit; talis quidem fractæ caluariæ sex modis occurrere solet, & eorum quilibet singularem operandi modum tum manibus, tum instrumentis requirit; & a simpliciori inchoando, quæ scissura nuncupatur, dùm in osse solum, lædentis instrumenti impressio siue sedes dignoscitur, quæ

a ¶Hipp. lib. de art. m. cap. 87. Auic. 1. 1. trac. 2. cap. 8.

b ¶2. Apho. 16.

c ¶Lib. 5. c. 26.

d ¶Celsli. 8. c. 4. Paul. li. 6. ca. 90. Auic. cap. de frac. cra.

e ¶Lib. de Vlceribus.

f ¶4. meth. c. 6

siue capillaris,siue rimularis nuncupetur quandam secum dubitationem adducit; quare rationalis medicus,aut scalpro, aut cyclisco vna tantùm operatione totam scissuram delere tenetur,vt superius capite x. diffusius explicatũ est, cumque hoc opus præstare intendit uel scalpris radere, uel terebris perforare patientis aures gossipio aut lana in formam claui parata ac rosaceo oleo tepido,madefacta, obturandæ sunt,manibusque ministri auxilium ferentis, premendæ, quo & firmius caput quiescat,& ne etiam strepitu horreat: Secunda huius fracturæ species, aut forma,ea est,quæ ad diploidem usque terminatur, & diligentiorem requirit operationem, cui liquoris nigri usus satis accommodatus est, qui qualisnã specie sit, & quanta magnitudine apertissimè ostendet: excauare sic oportet donec nigredinis uestigium apparuerit. igitur inducendum est super os aliquod medicamentum nigrum,quod dilutum sit,postridie purgata plaga os radere. quod si integrũ non fuerit,sed fissum, aut collisum,reliquum quod rasum erit, album inuenietur. fissum uero,quum medicamentum combiberit, in alio osse quod album erit, nigrum conspicietur: in operatione uerò fouenda muniẽdaque sunt uulneris labra linteolis oleo rosato tepido imbibitis,ne cruda fiant, & arescant, nostrates uerò dimisso atramento tutò operantur,præterquàm in cacumine,ubi terebri,aut modioli opus non admittitur,ibi nanque maxima cerebri quantitas subest, & ossa tenuissima sunt: pariter ubi sagittalis futura una cum coronali unitur cauti in cauteriorum administratione,& terebratione esse debemus: nam ibi dura meninx, uti in futuris,ab osse difficulter abscedit,& non insigniter ab externa caluariæ superficie remouetur:porrò si rima ad meningas occultè descenderit,excauetur os,donec dura ipsa membrana patuerit.præceptum est Hippocratis sub his uerbis, hãc scissuram conspectam totam secundum profunditatem radere oportet:nam scissura,quę rasorio scalpro deleta est,minus uerenda est,& minus negotii exhibet:nõ propter hoc conducit illicò membranam ob osse denudare,ne frigescat:fricando cauere oportet ne multum procedatur,& membrana noxam percipiat. Sint igitur apud medicum chirurgum ministri experti,lumen opportunum, aer calidus, medicamenta parata,& instrumentorum uarietas: Nos uerò sola hac operandi ratione sæpè in uulneribus similibus ęgros iuuimus.

TERTIA

TERTIA fractura illa est,quę manifestè ad intima caluarię descẽdere uidetur, contusa nimirum,a suspicione & timore nõ aliena;cum anfractus, & uias satis amplas contineat:ob id si malorum accidẽtium timor adest,osse ualdè duro existente,terebro uti necesse est.nam minus patientem infestat, breuissimoque tempore operatur.uerùm,quia antiquorum terebra suspicione non uacãt,iam sunt reprobata,sed ex modiolis uno utimur, cuius operationes nũc describere intendimus. Collocato igitur ægroto, aut prout sedes uulnerata, ac læsionis forma requirit, recumbente,auribusque lana,aut xylo obturatis, ne a Modioli strepitu lædatur, ac vinculis,quibus caput auolutum erat,solutis,& linamentis omnibus exemptis, ac gossipio,siue xylo, vino nigro imbuto detersis sordibus, iubendum est vt experti ministri caput immobile conseruent:& si apud Paulum, & Auicennam legitur,fac vt duo ministri quatuor angulos attollant, eos nempè, quos arte parauit medicus in cruciali dilatatione,quod opus posse fieri negamus;sed præcepto Hippocratis labia vulneris linteolis rosaceo tepido madefactis,ne frigescant,& incrudentur,aut ferro lædantur,cooperiantur,inde opus Modiolo, per cuius medium aculeus transit,inchoare oportet leuiter imprimendo,donec æqualiter in circulo auoluatur;tunc aculeus extrahatur,& Modiolus per se agat. estque quidam premendi modus,vt os foretur,& Modiolus circumagatur, quia si leuiter imprimitur parum proficit;si grauiter non mouetur.nec alienum est interdum Modiolum rosaceo immergere,quo magis lubrico voluatur,& non aqua, vt antiquorũ mos erat,aut rosaceum terebrato ossi instillare,ne calescat,& inde instrumentum calefaciat:porrò id paucum sit.nam secus ferramenti aciem hebetat. At,cùm os dimi-

dium

dium perforatum fuerit, maiori cura agendum est, & lentius instrumentum auoluendum, ac sæpius attollendum, & foraminis altitudo consideranda, ne Modioli mucrone aut serra membrana lædatur. igitur exempto sæpè Modiolo, iam admoto specillo speculari non inconuenit, quare terebrantem oportet vbi iam valdè parum abest, vt os perforatum sit, & iam mouetur, ab opere desistere, ac sinere vt os sua sponte discedat; nã tunc nihil mali accidere potest. siquidem non conducit membranam ab osse statim denudatã esse, ne frigescat, aut male afficiatur: quod innuit Paulus, & Auicenna sub his verbis, Frequenter cerebrum, ac eius membranæ post chirurgiam inflammationes patiuntur: sed quia tardè terebratum os ex se exire posset, perforata caluaria cautè, ac æqualiter debet attolli, ne meninga violetur; ob id ad hoc cannulata illa nostræ inuentionis tenacula opportuna esse creditur.



Multa ab experto chirurgo in his operationibus consideranda veniunt; præsertim locus affectus. nam dicebat Galenus, Cogitaui accidere posse, vt si a latere magnum fieret in caluariæ foramen, promineret fortasis hac parte cerebrum. est porrò & in lateribus non vno in loco etiam neruorum, horumque non leuis momenti; quid am exortus, cum in supernis capitis partibus ne minimus quidem vsquam oriatur neruus. his ergo admoniti, ab eximendo osse, quod in latere capitis est, abstinere debemus, nec temporis os tangere Galenus ausus est. futuræ pariter terebrandæ non sunt. siquidem per eas dura meninga pericranio alligatur, at os, quod ex sui natura intro cesit, parum perforatione opus habet, & quæ maximè intrò cesserunt, & maximè fracta sunt, neque dissectio magna, nec quæ in debiliori sede occurrit, perforatione indigent: sed quoniam quandoque caluariæ fractura, aut collisio ita ingens est, vt totum quod perforationi subiici debet, Terebro amplecti minimè potest, idcirco perueştigandum est qua industria tutò totũ id auferri possit. nam & si a lẽticulato scalpro adacto malleolo id fieri possit, horridus tamen quidam modus est, ac in opere tardus: ob id nos infirmo, & stabili of se multiplici Modiolorum perforatione rem, vt opus requirit, peragimus; tuncve cuspides, siue angulos, qui inter circulos remanent, clypeato, aut lenticulato scalpro, phacotum græci vocant, obtundimus. Si verò os amplum fuerit, & fractura ingens nullo adhibito terebro, sed scalpris aduncis, aut rectis, ac serra præcipuè id totum auferimus. nam sulci scalpris parantur; residuum verò serra tollitur. & sic quod decet secamus; sola etiam serræ opera interdum id agimus. Terebrationum prædictarum imagines hic, vt noscantur, subiecimus.

Qvarta fracturarum species ea est, in qua manifesta ossis depressio apparet, & tunc an os depressum vbique separetur, inquirere oportet: tunc denique, si expedit, digitis tantum eradicetur: sin minus, volsella, aut tenaculis, aut prædictis forpicibus. Secus verò si alicui parti adhæserit, & alibi depressum, fractum, aut diuisum apparuerit. Siquidem illicò decet eo vti instrumento, quod eleuatorium vocant, eius vnam extremitatem sub decliuiori ossis depressi parte intromittendo, præsertim vbi latior fractura videbitur, super oppositam verò æqualiter, ac leuiter comprimẽdo pars inclinata ac depressa ad sedem suam naturalem attollitur, aut ex toto auferetur, & sic subcingens membrana ab omni noxa liberabitur.

Occvrrit multoties, & si ingens fuerit depressio, quòd nullibi os separetur, nec aliqua fractura videatur, sæua tamen accidentia patientem infestant; quare opus est angusto Modiolo in ima parte orificiũ parare, ut ab opposita Vectis cauda. os depressum attollatur. verùm expedit de sano osse parumper absumere, vt commodius Vectis firmari possit. nam ossa depressa terebrationes nõ exposcunt. dictum est enim ab Hippocrate, quæcunque ossa intro contusa cedunt, ex sua ipsorum natura rupta, aut etiam dissecta valde ampla, talia minus periculosa sunt, vbi membrana sana fuerit: & quæ pluribus fissuris, aut amplioribus intrò rupta sũt, adhuc minus periculosa sunt, & ad detractionem faciliora fiunt, & nullum ex talibus perforare oportet; verumtamen & inhis, symptomatibus apparentibus aliquam partem terebrare expedit, vt membrana à nocumentis liberetur, ac immunis reddatur. Solent nimirum post terebrationes ossis frustulę quædam remanere, a quibus praua oriũtur symptomata: quare os totum dubitatum euellere opus est, inde circunferẽtes parietes Aequatore lenire, ac ab omni squurila denudare, aut Phacoto, siue Lenticulato orificia omnia æqualia reddere: in pueris verò depressiones solæ cute integra remanente, ceratis aliquibus, aut emplastris, absque vlla manuum operatione sanari solent.

QVINTA fractura, quæ simpliciter fractura uocitatur, dum ossa in plures partes dissecta videntur, diligentem operatorem requirit. nam omne quod separatum est, eget ablatione, quod adhuc residet accurata diuisione, & tunc lenticulatum instrumentum opportunum iudicatur. nam præter alia, membranam ab ossibus, quæ vehementer sunt afflicta, tutò recedit, adeò vt ex hac operatione nullus sit metus, vbi latam partem lenticulæ super membranam statuerimus, ac malleolo feriemus, caluariam commodè ab ossibus fractis separabimus. sic enim omnia euenient quæ requiruntur. maximè tamen hunc modum in vehementissimis fracturis laudamus. quare nec qui minus cum periculo, nec qui celerius perficiatur separandi modus inueniri potest.

INTER has caluariæ fracturas nonnullæ a Meningophylace, ideſt instrumento membranæ custode, auxilium petunt, veluti ea quæ a Græcis engissomata, & camaromata dicuntur, præsertim vbi aliquod cõueniens orificium aderit, per quod id instrumentum locari possit; quod verò residet Phacoto adacto malleolo diuellatur. nam tunc membrana interior, ne si dormitans quidem quis agat, uulnerari potest. Attamen huius ætatis Chirurgi hunc operandi modum non approbant, sed cum, qui à forficibus Mordentibus, & Serpentinis resultat; & nos cum ipsis eiusmodi

cuato quærendum est, qualis medicamenti topici natura & compositio magis probetur, qua uulnus regere teneamur, & quæ propriè conueniant mẽbranæ præsidia, osse detracto, siquidem in hoc Hippocrates satis obscurus videatur. Galenum tamen duos curandi modos tradidisse legitur inter se ferè contrarios. quorum alter mitis est & anodinus, qui nunc verè frequenti est vsu. alter maximè siccus, quo Meges Sidonius, ac senex ille Eudemus Galeni præceptores valdè in hac medicinæ parte exercitati, vti soliti erant; à quibus plures seruatos fuisse, quàm a lenientibus, ac anodinis testatur ipse Galenus, asserens se illos vsui habitu rum, si in Asia perpetuò permansissent. sed cum Romæ degeret, se Vrbis morem secutum esse. Sed, vt huius difficultatis veritas elucescat, amborum modorum auctoritates, ac rationes in medium afferre expedit, & primò medicamẽta sicca magis probari videntur, teste Hippocrate [a] sub his verbis, statim osse perforato, & exsecto; ac a membrana detracto, ipsam puram ac denudatam quàm citissimè siccam facere oportet, ne vt vbi ad multum tempus humida sic computrescat, aut in tumorem attollatur, & correlariè ait, quare cauere oportet in terebelli admotione ne fallaris; igitur operæpretium est, vt frequenter cõsideres, ac os cõmoueas, & eijcere coneris; postquàm autem absturleris reliqua, velut vlceri cõferre visum est, curato: insuper vulnus in capite nullo humore humectare conuenit, ac ne vino quidem, neque cataplasmate integere; porrò commune præceptum est indicatione sumpta a vulnere, quòd exiccatio est eius cura; præterea qui [b] de hac intentione dubitarunt, prædictorum senum operationes approbant, qui nudatæ membranæ protinus emplastrum, quod Isin vocant, apponebant, & extrinsecus oximel. nec mirum est. nam qui auditorius meatus dicitur, non solum vsque ad cerebri duram membranam pertinet, sed etiam neruum contingit, qui in ipsum a cerebro descendit. is autem, quanquàm ita positus in vicino, tamen vehementissima, sicut dictum prius est, medicamenta tolerat. Non sit igitur mirum, si post caluariæ perforationes crassa cerebri membrana, antequàm insigniter phlegmone occupetur, valentissimis gaudeat medicamentis, ceu siccam naturaliter substantiam habens. Hanc methodum apertè omnes approbant medici, cum in vniuersa curatione perpetuò arida cephalica vulneri inspergunt. Rationes pro hac parte magis apparentes quatuor esse videntur, quarum prima hæc est, vlcera [c] quatenus ulcera exiccatione curantur, & omnia [d] anodina humida sunt, quæ qualitas est putredinis mater, ergo conuenire non possunt. Secunda, [e] vulnera omnia à duplici humiditate perpetuò alterãtur, nempe crassa, quæ sordes vocatur, & tenui, quę ichor dicitur, & qualitates omnes [f] a similibus alterantur; ergo humida medicamenta, quia solutiones continui alterare possunt, reprobantur. & ob id dicebat Galenus, quare nec tempus vllum erit, in quo non vtrunque medicamentorum genus vlcera desiderabunt, vtique & quod siccet, & quod expurget: Tertia si aliquod humidum medicamentum opportunum foret, illud nempe esset oleum rosaceum. consequens est falsum. probatur, [g] oleum detectis neruis inimicatur, & meninx subcingens neruea, & detecta est, ergo: Quarta frigidum [h] nocet neruis, & cerebro, & rosaceum frigidum est; ergo cerebro, & meningis aduersatur: Prædictis his rationibus respondebimus, sed prius videre expedit, an aduersa methodus magis approbata fuerit, & quòd caluaria perforata anodina & lenientia sint magis opportuna; & de hoc dicebat Hippocrates, [i] si quidem os fractum fuerit, ac contritum periculo vacat, & medicamentis humectantibus curare oportet; si verò rumpatur, & scissura fiat, periculosum est. Galenus etiam, dum Romę esset, hanc curandi rationem secutus est. nam præter Eudemum, alium quempiam siccis medicamentis fuisse vsum non vidit, nec ipse vti ausus est. verum si in Asia permansisset, aggressus fuisset aliquando ipse quoque eiusmodi curationis rationẽ; secus uerò Romæ. ob id dicebat ipse, [k] ego uerò sexcentos noui eorum, quibus Romæ perforata fuere capitis ossa, nec quicquam ab vsu rosacei citra columbæ sangui-

a ¶Lib. de Cal. curat.

b ¶Gal. 6. meth. cap. 6. Auic. 1. 3. trac. 3. c. 14.

c ¶Hipp. lib. de Vlceribus. Gal. 4. meth. cap. 5.

d ¶Auic. 3. 14. c. 1.

e ¶Gal. 3. meth. cap. 2.

f ¶Gal. lib. art. p. m. cap. 89.

g ¶Gal. 6. meth. ca. 4. & 3. Kageni. Auic. c. de cura. uuln.

h ¶Hipp. 3. reg. ac. 41. & 5. Aph. 18.

i ¶Lib. de loc. in homine. ubi de capitis frac.

k ¶10. de s. m. c. 2. ubi de san. columb.

K

sanguinem offensos: atque melius inuenire nihil potes, quàm osse perforato vt ro
sacco optimo vtaris. Antiquorum mos erat, detracto osse, vt dolores demulcerẽ
tur, illicò columbæ sanguinem super membranam calidum instillare, quod miti-
ficè [a] etiam facit ad meningarum sanguinis fluorem. Hac igitur ratione dicebat
Galenus [b] si rosaceum ipsi crassæ membranę nudæ admoueatur, vt in iis, quibus
aliquid ex osse capitis excinditur accidit, solum ipsum applicamus modicè cali-
dum; hanc secutus opinionem Aetius [c] ait columbinum sanguinem solẽt hi, qui
ossa capitis fracta perforant, crassæ membranæ infundere; quòd si columbinus nõ
adsit, palumbi, aut turturis sanguine vti licebit; ego verò sexcentos vidi osibus
capitis perforatos, & nihil læsos, ex rosacei vsu citra sanguinem columbinum. Pau
lus pariter ab hac methodo non deuians inquit; [d] Post chirurgiã panniculo sim
plici lineo vulneri æquali, rosaceo madenti, cerebri membranam operimus, exi-
guamque lanæ partem similiter rosaceo imbutam prædicto panniculo impone-
mus, deinde linamentum implicitum duplex, in æneleo, aut ipso rosaceo imbutũ,
toti vulneri circumponemus, diligentia adhibita ne cerebri membrana grauetur.
postea latiore vtemur ligamento neque hoc astringente, verum vt linamenta so
lum retineat. Eandemmet sententiam scripsit Auicenna, [e] & qui eũ secuti sunt,
& longissimo experimento hæc veritas comprobatur, ob id quia post operatio-
nes medicamentum non datur, quod magis propria qualitate, ac potẽtia, mediet
membro cõsimili, aut quoquo modo alterato, eius naturalem complexionem ac
innatum calorem corroborando, fluxionibus inhibendo, intemperies quæ noxã
præstant, remouendo, causis dolores imprimentibus resistendo, ac coniunctam
quamlibet causam discutiendo, quàm oleum rosaceum bonum. Rationes etiam
quàm plurimæ reperiuntur, probantes nimirum hanc medendi rationem tutam,
commodam, & ad medicorum mentem existere, & prima hæc est [f] in cura ca-
uariæ fractæ vnaquæque indicatio in prohibitione inflammationum dirigitur, cu
ius primus terminus est, septima aut nona dies: & nil [g] magis eas inducit, quàm
dolor. nam quod dolet plus aliquid affluere facit, atque etiam si quod affluit, pro
iusto naturæ modo se habeat. attamen vires ipsæ partium, quæ tum propter dolo
rem, tum etiam ex vulnere sunt imbecillæ, ne quod iustum est ferent, sed veluti
ab iniusto grauabuntur, & tumebunt, iccircò perpetuo causis dolorum incumben
dum est, nempe medicamentis mollientibus, & anodinis. Secunda hæc est, vulnus
[h] increscens non parum molestiæ exhibet, increscit verò siccis adhibitis suf
fragiis. nam dictum est, vulnera laxa bona, cruda verò mala; ergo non semper in
vulnerum initio, nec statim post chirurgiam arida cephalica sunt opportuna; nem
pe dictum est multotiens post operationes cum ferro meningæ, aut cerebrum in-
flammatione tentantur; ergo quæ dolores leniunt medicamenta, & fluxionibus
inhibent magis probantur, sed nõ longo tempore. nam putredinis suspicio aliqua
aderit, eoque magis indicatio talis opportuna fuerit, si dolor, aut inflammationis
initium apparuerit; quod verendum est, indicatione sumpta a natura, & nobilita-
te sedis affectæ, præsertim in cacochymia, aut corpore nimia putredine scatente.
adhuc vulnera sanari nequeunt, nisi quietis symptomatibus, & in capite vulnera-
ro quiescunt rhodino adhibito. siquidem [i] rosaceum vtpotè, cuius natura olei,
rosæque in medio est, in inflammationum augumentis optimum remedium est, in
eo [k] ramen fortis non reperitur frigiditas, sed satis temperata complexio: com-
prehensum est, a me, subinde dicebat Galenus, [l] rosaceum illud esse optimum,
quod ex oleo claro, crudo, aut maturo conficitur: quippe bifariam ipsum nomi-
nant, sine sale absque odoramentis præparatum, rosis nempe Zebedenis plurimis
intinctis: esto autem rosaceum non uetus, sed illo anno paratum, aut Vere, aut in
eunte æstate. Sic enim rationibus, quæ huic methodo aduersantur, respondebi-
mus, & ad primam dicimus, verum esse; quòd vulnerum cura sit exiccatio, sed vt
vulnera sunt, & simplicia, secus verò de caluariæ fracturis creditur, quæ semper

morbi

a ¶Dioscor. li. 2. cap. de sang.
b ¶2. de comp. m. secundũ loc. ubi de plaga ca. à percussi.
c ¶Lib. 2. c. 85.
d ¶Lib. 6. c. 90.
e ¶. 4. cap. de fract. cran. Rasis. 15. cont. c. 3. Zoar. 1. Theis. tract. 2. c. 1. Serap. 1. breuiar. de foda. Albuc. li. 3. c. 3.
f ¶Hipp. lib. de Cal. curat. Gal. 3. meth. cap. 4.
g ¶Gal. 3. meth. c. 4. & 13. meth. cap. 2.
h Hipp. lib de Cal. cur. in principio.
i ¶Gal. 3. de sim. cap. 16.
K ¶Gal. 2. de sim. cap. 1.
l ¶2. de comp. m. secundũ loc. ubi de capitis dol. ex perfrictione.

morbi compositi sunt, magis post chirurgiam, quæ alicuius symptomatis occa-
sione adhibita fuerit, nec putredo expectanda est, si bis quotidie purgabitur vul-
nus. Ad secundam respondemus, cum symptomatum tempus præterierit, quæ ra-
tione vulneris vsque ad decimam quartam diem timenda sunt, ad exiccantia de-
uenire oportet, vt vnaquæque superflua humiditas exiccetur; quæ non nisi tẽpo-
re longitudine producitur, & in vulneribus concauis, [a] dum noua producitur
caro; quod affirmauit Galenus [b] dicens, Necesse igitur est nobis primum fractu
ræ aliquid nudare, quo videlicet detergere, & abluere saniem a mẽbrana liceat.
postea verò cum phlegmonum tempus præterierit, omniaque sicca ad vnguẽ fue
rint, carnem producere, & cicatrice locum includere. Ad tertiam dicimus quod
oleorum quatuor genera reperiuntur, vnum quod ex puris oliuis maturis, aut vi
ridibus, exprimitur. & hoc absolute oleum uocatur. alterum quod ex seminibus
oleagineis extrahitur. Tertium quod vi ignis destillatur. quartum quod ex oleo
cui aut folia, aut radices aut flores aut animalium partes, sunt incoctæ, & quod
de primo intelligunt medici, cum dicunt, oleum vulneribus neruosis aduersari,
præterea dicimus non habere præ manibus dissectum, aut punctum neruum, vbi
olea, & humida reprobãtur, sed membranam detectam, & symptomatum custo-
diam, quæ frequenter in his affectibus subnascuntur. Ad quartam responsum de-
dit Galenus, probans in rosaceo temperiem reperiri, nec in eo eam adesse frigi-
ditatem, quæ meningis, aut cerebro noxam præstare possit, idque minus. nã sem-
per super eas, actu calidum adhibetur. sic itaque huic parti finem imponentes, di-
cimus patefactam cerebri membranam non modo dolore, aut inflammatione vr
gente, illicò lenientibus mederi debere. nam Galenus detracto osse tepidam ro-
sam imponebat, quod seruari iustum esta principio vsque ad symptomatum se-
curitatem, inde vsque ad finem exiccantibus perfueretur, quæ ob hoc cephalica
vocantur: at si ab initio aut dolor, aut inflammatio oriatur, eamet adhibeatur cu
ratio, donec vulnus purum restituatur: sic enim nostrates chirurgi inter initia per
petuò ad rosaceum maturum nullo apparente symptomate confugiunt. secus ve
rò ad crudum quod omotribes, & omphacinum græci vocant, inde ad ea medica
menta, quæ cruentis vulneribus opitulantur, deueniunt. Solet nimirum in plerif-
que harum fracturarum etiam contracta cicatrice ea ossis superficies, quæ ab ex-
trinseco aere fuerit circundata, aut ab oleis, pulueribus, & vnguentis alterata, aut
ab instrumento cædente aliquo modo contusa, ab innato calore destitui, & pro-
prio humido, ac elementari priuari & mori, siquidem dictum est ab Aristotele
[c] ossa suis spoliata membranis siderantur. & Galenus [d] dicebat, vlcera omnia
exiccari oportet, præcipuè in quibus patitur os, vt abscedat pars eius quæ vitiata
est. ob id exeũt partes eius superficiales, & dum talis expectatur desquammatio,
integrè vulnus claudi non debet, nec caro illa, quæ mollis est exiccari exoptat
nam si natura squammam ossis emittere tẽtauerit, caro ibi mollis apparebit, & sta
tim exempta squamma pars siccatur, & solidior facta, cicatrice obducitur. Indi-
cia vero ossis absceſſuri, sunt color eius alteratus, pus subtile, & copiosum magis,
quàm pro ratione vulneris, cuius labra non coeunt nec coalescunt. dolor quidẽ
mitis, aut pruritus ex humoris acrimonia sentitur; [e] quo tẽpore absceſſurus sit, di
scrimen est. nonnulla enim ossa grandiora, alia exigua sunt: & quæ in summo con
tinentur celerius excidunt, ea fere ossa celerrime absedunt in quibus celerrime
pus apparet. & caro mollis increscit. quod euenire solet secundum ægri habitudi
nem, ætatem, exercitium, & viuendi modum. caro enim quæ in vitiata parte suc-
creſcit, plerunque os alteratum attollit: Ambitus ergo totius ossis, si quadragin-
ta diebus absedit, optime absedet: quum nonnulla ad sexagesimum vsque & vl
tra perueniant, rariora quidem ossa maturius. Firmiora serius absedunt: Porrò
[f] caluariæ os quod longiore spatio carnem non recipit, ipsum omni diligentia

leuiter

a ¶Gal. 3. meth. ca. 10. meth. ca. u. t.
b ¶Gal. 3. meth. cap. 3.
c ¶3. de nat. ani. cap. 13.
d ¶ 6. Aphor. com. 45.
e ¶Hipp. lib. 3 de frac.
f ¶Paul. li. 6. ca. 3. in fine.

leuiter radere oportet, donec sanguis emanauerit, tunc quippe indicium est eam partem viuere, a qua statim caro efflorescere incipiet,

PRAXIS.

NOs vero in hac curatiua methodo sic perpetuo agimus indicatione sumpta a natura vulneris, præmissis vniuersalibus, si membrana a telo detecta mollis, mobilis, alba, illæsa & pura apparuerit, aridis cephalicis eam leuiter cooperimus; inde totum vulnus aliquo medicamento ex his, quæ ad capitis fracturas sunt approbata, replemus, donec plaga ad cicatricem deuenerit; parantur hæc omnia, vt in fine huius libri uidere licèt; nec ab re est, quod longo experimẽto nouimus in Athletis & exercitatis corporibus, aquæ vitæ addito rhodomel le guttis quatuor, vulneris imum cooperire, & residuum pulueribus, aut vnguentis replere, & calescat hoc medicamen inter duo vasa, ne ariditatem acquirat; po natur igitur in vase uitreo, & illud in alio aquæ pleno, qui modus balneum Mariæ vocitatur. nam sic docet Gal. 8. methodi. Quoniã aliter calefacto vitiatur eius facultas. si autem membrana ex industria fuerit detecta, indicatione sumpta a symptomatibus, quæ, vt dictum est, multoties post operationem cum ferro occurrere solent, aut ratione agitationis, aut ex acuta quadam ossis eminentia, aut ex linamentorum grauitate, aut ex multo esu, aut vini potu, aut alia quadam occasione latente, dimissis aridis rhodino crudo loto vtimur, quod paratur ex oleo nõ maturo, & rosis ad plenum non apertis, a græcis omotribes & omphacinum dicitur, a latinis rude, crudum, acerbum, album, & spanum vocatur a Galeno [a] mirum in modum probatur, nam stipticitate corroborat, & temperata frigiditate inflammationes prohibet: optimum in sanitatis vsu, ait Dioscorides, [b] ex immaturis oliuis expressum oleum est; nouum esse debet, odoratum, ac gustui nulla mordacitate præditum, eo nempe in vulnere tepido sæpe utimur ad septimã vsque medicaturam. inde vulnus ipsum spleniis vino nigro, rosis, betonica, & myrtis bullito madefactis ac expressis cooperimus; aut Hippocratis emplastrum superponimus ex hordeacea farina, puluere rosarum, & rosaceo, cui, si licebit, aliquid aceti addere expedit: sanie itaque optima apparente, dum affecta sedes propriam seruauerit symmetriam, nec dolore, aut inflammatione affligitur; si opus fiet pro debili quadam absterſione, oleo ipso crudo aliquantulum rhodomellis addatur. at si eius caliditas aut mordacitas veretur, iuleb, aut syrupus rosatus probatur, ab aliquibus oleum de uitellis ouorum commẽdatur, adhibita diligentia in amplis mẽbranarum detectionibus; ne grauentur. hac de re antiqui laminam tenuem argenteam, aut auream ubique perforatam, aut siccæ cucurbitæ externam superficiẽ in maximã tenuitatem redactam superponere ausi erant, ne pariter mẽbrana ab extrinsecis comprimeretur; & hinc vulgares pro ablato osse cucurbitam applicari affirmant: Vulnus semel hyeme, æstate verò bis curare soliti sumus. In contusis autem aut laceratis uulneribus opportunum medicamentum oleum rosaceum maturum est, recens, clarum, & odoratum, siquidem eius temperata caliditate ad cõcoctionẽ, siue saniei productionẽ multũ facit, quæ [c] in similibus accelerari debet, & si quis apparuerit dolor, huic vitellum oui admiscemus; & si cruditas aliqua aderit, Terebinthinam lotam adiungimus; si verò absterſio fuerit condecens, cum rhodomelle omnia componimus. nam sane caro sine ea in vulneribus gigni nequit. ob id Antiquus Sidonius Iside solo vtebatur in corporibus Persarum durissimis ac robustissimis, & in his qui in Asia degebant; nam celebre in caluariæ fracturis medicamentum ab antiquis credebatur; eius inuentor, teste Galeno [d] Heras Philosophus fuit: facit ad omne vulnus, ad capitis affectus cum ossium abruptione, & sanat citrà reparationem. describitur à Scribonio Largo [e] sub his uer-

a ¶ 1. & 3. de cõp. m. fm loc 6. de I. m. c. 120. & 1. Katageni.

b ¶ Lib. 1. c. 20.

¶ Hipp. lib. de Vlceribus. Gal. 4. meth. cap. 5. Auic. 4. 4. cap.

d ¶ 5. de comp. m. in gen.

d ¶ Lib. de cõp. m. descr. 206.

verbis, Emplastrum viride Gliconis Chirurgi, quod sui generis, meo iudicio, superat omnia, uocatur Isis. facit hoc emplastrum ad detectam membranam tegentem cerebrum, de industria a medicis cùm terebratu excinditur, quod eam lædit os, vel alioquin detectam, rosa dilutum & impositum. a Galeno [a] & Aetio [b] inter catagmatica cephalica multum probatur, & Actuarius [c] de eo sic dicit. Isis ab aliquibus epigonos appellata, facit ad omne vulnus, & pſertim capitis, si cum interciſione ossium hiet sine iactura persanat; Nos verò in his regionibus non nisi eo modo, quem Scribonius & Galenus docent, uti ausi sumus; addito nempè ad duplum rosaceo. omnia verò qualitercunque applicamus, calida qualitatibus applicanda sunt, dumque curationem adhibemus, hyeme præsertim, tegulã terreã, aut æneam calidam sic vt tantùm aer alteretur, super uulneratum caput conseruamus; æstate verò pannis calidis continuò detectum vulnus foueamus; gignunt [d] autem carnem quæ primum exiccationis ordinem non multum transgrediuntur. Puluerem aridum cephalicum sic paramus in molli corpore, corticum radicis opopanacis, olibani, Iridis, aloes, farinæ orobi an. misce, & fiat puluis subtilissimus. aut Recip. in corporibus robustiorib. nã tollit squãmas, & ossa corrupta rapit, Iridis illyricæ, panacis, an. dra. iiij. aristolochiæ rotũdæ, mannæ an. dra. ij. squãmæ æris, pumicis usti an. drag. j. tritis utere. probamus pariter vnguentum Periclimenon, basilicon minus, & de gummi elemi. aut fiat mixtura ex resina, succo betonicæ, lanceolæ, mastice, sanguine draconis, & cera sine oleo: repleto uulnere, cutis inducitur cerato ex betonica, aut ex chalcitide, aut triapharmaco. reliqua postmodum agenda sunt, prout uulneris essentia requirit, ut inferius dicemus.

a ¶ 2. Katageni. ubi de emplastris, quæ proprie cephalica uocantur.

b ¶ Lib 1. 4. ca. 13.

c ¶ Lib. de cõp. m. ubi de Iside epigono.

d Gal. 3. meth. cap. 3. Auic. 4. 1. cap. 28.

DE MEMBRANA VVLNERATA.

SI membrana, quæ cerebri tutela & cooperimentum est, aliquo modo afficitur, passio fit Arabicè Alame dicta, & tunc primò inquiratur si fuerit detecta & vulnerata, & si ab ea plurimus sanguis emanat, qui, eò quia constringi nequit, nec opportunè medicamenta adhibentur, magnum negotium facesſit; ucrumtamẽ illæ indicationes seruandæ sunt, quas superius descripsimus. inde studere oportet, ut quàm citissime uulnus agglutinetur medicamentis nempè ualenter exiccantibus, omnem corruptionem prohibentibus, dolores demulcentibus, & propriis ac similibus qualitatibus affectam partem corroborantibus, quæ quidem qualia sint, ad plenum adhuc inuenire non potuimus, & si Galenus [a] ad mentem Archigenis dixerit, non rarò accidit in ruinis ex alto, aliquam cerebri, aut membranarum particulam abrumpi, quod ubi contigerit capitis dolor magis uehemẽs euadit: optimum est igitur in his, nisi ætas prohibeat, & uis uitalis imbecillis appareat, initium curationis a sanguinis missione moliri, & congruis superfusionibus in capite uti, lanas oleo dulci madidas ipsi circumponentes; at si prohibeatur propter horum aliquid, aut ætatem, aut uirium imbecillitatem, aut etiam propter utraque sanguinis detractionem tẽtare, clystere uentrem euacuabimus, reuulsionis gratia, ne humores ad affectas partes deferantur. mox auxiliis vtemur ad inflammationes inscriptis: si autem membrana conuulnerata fuerit, probè eam conglutinat, ut ait Archigenes, calaminthæ succus instillatus, & farina milij arida insperſa, deinde butyrum, rosaceum, & adeps suilla salis expers, uetusta, mixta & tepida infusa: patientes à uino, & multo cibo, præsertim si febricitent, abstinere oportet. Hæ omnes operationes ad dolores sedandos diriguntur, ne inde locus inflammetur; ob id nonnulli hanc methodum imitantes, super membranam detectam ac vulneratam lac mulierbre calidum, alij columbinum sanguinem statim ab alis detractum, multi uinum nigrum myrtis, rosis, ac betonica bullitum instillant; postea lichinis rosaceo crudo calido madefactis uulnus replent, ac

a ¶ 2. de cõp. m. secundum loc. ubi ad cap. dol. ex ictu Apollonii, & infra ubi de diuiſ. & contuſ. quæ capiti accidunt ex Archigene.

totũ caput inunguntsi verò omphacinum optimum non aderit,rhodinũ vnà cum myrtino componunt,& sic uulnus usq; ad septimam regatur. postmodum parum quid syrupi rosati, aut rhodomellis addatur, ut leuis quædam fiat absterſio,indè salibus,in secunda uisitatione,tale medicamentũ super sectam membranam appli camus,olei de Terebinthina unc.ij.aquæ ardentis,quam isti uinum sublimatũ, aut aquam uitæ appellant,syrupi rosati de rosis siccis an.unc.j.misce. postea totũ vulnus tali puluere replemus,myrrhæ,aloes,mastices,sanguinis draconis,reubarbari electi,coraliorũ rubeorũ an.drag.ij.misce,& fiat puluis subtilissimus, & per petiã lineam trãsmissus,ac superpositio cerato ex Betonica,aut Diabotanon, aut Humano,caput totum rosaceo completo inungimus.postea splenijs ex carpẽtata stupa, vino nigro,ac rhodeolo madidis fouemus,& ne membrana grauetur, latiore utemur ligamento,neq; hoc astringente,sed tantùm ut linamenta retineat. Verùm si mẽbrana nigruerit,ait Paulus,& Auicenna, & solum per summam eius ex medicamẽtis efficacibus id euenerit,mel triplum rosaceo miscentes curabimus. at si nigrities sua spõte prouenerit,atque in imo potissimũ vnà cũ aliis grauioribus indicijs, attingi tunc non debet,ut quę natiuũ calorem emortuum innuat; nos aũt Isidemedicamento mẽbranæ initiũ sphaceli curauimus,ac interdùm felici successu ad Aegyptiacũ deuenimus,omniaque medicamẽta adhibita super sindonẽ siricã rubei coloris extendi iussimus,ne amplexus quidã cũ uulneratæ membranæ labris oriretur,aliter eũ non probamus:nec licèt huiuscemodi uulnera aut stupa,aut bombice,aut lana,aut filamentis lineis abstergere,sed tantùm linimento aliquo exiccante ipsa oblinire.

DE CEREBRO SAVCIATO.

ADVENIT interdũ quòd medullaris cerebri substãtia,mollis,alba, & uenularum plena,ac primariũ mẽbrũ,in quo ratiocinatricis animæ sedes quiescit,uulneretur,& talis passio lethalis ferè ab omnib. medicis[a] iudicatur: attamen non ob id qui sic uulnerantur destituẽdi sunt,nam extra spem nõnulli mirabiliter euasere;dictum est a Galeno[b] in desperata salute,Quanto itaq; satius est aliquid nõnulla fiducia vel cũ periculo facere,q̃ spe adẽpta certò perire, Tanto ꝓfecto satius est potẽtibus pẽsidijs pugnare, quàm nihil agere. & Celsus dicebat libro secundo capitulo decimo,In magnis morbis satius est anceps auxiliũ experiri, quàm nullũ,agentes siquidem,& si aliud non aduenit,saltẽ læti ægri moriũtur, dũ sibi medelam non sine spe præstari uident. in hominibus, ait Hippocrates[c] qui uiriũ robore sunt repleti,salutis spes perpetuò reperitur,nec ex toto huiuscemodi curationis possibilitas a medicis reprobatur.nam dicebat Hippocrates[d] uulnera magis lethalia sunt,quę in uenas crassas in collo,& inguinibus infligũtur,deinde quæ in cerebrũ & in hepar,postea quæ in intestinum,& uesicam. Sunt autem hæc omnia pernicioſa ualdè,non tamen ita ut nemo ex his euadat,uelut putatur: affirmat[e] etiam cerebrum sphacelari posse, & sanitati restitui. experimento etiam abeo comprobatum est[f] in puella quæ de rupe cecidit,& læsi cerebri uaria symptomata apparuẽre,uoce destituta,iactatio aderat,uomuit ad noctem sanguinem multum,aquam difficulter deglutiebat,stertor, spiritus densus ueluti morientium, uenæ circa faciem distentæ,decubitus supinus,pedes tepidi,febris debilis, uocis interceptio,& superstes mansit.a Galeno[g] etiam hæc veritas confirmatur,ait nempe,Cerebrum vulneratum sæpius sanatum uidimus, & semel & bis in Smirna loniæ,uiuente adhuc præceptore Pelope,& erat uulnus satis memorabile, quod rarissime contingit. admirabile atque incredibile spectaculum, quod aliquando conspicati sumus, adolescentem uulnere in alterum anteriorum uentriculorum accepto superstitem fuisse,Dei,ut plerisque uidebatur,uoluntate. cerebrum enim

nec

a ¶Li.1.de morbis libr. de Coac. prænot. & 6. Aphor.18.Celſ. lib.5.ca. de uul. mort.Gal.6. Aphoriſ. com.18. Auic.4.4.c.2.
b ¶10. meth. c. 10.
c ¶Lib.2.prædictionum.
d ¶Lib.2.prædictionum.
e ¶Li.2.de morbis. & 7. Apho. 51.
f ¶5. & 7. Epidemiarum.
g ¶ 8. de uſu par.ca. 10. & 6. part. Aphoriſ. com.18.

nec durum est,nec ex se mouetur,& illi manus, ac medicamenta adhibere possumus.ergo nisi circa eius basim,fuerit uulneratum,curari potest, etiam quod raro contingat,nec a Principe hæc posſibilitas reprobatur. siquidem dicebat ipse[a] in vulneribus peruenientibus ad panniculum cerebri,accidit laxitas in latere uulnerum,& spasmus in opposito eius,& cum incisio non peruenit ad uẽtres,sed ad terminum uelaminis subtilis,est magis incolumis; cũ uero peruenit ad cerebrũ, appa ret febris,& uomitus choleræ,& nõ est ex eis,qui sanetur nisi raro, ergò quis potest interdum sanari, quod etiam eius testimonio confirmatur, cum dicit[b] membra,in quibus cum cadit uulnus,augetur eorum nocumentum,& interficit ut plurimum,& fortasse non interficit nisi rarò,sunt sicut uesica,cerebrum, renes,intesti na minuta,& hepar,quamuis fieri sit posſibile ut saluetur super ea, cum est leue. in corde autem non speratur salus, cùm in eo accidit uulnus; a Celso pariter dictũ est,seruari non potest. cui basis cerebri percussa est,multotiens nobilia membra sauciata,ait Paulus[c] & Auicenna[d] extra spẽ mirabiliter seruata fuere; quod etiã quamplurimi recentiorum clarissimi Medici,suis doctissimis scriptis approbarũt, ueluti magnus Guido de Cauliaco,Vgo Senensis,Theodoricus, Nicolaus Florentinus,Iacobus Carpensis,Nicolaus Massa, & Victor Trincauelius, Veneti omnes profectò Philosophi,& Medici Illustrissimi. adhuc Andreas Vexalius Bruxellensis,Ioannes Tagaultius Gallus,Vidus Vidius Florentinus,Petrusandreas Mattheolus Senensis, Gabriel Falloppius Mutinensis, Philippus Incrasſia Siculus, Franciscus Valeriola Gallus,Antonius Musa Brasauola Ferrariensis, Alphonsus Ferrus Neapolitanus,Realdus Columbus Cremonensis, Bartholomeus Maggius Bononiensis,Antonius Camaltheus Gallus,Leonardus Botalus Astensis, Hieronymus Crassus Vtinensis,Ioannesbaptista Romanius,& alij, quorum uolumina apud nos extant;nos etiã & Venetijs,quæ nobis dilectissima patria est, hoc anno præsertim, & Feltriæ, ac alibi dum adhuc iuniores essemus uulnera meningarum, & cerebri sanauimus,& sanata vidimus,nec sumus decepti;nam plures actus anatomicos in humanis corporibus propriis manibus exercuimus, & quamplurimas ac propemodum innumerabiles caluariæ fracturas pertractauimus.Quorum fidelissimi testes esse possunt,excellentissimi patres D. Franciscus Longus, Leander Zarotus, Vincentius Prouincialis, Augustinus Gadaldinus, Tiberius Barbarus, Decius Pulcher & bonus, Ioannes de Franciscis,Ioseph Bonipertus, Bartholomeus Belatus,Aloysius Bognolus a Cruce,nepos,& nobis tanquam filius dilectissimus,qui à latere nostro uix vnquàm discesſit,ac quãplurimi alij huius inclitæ ciuitatis Venetiarũ,philosophi ac medici pclarissimi.Sed ad rem nostram redeuntes, dicimus,ꝙ si vulnus ad cerebri substantiam deuenerit, & patiens optimi roboris, ac bonæ habitudinis fuerit,collocato ipso in conuenienti, & obscuro loco, præmisſis ve niuersalibus indicationibus, prohibendus est ab eo omnis motus animalis, sicuti & corporalis, prohibendæ sunt locutiones nimiæ, suspiria, clamores, quæ sternutamenta ciere possunt, & quæ mandendo dura sentiuntur. postmodum uulneris conditiones diligenter considerare expedit,& si quid præter ordinem contineat,nulla uiolentia,sed statim,euellatur.uerùm si euelli nequit, abstinere opus est, & totum naturæ committatur, ut id ex se emittat, aut commodæ extractioni præparet. Secus verò inquietudines magnæ, & mors in Empiricorum manibus, magno cum eorum dedecore sequi solent; ob id dicebat Auicenna, si apparent signa mortis,ab omni opere abstinere oportet, ne superueniat nobis locus sermonis stolidorum, cum hoc quòd parum conferimus infirmo; huiuscemodi vulnera nullo modo vt abstergantur aut lana, aut xylo,tangi possunt, ne acerrimi membranarum dolores subsequantur; & ille,[e] qui patitur in cerebro,& non loquitur,cum vsque ad tertiam ita remanet,& accidentia non minuuntur, neque augentur, tunc laudetur tertia, & expectetur septima, & non moueatur ante illud cum aliquo; nos uerò vrgente causa (nam quàm plurimæ humiditates assiduæ

in

a ¶ 1.3. trac. 3. cap.14.
b ¶4.4. cap.2.
c ¶Lib.6. c. 88.
d ¶4.4. tract. 2. cap.10.
e ¶Auic.4.4.tra &2.2.c.4.

in capite producuntur) vulnus vino albo decoctionis roſarum, myrtillorum ac betonicæ abluimus, & ſi dolor aliquis appareat, lac illico ab vbere emulctum, aut columbinus ſanguis tepidus, aut aqua pimpinellæ probatur; membrana indè cooperiatur ſindone rubeo, quod tingitur ex cocco uero, & non ex uermibus, oleo de Terebinthina, ac rhodomelle imbuto, reliquum oportet repleri lichinis tali medicamento madidis, aloes, myrrhæ, maſtices, ſanguinis draconis an. drag. ij. Terebenthinæ claræ unc. ij. aquę uitę vnc. j. miſce. aut Recip. Terebinthinę aqua conſolidę lotę unc. ij. aquę uitæ, ſyrupi roſati an. unc. j. pulueris olibani, maſticis, myrrhæ an. drag. ij. mumię ex craneo, granorum hypericonis, ſanguinis draconis an. drag. j. quæ terenda ſunt ſubtiliſsimè terantur, & fiat medicamentum, ac ſuper omnia, amplè uulnus contegatur emplaſtro ex Betonica, aut Diabotano, aut de gummi elemi: caput totum omphacino, aut roſaceo & myrtino irroretur, ac ſuperpoſitis ſplenijs uino ſupradicto infuſis, commodè faſcijs leuiter inuoluatur, uſque ad ſeptimam ſic quotidie agendum eſt; at ſi nulla corruptio, de qua sūmoperè uerēdū eſt, nullibi apparuerit, ſola ardēti aqua, rhodomelle, ac aloe, & myrrha contēti, opus perficiamus, hoc obſeruato vt topica medicamenta ſauciata membrana potius, quàm cerebro ſecto, ſicciora ſint. nam affectæ partes pro uiribus in ſua propria natura conſeruari requirunt, ut cerebrum preſeruetur. nam eius ſubſtantia mollis, humida, ac diſſolubilis, facillimè corrumpitur; nec curatio cogatur, ſed ordinatè procedere decet, donec natura nobiles partes rectificando, totum opus expediat: nos uerò plures uidimus, qui ex tali affectu diu cannulum aureum, aut argenteum, in ipſo cerebro tulerunt, ut continue humiditates effluerent, quæ, dum retinebantur, epilēpticos motus, & diuerſa ſymptomata producere apta erant. ob id in hac curatiua methodo & patientes, & diligentes eſſe oportet, quemadmodum Feltrię nos fuimus in curatione cuiuſdam adoleſcentulę, quę cum a cuſpide falcis, uulnus cum cerebri leſione paſſa fuerit, ex quo terebrata caluaria, notabilis portio ipſius cerebri, exiuiſſe compertum eſt, tranſacto quarto menſe ſanitati fuit reſtituta: & in uulnere ſemper cannulum conſeruauimus, ac vſque ad decimum quartum diem ſolo oleo de Terebinthina, & aqua uitę curauimus. inde vulnus guttatim tali liquore repleri iuſsimus, uini montani, unc. xx. ſucci betonicæ unc. 4. ſucci calamintha unc. ij. myrrhę, olibani, aloes, ſanguinis draconis, centaureæ minoris, granorum hypericonis an. dra. j. piſtentur quę piſtari poſſunt, ac in ſubtiliſsimum puluerem reddantur, & omnia ſimul componantur, ac per triduum in vitreo uaſe bene obturato marceſcant, poſtmodum lento & claro igne, donec tertia pars abſumatur, bulliant, & adde mellis roſati unc. iiij. & parum adhuc bulliant, & ab igne uaſe detracto, adde aquæ uitæ unc. vj. liqueſcant, & percolentur, & adde olei de Terebinthina unc. iiij. & in vitreo vaſe cera obturato optimè, & diligenter conſeruentur; reliquum uulneris repleuimus cephalico puluere ab Auicenna deſcripto, ac deſuper latam petiam lineam pluribus in locis perforatam cerato humano munitam adhiberi iuſsimus: cum uero perfectam loci rectificationem nouimus, ſolo melle roſaceo, ac cerato prædicto uſi ſumus, & Deo fauente iuuenem ſanitati reddidimus. uexabatur tamen quadam linguę balbutie, & oppoſiti brachii mollitie, longo quidem experimento nouimus omnes ferè ab his vulneribus Dei nutu liberatos, aliquo ſymptomate ex his, quæ cerebro affecto apparere ſolent, detineri. Oleum de Terebinthina ſic paratur. Recip. Terebinthinæ claræ & odoratæ lib. iij. arenæ fluuiorum depuratæ, lotæ, & ſiccæ, aut uitri contuſi lib. j. ſ. omnia in curua boccia cum ſuo recipiente ponantur, & boccia in uaſe terreo, inter quod & boccią cinis in ea adſit copia, quòd nullo modo tangi poſsint, & lento igne, ne terebinthina tumeat, & infletur, fiat clambicatio, & quod primò diſtillat aqueum eſt, ac nullius momenti: quod ſecundò, coloris auro obſcurioris, ac denſioris ſubſtantię, optimum eſt, ac uſui ſeruandum: quod tertiò, atrum & cœno ſimile eſt, probatur in ulſceribus tibiarum antiquis,

quis, & cacohete. aut Recip. Terebinthinæ claræ lib. ij. laterū recentium lib. ſ. maſticis, ſtyracis, an. unc. j. lateres igniti, oleo extinguantur. & fracti miſcentur reliquis. & per lambicum tres vt dictum eſt excipiuntur liquores, quorum ſecundus & tertius optimus eſt: Hæc ſunt quæ de ſimplici ac compoſito capitis vulnere in præſenti dicere decreuimus, ad honorem & gloriam Dei benedicti, qui ſit laudatus in ſecula ſeculorum.

DE SYMPTOMATVM PROFLIGATIONE. Cap. XV.

SYMPTOMATA, quæ fracta caluaria contingunt, adeo ſæua interdum exiſtunt, quòd proprias cauſas ſuperare videntur, ob id [a] interdum poſtpoſita curatiua methodo illis, veluti cauſis urgentioribus, & quæ maius minantur periculum, incumbere licèt; ſunt itaque, & ſi minima, ac debilia apparuerint, præſertim in die aliqua ſignificatiua ſummopere verenda; & illi admodum decipiuntur, qui de ipſis dimiſſa omni conſideratione, curando ſimpliciter procedunt, nec ea, quæ meningarum, aut cerebri paſsionibus propria ſunt, ab aliorum communibus, ſecernere valent; vnde multi hoc errore ducti ad ſectiones, dilatationes, ac terebrationes inconſideratè procedunt; & hinc multa in dies oriuntur incommoda. natura, ait Galenus, [b] & morbi ſpecies ex propriis accidentibus dignoſcitur. magnitudo autem ex eorundem vehementia; quare diuinus Hippocrates à vulneratis petere in primis iubet, vt nunquid mali, aut os, aut meningæ, aut cerebrum ſub telo ſenſerint, pernoſcatur, & quantum ſit videatur; nempe ſi ſine ſenſu quaſi dormiens iacuerit, ſi oculi obcæcati fuerint, ſi vertigo ipſum occupauerit, ſi incompoſitè locutus fuerit, ſi bilem vomuerit, & ſimilia, ac ſi vera indicia ſint cerebri vulnerati. nam tunc medicus his apparentibus ad operis celeritatem cogitur; ſecus verò prudenter agat, externa enim ac interna ſymptomata vt intemperies, & dolor magna fiducia tractantur, cum timore verò non nulla vt inflammatio, aut profunda corruptio, ob id nos primò de externis ac internis partibus affectis, quomodo in propria temperie conſeruari debeant, & quomodo, ſi in contrariam lapſæ fuerint, reſtituantur, notis primò cauſis temperaturam tranſmutare potentibus, inſtituere decreuimus.

a ¶ Gal. primo ad Glauc. & 12. meth.

b ¶ 3. de criſi ca. 4. & 5. de loc. affec. cap. 7.

DE INAEQVALI TEMPERIE.

EXTRANEAE qualitates a Græcis diſcraſiæ, a Latinis intēperies dictæ, non nunquàm vulnerato capite ſupernaſcuntur ſine materia, dum qualitates tantum, aut ad calidum, aut ad frigidum, aut ad humidum, aut ad ſiccum alterantur, & ſimplices hæ qualitates ab empirico medico rarò conſiderātur; multoties ab aliquo ſucco diuerſo, præſertim tenui, & calido producuntur, qui a ſui intrinſeco ſupremas partes petere ſolet, & ad affectas ſedes facillimè defluit, aut ratione doloris, aut a medicamento calido attrahente, aut a copia indumentorū, aut ab ambientis potentia, aut imprudentis chirurgi inepta actione, aut a prauo victus regimine, aut a cauſa aliqua occulta. ſi ergo ad caliditatem intemperies inclinauerit ex rubore, aut colore florido, dolore, veſicatione, & loci caliditate deprehenditur; in vulnere ſanies modica, tenuis, ſubrubida & acuta producitur; patiens a febricula non abſoluitur. & inquietus apparet; tollitur hoc ſymptoma opportuna diæta, ſanguinis miſsione, ac omni diuerſionum genere, nempe clyſteribus, frictionibus partium, quæ multum à vulnere diſtāt, cucurbitulis & ligaturis. nam ſic nouæ fluxiones reuelluntur, & quod coniunctum eſt facillimè diſcutitur;

at ſi

at si decet aluum mollire patienti denuò medicamentum cologogũ exhibeatur, 10
veluti Casia, Manna, aut syrupus rosatus, uel uiolatus solutiuus; & quia frequẽter affecta corpora cacochymia aut plethora uexãtur, uictus tenuis frigidus videlicet ac humidus instituatur uinum prohibeatur, inflãmata pars uiolaceo, ac rosaceo tepido perũgatur; uulnus primis diebus rosaceo solo regatur, postmodum ex periclimenone medicamento lacte muliebri loto: quæ uerò ulteriorem frigiditatẽ adepta sunt dimittantur, ne præcepto Hippocratis [a] materia ad intima retrocedat; talia sint tamen quæ qualitatibus contrariis sedem inflammatam ad temperiem reducant, affectus [b] siquidem non curatur, nisi affecta sedes fuerit optimè disposita: Si uero aduenit quod solum in contusis uulneribus aduenisse uidetur, ut mala temperies frigida orta sit, locus albescit, aut liuidi coloris fit, frigidus 20
est, non dolet, mollis apparet, & sanies tenuis & arida gignitur, nulla febris oritur, & somnolentus sit æger; tollitur hoc symptoma contrarijs qualitatibus, nempè calefactione facta [c] primo pannis calidis, aut uino tepido imbutis; topica sint temperatæ caliditatis, veluti emplastrum basilicon minus, citrinum, nigrum, regale, aut de gummi elemi; victus regimen mediocre, & vinum oligophoron, aut multa aqua dilutum sit. vt autem fluxa materia attenuetur, ac resoluatur, caput ca momelino, ac rosaceo completo irroretur; &, si aluum euacuare expedit, electuarium lenitiuum, aut catapotiæ cochiæ probantur: si verò humiditas multa locũ ob sederit ex mollitie nota, quæ ad tactum percipitur, ex aliqua eleuata dimensione circa vulnus, cuius labia laxa sunt tumida & decolorata, ac sanies multa & tenuis 30
uidetur, suo quoque contrario profliganda erit; quare siccantium medicamentorum vsus commendatur, præsertim fotus ex uino nigro, betonica, stœcade, rosis, myrtis, balaustiis, & aristolochia bullito: localia parantur ex pulueribus cephalicis tertij aut quarti ordinis; probamus medicamentum ex Isi solo, aut alteri admixto; cibaria sicca sint, & vinum pauciferum, ac, vt decet, euacuationes innouẽtur: Sicca apparente intemperie aut ex aeris qualitate, aut ex medicamentorum potẽtia, aut ex assidua febre, aut ex cibi penuria, nulla aut pauca in vulnere concoctio producitur, uulneris labra depressa videntur, coloris pallidi, cum vicina siccitate manifesta, tunc ea medicamenta tempestiue applicantur, quæ temperatè humectant; expedit igitur caput oleo communi, aut rosaceo tepido oblinire, aut deco- 40
cto ex maluis, violis, & meliloto in vino albo tenui, stupis in eo madidis cooperire; prodest etiam ad siccum locum aliunde humiditates attrahere, ac obstructiones aperire; vulnus curetur medicamento ex Terebinthina, luteo oui, & multo oleo rosato, aut vnguento ex matresylua, corticibus thuris, & sepo hircino; ratio victus satis lauta sit, euacuationes non probantur, nisi adhibitis clysteribus. Intemperies igitur omnis, quæ exterius apparere solet, his indicationibus ac remediis tollitur, præsertim si uulnus quoad ea quæ circa ipsum pertinent, rectè se habere videatur, omni seruata consideratione, ne internæ partes afficiantur. nam plerunque cruciari solent, & inde inflammatione affici, & alia accidentia & fortiora & 50
sæuiora demonstrantur, febris intenditur, capitis dolores augentur, rigores inordinati perseuerant, & conuulsiones oriuntur. vltimò alienant, qui sic affecti sunt, & tandem moriuntur.

[a] ¶Li. 1. de morbis in principio & 6. Aphor. 25.
[b] ¶Hipp. lib. de Vlceribus. Gal. 3. meth. cap. 8. & 4 meth. c. 2. Auic 4. 1. c. 28. & 1. 3. trac. 2. ca. 26.
[c] ¶Cels. libr. 5. cap. de uic. ca. Gal. 3. meth. cap 4 Paul. lib. 4. cap. 38.

DE DOLORE.

INTER accidentia sæua, quæ vulnerato capite suboriuntur, dolor est; siquidem in eius remotione temporis latitudinem non expectat, si potens est, [a] etiam si purum ab excrementis totum corpus fuerit, fluxiones, irritat. particula nanque, quæ dolore affligitur, sanguinem ac succum diuersum ad se trahit, copiosiorem scilicet, quàm sit illi ex usu, unde inflãmationes in ea frequenter excitantur; uehemens dolor [b] febrem adducit, repentinas [c] facit mutationes,

[a] ¶Gal. 2. de diff. feb. ca. 11. 5. Aphor. com. 32. 3. meth. c. 4.
[b] ¶ Gal. 2. de comp. m. in genere.
[c] ¶Gal. lib. art. par. m. c. 88.

10 tiones, uirtutes [a] prosternit, digestionem corrumpit, somnum tollit, & est caussa mortis, ob id inter acuta symptomata numeratur, cui, dum apparet, omni studio incumbendum est: quàm plurimæ sunt causæ, hoc symptoma in uulneribus capitis commouere potentes, nempe mala temperatura, quæ [b] dum uiolenter continuum aut alterat, aut soluit, dolorem operatur, natura pariter, ac partis læsę compositio dolores promouet, ut sunt tempora, ubi musculi illi, quos græci crotaphites, & latini temporales uocant, locãtur, quapropter Hippocrates omnia loca capitis secare iubet præter tempora, inquit ipse, ubi caput incidendum sit, cæteræ eius partes tutò inciduntur, tempus & regio superior iuxta uenam, quæ per tempora fertur, hic inquam locus scalpello attingi non debet; eum enim, qui incisus
20 fuerit neruorum distensio præhendit: acria etiam & acuta medicamenta dolores mouent; idem facit aliquod extraneum in uulnere contentum, aut aliquod os pũgens, aut grauans, aut praua patientis dicęta, aut aliqua causa occulta. Tollantur igitur causæ, quæ sensibus subiiciuntur, ea ratione, qua tolli possunt, hoc seruato ne noxa aliqua nobilibus contribuatur. si uerò abditæ fuerint, optimum in his, ni si ætas prohibeat, & uis uitalis imbecilla appareat, curationis initium a sanguinis missio e molliri, & congruis superfusionibus in capite uti, lanas oleo dulci, aut rosaceo madidas ipsi circumponentes; at si prohibeatur propter horum aliquid, veluti ætatẽ, aut uirium imbecillitatem, aut etiam propter utrasq; sanguinis detra
30 ctionem tentare, clystere uentrẽ euacuabimus, & omnibus modis materias re uel lemus, abstinere tales oportet a uino, & cibi satietate, præsertim si febre afficiuntur. Alteram doloris causam, quæ sub occulta dispositione continetur, Paulus, [c] & Auicenna [d] assignare uidentur; fit enim in eo ictu, qui in capite etiam aliis ex causis fieri uidetur, in quo continuitatę cutis integra existente, ortus abscessus cum sectus fuerit, offensam ibi hominis caluariam fuisse repertum est, qua ratione dolores etiam acuti pręcessere, donec causa absumpta fuerit: porro [e] si aliquid inflammationis pericranij communione, quam per suturas cum dura mẽ-
40 brana habet, etiam intra caluariam transmissum fuerit, eiusmodi capitis dolor periculo non vacat: quibus etiam dispositio intra caluariam est his ad oculorum radices dolores perueniunt, & sępe moriuntur, ob id quia oculorum tunicę â membranis cerebri oriuntur: cęterum non rarò accidit in ruinis ab alto aliquam cerebri aut membranarum particulam abrumpi: quod ubi contingit adhuc magis capitis dolor uehementior euadit, & dispositio tota curatu difficilior fit, & periculum præsentius & uehementius ostendit. Ait Hippocrates, [f] si uenę circa cerebrum sanguinem superuomuerint, ac cerebrum calefecerint, febris emergit fortis, & dolor ad tempora, & sinciput, & posteriorem capitis partem extenditur, & aures tinniunt, ac flatu implentur, & nihil audit, & anxius est, & se ipsum prę dolore iactat, hic quinta aut sexta die moritur: secus uerò de venis in cerebro credit Aristoteles [g] sub his uerbis, Cerebrum omnibus priuatum sanguine est, nec ve-
50 nam intra se ullam continet, & ad tactum frigidum natura est: interdum [h] doloris causę externę sunt, nempè indumentorum copia, & cataplasmatum natura, & simile pręsertim in his, qui calidi cerebri sunt, nec pondus in capite ferre possunt; ignis ex carbonibus, mali odores, uapores putridi, flatus australes, rumores, strepitus, & clamores caput lædere solent: nonnulli etiam consortii lege, si exiguus quidam in ventriculo, & magis in eius orificio humor acris collectus fuerit, illico capite dolent: eodem modo multi à cibo diutius abstinentes offenduntur. augescit enim ipsis propter longam inediam talium humorum prauitas: curare igitur eos, qui sic infestantur oportet, nihil capiti admouentes; siquidem neque vllum peculiare affectum sustinent, sed corpus conuenienti nutrimento nutrire, aut noxios uentriculi humores celerrimè euacuare, & omnem manifestam causam remouere: in omni dolore a causa interna, ait Rasis, qui perseuerauerit, corpus fluxibile reddatur, cibus detrahatur, & uinum ex toto prohibeatur: & si inflammatio

[a] ¶Auic. 4. 1. c. 30.
[b] ¶ Gal. 2. de loc aff. ca. 5. 12. meth. cap. 7. 2. prognost. có. 1. lib. art. par. m. cap. 80.
[c] ¶Lib. 1. c. 90.
[d] ¶Ca. de frac. cran.
[e] ¶ Gal. 2. de cõp. m. ẽm loc.
[f] ¶Li. 2. de morbis.
[g] ¶1. de nat. anim. cap. 16.
[h] ¶Lib. de Cal. curat. lib. de fracturis. lib. de off. Medici.

nis

nis initium apparuerit, sanguis mittatur, & clysteres acuti administrẽtur; sic enim vires ualidiores redduntur, vt doloris causas per sensibiles, aut insensibiles euacuationes absumere possint, ucluti per secessum, aut lotium, aut sudorem, aut uomitum, aut aliquem abscessum, dum tales alicui facili euacuationi paratæ fuerint: porrò uires ualidas reddunt quies, somnus, cibi boni, facilis concoctio, & leues frictiones, quę postea per poros cranij, & angustos meatus insensibiliter dolorum causas discutiunt, nec ab re interdum est caput leui oxychrodino perungere, aut, ut ipse Rasis inquit [a] cataplasma applicetur ex succo foliorum salicis, myrti, oleo rosato, uino nigro odorifero, myrrha, sertula cãpana, calamo aromatico, alumine cameno, & boloarmeno, aut ex folijs myrti, mentastri, uitis, & sampsuci. Hęc omnia Auicenna [b] Arabum auctoritate approbauit in soda sine vulnere, & inquit, fortasse contentus eris oleis, & rectè agit, qui eis utitur tepidis. His remedijs dolores capitis, dimissis narcoticis, id est stuporem inducentibus medicinis, tolli solent.

a ¶Ad Alm. ca. ult.

b 1.3.tra.2. ca. 26.

DE INFLAMMATIONE EXTERNA.

VVLNERATO capite si qua externa inflãmatio suboritur, ferè semper a bilioso sanguine gignitur, cũ talis humor sui natura suprema petat, & raro alter humor huic sedi prætерquã in contusis noxam pręstat. siquidem pituita in eis desluere apta est: cum igitur alicuius fluxionis initium demonstratur, & ne locus inflammetur timor adest, quod [a] dignoscitur ex colore loci, calore, dolore, & dimensione, causa tum efficiens, tum materialis illico perquiratur; nam eæmet esse possunt, quas in internis affectibus descripsimus: quapropter si qua fuerit nota tollatur. secus uero inflammationis tempus consideretur ut loco, & tẽpore præsidia adhibeantur. nam [b] uulnera curari nequeunt, nisi finita inflammatione. in hoc autem diligens Medicus requiritur, ne naturę operationibus aduersetur, quod est pręceptum Hippocratis [c] dum inquit, quę ducere oportet quo maximè natura vergit per loca conferentia eo ducere, ob id motus omnis cõsideretur. si enim [d] erysipelas, & vnaquæque inflammatio ad extra uerti bonum sit, apocrustica, id est quæ repellunt, & prohibent, dimittantur; porrò tale initium prohibendum est diæta & euacuatione. Sic enim præcipit Hippocrates [e] dicẽs, Vbi autem in vulnere capitis siue sectio adhibita sit, siue non, tumor rubicundus, & ad erysipelatis naturam accedens, in facie, atque oculis, uel utrisque, uel alterutro oriatur, isque tactus doleat. febris item superueniens, & grauis horror. vlcus verò quoad carnem pertinet rectè se habere uideatur, os, & quæ iuxta ulcus sũt rectè procedant. excepto faciei tumore, cui nullus alius error in uictus ratione adijciatur, aluus homini ducenda est, dato medicamento, quod bilem moueat: post purgationem febris cessat, tumor finitur, & sanitas restituitur. Sed, cum medicamentum datur, æstimandæ sunt vires hominis, vt valeant. Nec quidem hoc casu expectanda est materiæ concoctio, nihil de sanguinis missione, pura bile peccante, memoriæ ibi prodidit Hippocrates, sed alibi [f] si tumor a materia, aut mixta, aut crassa prodiderit, sanguinem mittit. insuper humores qui adhuc supererint, quieti, serapijs, decoctis, frictionibus, clysteribus, & conuenienti diæta, seruari debent. Topica sint oleum rosaceum: nam de eo dicebat Galenus, [g] rosaceum verò vtpotè eius natura olei, rosæque in medio est, in inflammationum augumentis optimum est remedium, at si inflammatio ad consistẽtiam deuenerit, & partes vulneri proximas occupauerit, tunc quod fluxum est discutiatur, & quod fluit reprimatur. tunc ergò rosaceum & myrtinum una probantur, aut cataplasma tale applicetur Recip. medullæ panis aqua macerate, & addito puluere rosarum, myrtillorum, violarum, betonicæ, & oleo rosato fiat emplastrum: & si tumor ad delitescentiam inclinauerit, caput totum rosaceo maturo, & camomellino tepido pluries

a ¶Gal. 14. meth. cap. 9.

b ¶Hipp. lib. de Vlceribus & li. de fracturis. Ga. 4. meth. cap. 6. Auic. 4. 4. ca. 3.

c ¶Lib. de humoribus & 1. Aphor. 21.

d ¶Hipp. lib. 1. de morbis & 6. Aphor. 25.

e ¶Lib. de Cal. curat. Gal. 4. meth. cap. 6. Paul. lib. 6. cap. 90.

f ¶Lib. de fracturis.

g ¶ 2. de comp. me. fm loc. ubi de soda a pcuss. & 3. de s. m. c. 16.

ries irroretur, aut emplastrum adhibeatur ex floribus rosarum, meliloti, betonicæ, camomillæ an. m. j. farinæ fænugræci, hordei, seminis lini an. unc. ij. rob. olei rosati an. q. s. misce & fiat emplastrum: discusso tumore accidentia minuuntur, & tũc discutiẽdi, & exiccandi, indicatio est opportuna. igitur inuncto capite rosaceo & masticino, tale applicetur emplastrum. Medullæ panis, pulpæ passularum an. unc. ij. florum camomillæ, meliloti, rosarum, sticados an. unc. s. farinæ tabarum, hordei, fænugræci an. unc. j. mellis crudi unc. ij. lixiuij clari q. s. & fiat emplastrum: si autem materiæ copia in aliquo sinu coaceruatur agente in ea calore mixto ex naturali & præter naturam, ad suppurationem tendit, quod cognoscitur auctore Hippocrate ex eleuata dimensione, febre, & dolore, tunc sedis affectæ uis corroboretur, & innatus calor referetur, ne difflari possit, & tunc triapharmacum quod & macedonicum uocatur a multis [a] probatur. paratur ex aqua communi, oleo oliuarum, & farina triticea; aut ex farina triticea, decocto caricarum, passularum, & foliorum maluæ, rosaceo, & adipe suillo: concocta materia in decliui parte exitus fiat, & ea obseruentur, quæ capite octauo explicauimus. uulnus hoc interim opportunis indicationibus regatur. Et hoc unum perpetuò obseruandum est, quod a Chirurgis non obseruatur, nisi ab his, qui hippocraticam methodum sectantur. quòd non raro aut ab aere, aut medicamento erodente, aut inepta operatione pericraneum inflammatur, & consortii lege interior meninx afficitur, & sæua occurrunt accidentia, & mors, uulnus decoloratum redditur, labra tenuia fiunt, & ab osse separantur, tunica languet, febris augetur, sanies aquea fit & mali odoris, inde delirium sequitur, conuulsiones gignuntur, vltimo mollificationes subsequuntur & mors.

a ¶Cels. li. 5. c 1. Gal. 6. Katage ni. & 2. ad Glau. Auic. 4. 4. ca. 3. Auer. 5. collig. cap. 5.

DE INFLAMMATIONE INTERNA.

CVM [a] cerebrum, aut eius membranę inflammatione vexantur, dolor totum caput occupat, ea maximè parte, qua inflammatio constiterit; aures sonitu replentur, auditus hebescit, & venæ temporum extentæ sunt, & pulsant, febris continua augescit, pulsus durus apparet, rigores inordinati perseuerant, & dolor nunquam cessat, oculi rubescunt, facies nigrescit, lingua aspera fit ac pustulis repletur, uulnus liuescit, nec proprium seruat colorem, & saniem modicam ac tenuem emittit, & carnem sale conditam repræsentat: laborans mente non constat, distensio in altera corporis parte supernascitur, attonitus fit, & moritur: si vero inflammatio anteriorem capitis partem occupauerit, potentia imaginatiua corrumpitur, & tunc [b] patientes manus ad faciem admouent, ut inde quid piam superuacuè inquirant, aut frustra muscas venantur, aut festucas colligunt, aut de veste pilos euellunt, aut de pariete paleas, & falsa perpetuò imaginantur: si autem mediam sedem percusserit, cogitatiua virtus destruitur, vndè patientes facillimè irascuntur, incomposite loquuntur, rident, somno priuantur, & si dormiunt aut ignem, aut ignitas res videre imaginantur, a somno timentes surgunt, & fascias, quibus caput auolutum tenebant, lacerant, medicamenta abijciunt, & vulnus frigido aeri obijciunt, quod exiccatur, & patientes moriuntur: cumque posterior pars inflammatur, memoria perturbatur, facillimè obliuiscuntur quicquid tunc dixerint, aut petierint, aut ostenderint; at si tota regio capitis accenditur, accidentia omnia, aut maior eorum pars apparere solent, quæ omnia nõ illico, sed tractu temporis dignoscuntur. Harum inflammationum uariæ sunt causæ [c] nẽpe, os aliquod meningas pungens, aut lacerans, aut frigus, aut cibi multitudo, aut vini potus, aut praua chirurgia, aut dispositio aliqua occulta, ueluti interior fractura uenularum occultarum, aut materiæ copia super meningas contentæ, aut acris humoris quædam fluxio, interdum a uicinis partibus transmissi, aut ibi geniti, quæ omnes causæ aut per se solę, & singulatim, aut commixtè hos prauos affe-

a ¶Hipp. lib. 3: de morbis. Gal. 3. Inter. cap. 3. Aet. ser. 6. c. 25. Paul. lib. 3.

b ¶Hipp. 1. prognо. c. 26. Auic. 1. 3. trac. 3. ca. 2.

c ¶Gal. 8. de usu par. Paul. li. 6. c. 90. Auicen. 5. 4. trac. 3 c. 1. Rasis. 29 conti. c. 2.

ctus producere aptæ sunt, quorum initium, vt ait Auicenna [a] dignoscitur, quia si in illo, qui habet hoc impedimentum, apparet febris, & conturbatur intellectus tunc iam incipit apostemari. augumentum vero ob rigorum vehementiam. nam dicebat Princeps [b] Et quandoque accidit rigor, propterea quia refugit calor ad interiora sicut fit in apostematibus intrinsecis, & sunt rigores perseuerantes, quibus intensior calor non subsequitur; porro si talis inflammatio in panniculis orta, calida fuerit, a Græcis [c] phrenesis, ab Arabibus [d] Sirsen, & Karabitus, & a Latinis membranarum inflammatio vocatur aut cerebri, potissimum membranarum, ob id quia venarum ac arteriarum maiorem copiam concinnent, & earum substantia densior est; quare facilius inflammationes ferre possunt: cerebrum uero dum affligitur quia molle, humidum, frigidum, ac dissolubile, non nisi a potentissima causa occupatur: hac ratione sphacelo interdum corripitur, & illico mens turbatur, & vita perit; quod illi occurrit, dum in eo extra uenas sanguis effunditur, ac extra uenas continetur; & ideo hæc phrenesis vera non est, sicuti velaminũ inflammatio, quæ in eius initio curari solet causam remouendo, si sensibus subiicitur: si uero occulta, absumatur omni diuersionum genere, & sit tua solicitudo, & finis in intentione ad hoc, vt dolorem sedes, ait Auicenna, inquantum potes, & elonges materiam a loco læso, aut cum euacuatione, aut attractione ad cõtrarium, ut non apostemetur: primum ergo quod te oportet facere, est phlebotomia cephalicæ, aut nigræ: si autem est repletio, oportet ut utaris clysteribus acutis saltem cum pulpa coloquintidæ: & si intensa apparuerit febris, clystere æquabis: primò ergo sanguis mittatur a propinquiori sede lateris vulnerati; interdum ẽt, auctore Paulo [e] sub lingua, si materia fuerit subtilis; cibus minuatur; uinum ex toto detrahatur, materia diuertatur frictionibus, cucurbitulis, ligaturis, & clysteribus. localia uero ea sint, quæ in inflammationum initio probãtur, nempè oleum rosatum rude, siue omphacinum tepidum: in incremento inflammationis in auribus ea, quæ caliditatem remittunt, instillare oportet, sicut est rosaceum, & uiolaceum oleum; occipitium, spinam, ac subascellia rosaceo, ac gallinæ pinguedine humectare, &, si decet, caput totum cooperiatur cataplasmate ex farina hordeacea, seminum lini, oleo rosato, & sapa, calida omnia dimittantur præsertim indumentorum copia: siquidem immoderatus calor ex multis pannis, stupis, pelliceis, calidiori conclauio, calidioribus medicamentis excitari solent. ob id Hippocrates in his nec fascias tantum applicare ausus erat: si autem inflammatio perseuerare videtur, quod dignoscitur ex symptomatũ forti tudine & augumento, & nihil prohibet, medicamento, quod bilem purgare possit, patientem euacuare expedit, & illud probatur quod validum & leue est. validum nempe vt a capite diuertat & euacuet; leue vt semel, aut bis tantum purgare possit absque caliditate & violentia. nam dictum est ab Hippocrate [f] febricitantis caput ne purgato, ne furiosus fiat; calefaciunt enim caput pharmaca purgatiua, nã si ad caliditatem febrilem accedit, id q̃ in medicamẽto est, insaniam facit. ob id dicebat Auicenna, si apostema calidum perseuerat, & non est aliquod, quod prohibeat sumere medicamentum solutiuum soluens semel, fiat illud. nam sic præcipit Hippocrates; attamen in nouis Auicennæ correctionibus ab Andrea Bellunensi nuper in lucem editis, dictio illa semel non legitur, & textus ille sic sonat, si apostema calidum perseuerat, & non est aliquod quod prohibeat omnino sumere medicamen solutiuum, fiat illud. nam sic præcipit Hippocrates; quod etiam affirmat Paulus sub his verbis, si perseuerat inflammatio, & nihil aliud prohibet, medicamento, quod bili ducendæ est, purgare ipsos Hippocrates præcipit. igitur in antiquo Auicennæ codice dictio illa, semel, tollatur, & eius loco, bilem, ponatur, vt una cum Hippocrate, & Paulo sententia intelligatur; siquidem ratio hoc demõstrat, non enim medici munus est pharmacum exhibere, quod semel, sicut bilẽ, euacuare possit. posset fortasis textus ille Auicennæ si intelligi, si inflammatio perseuerat

a ¶1.4. trac.2. cap.26.

b 1.4. trac.2.c. 26.

c Gal.3. de loc. affec.cap.5.2.de sympt. caus. ca. ult.

d Auic. 1.3. tra ct.3.cap.1.

e ¶Lib.3. ca.7. Auic. 1.3. tract. 3.cap.4.

f ¶Lib. de loc. in homine. & libro. de medic. purgan.

seuerat, & nihil prohibet, semel sumere medicamentum quod bilem soluat, fiat illud; & vnum notare expedit, quòd Hippocrates bilem euacuat vulnere bene se habente, sed facie inflammata tantum, & ignis sacri speciem referente, & nihil de cerebro, aut meningis inflammatis memoriæ prodidit. hac de causa multi sanguinis missionem, & clysteriorum vsum in affectibus intrinsecis magis, quàm pharmacum approbarunt; attamen vrgente causa bilem expurgandi medicamẽto aliquo eradicante vti non expedit, veluti antiquorum mos erat, sed id lenitiuum omni caliditate expoliatum sit, ut est casia, tamarindi, mirobalani, manna, reubarbarum, aut syrupus rosatus solutiuus, aut simile medicamentum benedictũ, quod ui mouere non possit, ne materiæ crudæ moueantur, & ad affectam partem concurrãt. siquidem [a] scammoneata sic corrigi minimè possunt, quin primariis, ac nobilibus membris noxam inferant, & quæ ui euacuant uentriculum offendũt. inde praui gignuntur humores, qui, si euacuationi apti non fuerint, conturbantur, & mouentur, & ad affectas partes facillimè ascendunt, & capiti nocumentum afferunt; &, vt ait Hippocrates, insaniam producunt, id est phrenesin, & membranarum inflammationem. hac ratione Galenus [b] in acutis morbis medicamentum eradicatiue euacuans dari prohibet, nec ob id tantum, quòd morbus acutus est: sed quia perpetuò febris adest, quæ augetur, & vapores mali caput petentes inflammationes excitant. porrò [c] felices euacuationes cognoscuntur concocta materia; concoctiones [d] uerò non nisi in cronicis expectantur, hac ratione præclarissimi medici cerebro inflammato magis phlebotomiam, quàm pharmacum approbant, in cacochymis a mediana, in plethoribus a capitali uena eiusdẽ lateris. sic enim Hippocratis [e] methodus seruatur, si qualia oportet purgari purgentur, confert, & facile ferunt, si contra difficulter. porrò secta uena, sanguis in ea copia mittatur, quæ desideratur; secus uerò a pharmaco qualecũq; fuerit id euenire solet. ideò in Aphorismis scriptum est [f] in acutis passionibus rarò, & in principiis medicinis purgantibus uti. quare dicebat Galenus, [g] si minus quidem auxilium per sanguinis missionem, quàm per purgationem sequitur in morbis acutis, securius tamen multò existit, immò nullum ex eo quod per sectionem venæ fit periculum impendet, eo discrimen maximum subeunte, quod per purgationem tentatur, & potissimum si laborantis naturam expertus quis non fuerit, nempe difficulter alii natura purgantur, alii modico assumpto medicamento copiosè. si enim hominis naturam non noueris, metus est ne plus iusto euacues; quæ omnia in acutis morbis magnas pariunt offensas. id ergo sequitur, quod ab omnibus [h] medicis in fractu ris caluariæ probatur, quòd, signis inflammationis apparentibus, clysteribus, ac sanguinis missione vti debeamus, potius quàm pharmaco euacuante. sanguis igitur ex cubitu mittatur, interdum ex naribus, aliquando etiam ex fronte, aut ex uasis linguæ subditis, cumque inflammationis causa materialis aut mixta, aut crassa fuerit, quod dignoscitur ex tarditate, ac symptomatum imbecillitate, tunc clysteres ex hiera, aut electuario lenitiuo laudantur. &, si intensa febris non apparuerit, auctoritate Rasis, [i] & Auicennæ [k] pilulæ cochiæ summopere probantur; ualent profectò, quibus nos magno cum honore pluries usi sumus: optimum pariter remedium est sanguinis missio ex uenis podicis, quas hæmorrhoides græci uocãt: ac occipitio hirudinum applicatio, siue earum post aures aut temporibus appositio. Hæ operationes a diligenti chirurgo secernendæ sunt, & secundum opportunitatem eligendæ, & in omni euacuandi modo, ætas, ac virium robur, sexus, exercitium, ac temporis constitutio, primò considerari oportet.

a ¶Cels. lib. 5. cap.1.

b ¶2.reg.ac.cõ. 11. & 12. & 1. Aphor. com.24

c ¶Hipp.lib.de humoribus. & 1.Aphor.22. Gal.1. de crisi. cap.8.

d ¶Gal.1. Aph. com.24.3.Aph. com. 16. Auic. 4.1.cap.3.

e ¶Lib. de medic. purgan.1. Aph.25.4.Aph. 3.& 5.& 6. Epidemiarum.

f ¶1.Apho.24.

g ¶2.reg.ac.cõ. 11.

h ¶Hipp.lib.de Cal.cur.Celf.li. 3.cap.18.Gal.2. meymir. Oriba si.lib ar. cur.ca. 6.Aet.lib.6.c.2. Paul. lib.3. c.6. Serap.1.bre.c.2 Rasis 1.conti.c. 4.& 6. ad Alm. cap.ult. Auic.1. 3.trac.2.c.26.

i ¶9. ad Alm. cap.1.

K ¶1.3.trac.2. cap.26.

DE MEMBRANA ET CEREBRO EXTVBERANTE.

POST [a] chirurgiam, aut aeris frigiditate, aut mala diæta, infrigidatur uelamen subcingens, & tumet sic, quòd craneum extuberat, & extra eminet; & hæc passio a Galeno [b] fungus uocitatur, ob id quia parui, ac rubei fungi

a ¶Paul. li.6.c. 90.Auic.1.3.tr. 3.ca. 14. & 5.4. tr.3.c.1.

b ¶1.de loc.aff. circa prin. & 3 Epidemiarum.

gi imaginem præ se fert:a Principe in ueteribus traductionibus,futratem, & futu ratim,interdum etiam addito articulo Alfaturatim.in recentioribus uerò,arabicè Alchatara,Fater,& Fatera,quod fungum significat.excedit hic tumor ossis crassitiem,ac interdum cutis superficiem:in membrana grauitas percipitur, & eius motus deperditur naturalis. sæpe huic morbo extensiones præcedunt, & sæua alia symptomata,& mors;oritur nempe craneo fracto,si meninga, quæ cerebrum custodit,sauciatur,aut alteratur:at quia,utplurimum in hac curatione operationes omnes frustratoriæ sunt,Alfutraten uocitatur.capite enim uiolato, membrana interdum inflammatur,neque repelli potest quod concurrit, neque facile extrahi, quod super ipsa collectum est.ea de causa timēda est talis inflammatio, licèt alioquin caput,cum superius sit recte locatum & non pendeat, non ita humorum concursum admittat.cumque talis tumor apparuerit, si ex manifesta causa initium traxerit,ea protinus amputanda est,si a frigido aere,alteretur ad calidum, si a medicamentorum qualitatibus,permutētur, si ossis angustia id effecerit, amplietur, si praua uictus ratio,corrigatur : uulnus ac membrana uino albo odorato tepido abluatur,leuiterque siccetur. postmodum sindone rubeo oleo de Terebinthina, ac aquæ uitæ imbuto cooperiatur.inde superposita lata petia eodem medicamento tincta, ac capite rosaceo, & camomellino oleo inuncto exiguam stupam uino nigro,& rosaceo madefactam toti capiti circumponemus, adhibita diligentia ne membrana grauetur.postea latiore utemur ligamento,neque hoc astringēte, sed ut medicamentum tantum retineatur. Celsi [a] uerò testimonio si membrana ex inflammatione intumuerit,infundenda erit rosa tepida,si usque eo tumebit,ut super ossa quoque emineat,coercebit eam bene trita lenticula, uel folia uitis contrita,& cum recenti butyro,uel adipe anserino mixta,ceruixque molliri debebit liquido cerato ex irino facto.Paulus uerò membranā prius fouet decocto altheæ, seminum lini & fœnugræci, cui si maluam, & uiolariam addiderimus, optimum erit.nostrates autem medici hoc approbant emplastrum Recip. Florum camomillæ,meliloti,betonicæ,rosarum an.m.j. squinanti,linguæ passerinę an.m.s.seminū fœnugræci unc.j.omnia in brodio capitis Veruecis bulliant,postea colētur, & exprimantur.& Recip.farinæ hordei,corticum tritici an. vnc. ij. puluerisrosarum, meliloti,sticados,betonicæ an.vnc.5.olei rosati,myrtini,rob.an.vnc. ij. prædicti decocti q.s.pro emplastro,nam non rarò hi tumores flatu replentur.quod Alexāder Tralianus [b] annotauit,quærens an flatus sit,an cerebri substantia, an materia diuersa,& asserit nullo modo cerebrum esse, ob id quia interdum a debili medicamento tumores isti discutiuntur,quod non ita eueniret, si cerebrum adesset. valdè enim diuersa ab eo est materia fungi.siquidem cerebri substantia nō ita relaxatur,quanuis mollis,& laxa fuerit,nec,vt alia excrementa, in aquam dissoluitur.& hinc error maximus oritur.nam imprudētes nulla habita ratione de tumoris essentia,eum resecant,& membranam offendunt. igitur magis rectum est, vt ex se cadat,aut discutiatur si potest.si enim inflāmatur, sic vt corrumpatur, quod corruptum est separetur.nam operatio hæc admitti solet.& si qua fuerit difficultas,totum opus naturæ committatur. Generatur Fungus utplurimum frigefacta membrana,aut frigida humiditate repleta,quæ, dum attenuatur, agente calore debili flatum producit;cumque per angustum callē talis causa exire cogitur,quæ in neruea membrana continetur,a frigido aere alterata,extra craneum tumorem efformat,qui fungi effigiem representat.hunc interdum, si discuti nequit, ferro aperire expedit,vt materia euacuetur,ne fiat vomica; quod felici successu pluries factum est;atque qualicunque euacuata materia, sinus & vulnus vino decoctionis rosarum,pimpinellæ,betonicæ, ac minoris centaureæ abluatur, addito rosaceo melle & si dolor molestiam inducit.humano lacte ab hubere emulto. inde tali regatur medicamento.Recip.Terebinthinæ claræ vino albo lotæ vnc.ij.aquę vitæ,mellis rosati an.vnc.j.myrrhæ,aloes granorum hypericonis an.drag.j.ceræ pa-

rum

a ¶Lib.8.ca.3.

a ¶Lib.2. problem.86.

rum pro molli vnguento:repleto vulnere,leuiter tamen, lata petia ex vnguento de gummi elemi,& diabotano,aut de betonica cooperiatur; procedatur sic, donec aliqua naturæ significatio,aut ad mortem,aut ad vitam apparuerit; & si ad vitam,dimissis vnguentis,& humido quocunque,aridis cephalicis vti decet: si autē membrana nigruerit,melle rosaceo solo vtemur;quod si non iuuat, medicamēto Iside interdum,& ægyptiaco tutò vti decet;si uerò nigredo non cedit,calorem illius partis emortuum iudicabimus. Adhuc notare oportet,quòd interdum quædam mollis caro adeo concrescit,vt similis tumoris formam præ se ferat,quæ vnguentorum applicatione augetur;quare tunc ad ea,quæ valde siccant, deuenire opus est.

DE FEBRE.

FEBRIS, quæ [a] apostema comitatur, quod alicui membrorum nobiliū incipiendo innascitur,mala est,& illa peior, quæ sequitur ad inflammationem panniculorum cerebri. ipsa nanque est febris phrenesis;dictū est a principe [b] in illo,qui patitur sodam a percussione,si apparet febris,& conturbatur intellectus,tunc iam incipit apostemari, & si [c] vulnus peruenerit ad cerebrum,& apparet febris,& vomitus colerę,nō est qui sanetur,nisi rarò:potest quippe interdum non multo timore in caluaria fracta febris oriri,præsertim in æstate ante septimam,& in hyeme ante decimam diem,aut ratione doloris,aut animi affectuum,aut bilis motus,aut longæ inediæ, aut dum pus conficitur,aut retētis corporis excrementis,aut si aliquod extrinsecum apparuerit,erysipelas: concentratur interdum natura in his motibus expulsiuis,& rigores subsequuntur,postea florido colore locus alteratur, & febris quiescit, nec ob id vulnus eo modo exiccatur,sicuti in occulta inflammatione,tunc enim febris ardens perpetuò patientem affligit,& rigores inordinati ac diuersi perseuerant,ac si febres plures,ac inordinatæ,& mali modi,adessent: suffocato denique innato calore, & languida facta nutritiua virtute,vulnus siccum redditur,fit mali odoris,os liuescit,inde ob intensum calorem nigrescit,& teredine afficitur,lingua arida fit,ac ob humoris acredinem,qui continuò à cerebro ad os destillat,pustulis repletur,& alcola, siue ulcuscula,aphtæ à grecis dictę,per os producuntur; tandem qui sic affecti sunt conuelluntur in opposito latere,mollificantur in proprio, postremò mente non cōstāt, & moriuntur;febris tamen primo apparet mitis quidem, non multi caloris, quę si in quarta,aut septima,aut vndecima,aut decimaquarta die oritur,mortem futuram promittit, iudicatur plerisque si quidem quarta vulneris die inceperit ad undecimam,si septima ad decimamquartam,aut decimamseptimam,si verò vndecima,ad vigesimam:porrò si in febris initio,aut delirium,aut aliqua conuulsio orta fuerit, male prędagire oportet, nisi omnino ex optimis signis criticis aliquod apparuerit,aut uirium robur adsit:optima [e] nempe signa hęc sunt,copiosa è naribus sanguinis emanatio,aliquod extrinsecū,erysipelas,aut aliquid simile, quod perfectam crisim ostendat,& tunc,ait Hippocrates,si vulnerati fiunt conualescentes,in parte aliqua corporis perpetuò patiuntur:nec [f] febris quidem terrere debet,si in magno vulnere, dùm inflammatio est,permanet. illa pernitiosa est, quę uel leui uulneri superuenit,uel ultra tempus inflammationis durat, uel delirium mouet:uel,si neruorum rigor,aut distensio,quę ex vulnere orta est,eam non finit, siquidem [g] dictum est in libro separatorum sermonum febrem conuulsioni melius est superuenire,quàm febri conuulsionem, & qui a neruorum cōuulsione detinentur,aut distensione,febre superueniente liberantur:hisce igitur febris solita est magna ex parte calefacere,extenuare, atque dissoluere conuulsionis causam: illa [h] verò febris salubris est, quę, orta inflammatione extrinseca, superuenit vulnere bene se habente, aliter pernicioſa iudicatur. Vrinę in febribus ex occul-

a Hipp. 2. prædict. Rasis 10.ad Alm.cap.15.

b 1.3.tr.2. c.26

c ¶1.3. tr.2. ca. 14.

d ¶Hipp.2.prædict.

e ¶Gal.2.de crisi.

f ¶Cel.ii.5.ubi de ratione uictus uulnerat.

g ¶2.Apho.26 4 Apho.57.li. 1.de morbis.

h ¶Hipp.lib.de Cal.curat.

ta inflammatione claræ,& crudæ malæ sunt,arguunt nempe calorem innatum cir
ca materiam internam occupatum esse; illæ [a] pessimæ sunt si albæ & perspicuæ
minguntur,& magis si patiens delirio affligitur,nunquàm delirantem, ait Gale-
nus,cum his vrinis saluatum vidi. Cum igitur vulnerato capite, aut fracta caluaria
febris oritur,quæ nec Ephimera,nec humoralis,siue putrida fuerit, nullũ seruans
typum,aut periodum sed assidua, aliis prauis symptomatibus,quæ inflammatio-
nis initium,aut cerebri,aut meningarum portendunt, associata. victus regimen at
tenuetur,qui,vt docet Hippocrates, [b] frigidus & humidus sit,veluti ptisana hor
deacea est,aut panatella cum saccharo & lacte amygdalarum,aut seminum melo-
num;potus aqua decocta sit addito vino granatorum,& zulapio rosato: si victus
constat,denuò capitalis vena aperiatur:& si corpus plurima bile scatuerit medi-
camento calologo euacuetur, humores serapiis opportunis æquentur veluti de
Endiuia,rosatus,& de cichorea cum aquis aut decoctis conuenientibus,omne ge
nus diuersionum probatur, potissimum verò similium clysteriorum vsus Recip.
foliorum maluæ,violarum,scariolæ,lactucæ,bletæ an. m.j. decoquantur in com-
muni aqua,& Recip.prædicti decocti vnc.x.& adde mellis violati,Zucchari rubei
an.vnc.ij.olei violati vnc.iij.casiæ extractæ vnc.j.ouorum vitellos nu.ij. salis co-
chleare j.misce,& fiat clyster;spina tota rosaceo vnguento,muliebri lacte,& viola
ceo oleo inungatur,& vulnus indicationibus propriis regatur.

[a] ¶Hipp. lib.de Coac.prænot.& 4.Apho.72.

[b] ¶Libr.4. de fracturis. & 1. Aphor.16.

DE ALIENATIONE.

VI [a] capite vulnerato mentis perturbatione vexantur,si alia internæ in
flammationis signa adfuerint, sat erit tales solis Presbiteris relinquere,
nam in meningis,aut cerebro facta est inflammatio,aut iam fit:quòd si fa
cta est,curationem expectare non licèt,& [b] minus si per se accidens fuerit,& nõ
consortii lege,omne [c] quidem delirium principem facultatis motiuæ,ac intelle
ctiuæ pati demonstrat:eius causæ duæ sunt,internæ & externæ.internæ praui suc-
ci sunt,aut vapores mali cerebri operationes corrumpentes, nam sæpe [d] a ven-
triculo vapores ascendentes, aut subtiles materiæ ad caput intellectus operatio-
nes perturbant,vnde vulnerati mentis compotes non sunt;inediæ pariter, quæ
[e] modum excidunt,præsertim in his,qui validè concoquunt,præter alia febrem
& alienationem producunt,quæ tamen,ait Paulus,phrenesis non est, sed deliriũ
ex consortio ortum:hac ratione diuinus Hippocrates [f] in victus regimine ali-
quid dabat ætati,consuetudini,& anni tempori; procatarticæ verò siue externæ
sunt res pungentes,aut cõprimentes meningas,aut cerebrum,quibus remotis sta-
tim & effectus remouetur:porrò,si causa abdita fuerit & corpus plenũ,victus at-
tenuetur,aer alteretur,somnus recõcilietur,vena cephalica brachii,aut frõtis, aut
nasi extremitate secetur,aut ab hæmorrhoidibus sanguis mittatur,hirudines post
aures applicentur,cucurbitularum vsus,frictiones,ligaturæ,balnea,& omne inge
nium,quod a capite reuellere possit,probatur:verũ,si nihil prohibet,medicamen
tũ leue,quod bilẽ euacuet,dare oportet:in initio caput oxyrhodino inũgatur, in
statu quæ discutiunt conueniunt, & si [g] ulterius tale accidens processerit, nihil
agendum est,sed naturæ totum opus committatur, siquidem qui tali desipientia,
aut delirio tenentur moriuntur.

[a] ¶Gal.3.de lo. aff.c.5.de loc. aff. cap.3. Rasis 9.ad Alm. c.3.
[b] Auic.1.3. tr. 3.ca.14.
[c] ¶Gal.3.de lo. affec.cap.5.3.de cau.sy mp.
[d] Gal.3.de not. loc.aff.c.5.
[e] ¶Gal.2. Aph. com. 22. Paul. li.3.ca.6.
[f] ¶2.reg. ac.36. & 1.Aph.17.
[g] ¶Hippllb. de arte. Gal. 2. aphorismorum. 29. 4. aphorismorum.72.Aui. 1.3.tr.c.1.

DE VOCE DEPERDITA.

PERCVSSO capite,aut fracta caluaria,sæpè occurrit ut uox intercipiatur,
& patientes muti fiant,nec vllum quidem verbum proferre possint, &
hoc potissimum indicium est quòd cerebrum malè affligatur, nam scri-
ptum est in Aphorismis [a] quibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit,ne
cesse

[a] ¶7.Apho.59. lib. de morbis. & li. 1 de Coac. prænot.

cesse est statim mutos fieri:iacent autem eodem modo,quo apoplectici, sensu, ac
motu destituti. cerebrum hoc modo interdum concuti contingit, propter aliquẽ
casum totius corporis uiolentum, ex locis altioribus factum. tales enim casus in
spinæ vertebris concussionem facere soliti sunt,quando ipsarum harmoniæ com-
motæ fuerint,spinalis verò medulla,quæ in eorum cauitate continetur,laboraue
rit,ipsa vero ualdè concussa periculum adduxerit, ne aliquis neruus eorum, qui
in ipsa nascuntur,abrumpatur,quod non minus in ipso fit cerebro, idque magis
quanto plus vacui loca habent,quæ ipsum circunstant: quiescit enim patiens ob
id quia contrahitur vis animalis in se ipsam in talibus dispositionibus, a motu ue-
hementi molestata,undè mutum atque immobile totum iacet,quod ita afficitur
animal,quare dicebat Auicenna [a] & ille cui aduenit offensio,aut casus,aut aliud,
& abscinditur sermo eius, & inclinatur caput eius, & arescit anhelitus, & sudat
frons ipsius moritur statim: quandoque [b] etiam percussio,aut casus leuis est, &
curatur,& quandoque peruenit ad hoc vt cerebrum permutetur, & pereat; nam
continui solutio quandoque accidit in velaminibus cerebri, quandoque in eius
substantia,& quandoque in eius uenis,& scinduntur,& in his omnibus affectibus
prædicta accidentia apparere solent: dictum [c] etiam est,& ille, qui cadit in ca-
put,multoties non loquitur,& cum remanet usque ad tertium, & non minuitur,
neque additur,tunc laudatur in tertio,& expectetur usque ad septimum, & non
moueatur ante illud cum aliquo, scilicet medicamento euacuante interius sum-
pto,aut manuum operationibus præterquam in amplis & manifestis fracturis,iam
quieto symptomate,ne à pugna,natura distrahatur,cuius officium est internas læ
siones corrigere. Nos uerò sæpe uidimus hoc apparente symptomate,eoque in ea
dem latitudine permanente, si tertia præterierit, patientes sanitati restitutos;
quod ab Hippocrate [d] sub his verbis probatum est, quibus cerebrum sphacela-
tum id est corruptum est,in tribus diebus pereunt,si uero hos euaserint sani fiunt.
potest siquidem cerebrum concussum aliquo modo ad sphacelum ire,non tamen
sphacelari,cum sphacelus sit uniuscuiusque partis substantiæ corruptio: ob sui er-
go nobilitatem cerebrum hanc dispositionem pati nequit,nec contingit hũc, qui
sic ægrotat,persanari;verùm si ante triduum mors non sequitur, sed ad quartam
patiens deuenerit ob uirium ualetudinem quæ morbum superare solet,ipsum de-
clinare sperandum est. Nos uero hoc in loco per sphacelum inflammationem in
terpretati sumus,quæ in gangrænam terminari potest: solent nempe in his signa
phrenesis primo apparere,postquam uero inflammatio exorta fuerit, gangræna
gignitur. nam dictum est [e] nisi præcesserit maxima inflammatio non fit gangræ-
na: porro omnes medici [f] excepto Serapione [g] cerebrum sphacelari confi-
tentur,cui Auicenna mirifice aduersatur. sed ad uocem amissam redeuntes,dica-
mus cum Hippocrate [h] cum cerebrum nimium calefactum est corrumpitur, & si
de repentè obmutuerint qui sic afficiuntur,in tribus diebus pereũt. verum si dor
miũt,& ex naribus sanguis fluit, aut multũ vrinę emittunt,ac septem dies trãsgre
diuntur,plerique autem non transgrediuntur,euadere possunt; isti hoc tempore
sola ptisana nutriantur,vitentur rumores, lumina, & quęcunque somnum prohi-
bere solent: si verò hoc symptoma absumi nequit,ea ad vnguem obseruare opor
tet,quę ad cerebri inflammationes valere explicauimus, vtplurimum ab externa
causa oritur,potissimum ab aliquo esse cerebrum lędente, quod dum contrahi-
tur,neruos recurrentes,qui a sexto pari originem ducunt, & linguę motum prę-
stare solent,secum adducit,& retrahit,vnde vulnerati muti fiunt; quod [i] proba
tur dum conuulsionis initium apparet,cui interdum loquendi impotentia prece-
dit:cumque igitur causa dignoscitur,auferatur,si abscondita fuerit,sanguis mitta
tur a vena,cucurbitulę apponantur,hęmorrhoides prouocentur,extrema laqueẽ
tur,leuiter fricentur,imponantur enemata cum Hiera & diafinicone, &, si expe-
dit,corpus àliquo pharmaco euacuare, pilulę cochię principatum tenent, caput
totum

[a] ¶Gal.7. Aph. com.51. 14. meth.c.3.de tumo. præter nat. cap. 7.& 8.
[b] Hal.11.meth. cap.18. 4. de lo. aff.ca.1.5.de lo. affe. cap.3.2.de symp. cau. ca.7. Aet li. 6.ca.25. Paul.li.3.c.6.7. & 8. Oribas.lib. curat c. 9. 10.& 11.Alex.tr. li.1. cap.13. Rasis.li. diuis.c.6. Auic. 2.1. doct. 1.c.5. & 1.3. tr. 3.c.1. 4.& 5.
[c] ¶1.Breuiarii. cap.20.
[d] ¶Lib. de Coac.præno. lib.2. de morbis & 7. Aph.51.
[e] ¶Libro. 2. de morbis.
[f] ¶Hipp.6. & 7. Epidem.

totum roſaceo tepido humectetur,cui parum aceti addere licèt.cumque verbum aliquod proferre inceperit,roſaceum & camomellinum ſummè conueniunt:ſi verò nulla continui ſolutio apparuerit, tale cataplaſma toti capiti adhibeatur,Recip. furfurum tritici vnc. iiij. farinę fabarum, ſeminum lini. an. vnc. ij. roſarum camamillę, betonicę,meliloti,ſtœcados an. m. j. abſynthii, anethi, coriandrorum an.drag.ij. quę in puluerem contundi poſſunt contundantur. inde omnia in uino nigro bulliant ad mellis cõſiſtentiã,& adde olei roſati, rob.an. q.s.pro emplaſtro;&,ſi diu perſeuerauerit hoc accidens, prædicto emplaſtro addatur calamentum,origanum,aſſarum,pulegium, oleum maſticinum, & lixiuium clarum,ſi quidem credendum eſt magnam pituitæ copiam in capite contineri.

DE CONVVLSIONE.

SI vulnerato capite,conuulſio apparuerit,mortem prædicit. nam dictum eſt ab Hippocrate [a] conuulſio ex vulnere letalis eſt;cum enim [b] lacertorum capita,aut nerui,aut tendones vi quadam,ac inuoluntariè verſus eorum originem contrahuntur,motus aliqui contractiui aliquarum partiũ ſequũtur,qui græcè ſpaſmi,& latinè conuulſiones dicuntur.hi [c] nec naturales, nec ſecundum hominis arbitrium fiunt.Huius [d] ſymptomatis cauſę duę ſunt,aut nimia humorum copia,qua neruoſę partes repleri ſolent, qui dum per eas cerebro cõmunicantur,volens id ab ea ſe exonerare, contrahitur, ad quem motum omnes partes,quę illi annexę ſunt,aut ab eo originem ducunt,contrahuntur,& fiunt conuulſę.& hic affectus ille eſt,qui fracta caluaria,& vulneratis neruis,occurrere ſolet, cui ſemper aliqua prȩcedit inflammatio affectę partis. aut in eo abundat copia humoris corrupti,aut veneno prȩditi. exiccantur interdum ex nimia humori penuria neruoſę partes,prȩſertim naturalium,ac nutrientium,& fiunt conuulſę,& hę c ſecunda conuulſio nis ſpecies non ſubito,ſed temporis interuallo,creatur; at quia alibi in tertio libro de hac re ad plenum tractaturi ſumus, nihil amplius hic dicere decreuimus, ſed ſat erit ſcire quod meninx ſi puncta fuerit,aut inflammatione affecta, aut cerebrum compreſſum, aut a materia diuerſa corrupta alteratum,in eo primogenio,aut lege conſortii fiunt contractiones conuulſę ſedis oppoſitę partium capitis vulneratarum,ſi vulnus latus occupauerit;ſi verò in media regione conſtiterit,ambę partes conuelluntur,vt Antonomo occurrit, quod [e] aliis corporis partibus non aduenit,quę conuelli nequeunt,niſi prȩceſſerit inflammatio manifeſta.primò enim conuelluntur partes, quę inflammatione vexantur. inde noxa cerebro communicatur,poſtmodum totum corpus conuulſum redditur,& ſic neruorum diſtenſiones fiunt.cùm ipſi muſculi primò,ac prȩcipue, deinde partes,ad quas perueniunt,ad ſuum principium contrahuntur. Huic ſymptomati prȩcedit ſȩpe dorſi dolor,poſtea nuchę,vltimò capitis,& fiunt partes fere immobiles,ac tenſę, & magna cum difficultate mouentur, vulnus ſiccum redditur, & qui ſic affecti ſunt clamant,& liberè uerba proferre non poſſunt. ultimò contrahitur ſeptum, & ſuffocantur; prȩcedit interdum acutus oculorum dolor, aut fluxus diarrhęus,aut fœcum inuoluntarius fluxus, aut lotii reddendi difficultas, & cùm hęc accidentia apparent moriuntur. Cùmque aliqua materialis conuulſio apparuerit,teſte Hippocrate, [f] opportunis euacuationibus curari ſolet, potiſſimum ſi cauſa interna fuerit; ſi autem manifeſta, ea quippe ſublata abſumitur: igitur ſi patiens plethora, aut cacochymia laborauerit, euacuetur aut ſanguinis miſſione a capitali uena affectę ſedis,ſi habitudo,ętas,uirtus,& anni tempus id admiſerit, & diſtenſio ab inflammatione prouenerit, aliter corpus acribus clyſteribus, aut medicamento bilem ducente moueatur: ſi uerò pituitę copia, aut craſſi humoris abundauerit,Agaricus,Hierapicra,& pilulę cochię probantur:ſin autem clyſteria, caputpurgia, ſiue apophlegmatiſmata conueniunt: ſpina vbique, ac

ſȩpe,

a ¶Lib. de Coac.prænot. & 5. Apho.2.
b ¶Lib. de ſpaſmo.ca. ult.5.de cau.ſymp. ca.2. & 6.Aph.cõ.39.
c ¶Gal.3 de loaffe. cap.6. & 5. Aph.com.5.
d Hipp.6.Aph. 39.Gal.2. Aph. com.26.
e Gal.5. Apho. com.2.
f Libro.de nat. humana. lib. de flatibus. & 2.Aphor.22.

ſæpe,ſubaſcelia,inguina,collum, ac vniuerſæ partes conuulſæ calente oleo communi,aut liliorum,aut camomillæ,addita gallinæ pinguedine inungantur:interdum totam ſpinam,iuncturasque omnes,magna vtilitate illinire tali liniménto cõſueuimus,Recip.olei violarum amygdalarum dulcium an.vnc.iij.pinguedinis gallinæ,medullæ crurium vituli an.vnc.j. s. omnia ſimul bulliant in decocto maluarum,radicum altheæ, & ſeminum lini donec decoctum abſumatur. colentur, & fiat linimentum.

De paralyſi in parte affecta, & conuulſione in oppoſita opiniones diuerſæ.

QVIA hactenus ad plenum rationes & cauſas, cur conuulſio in oppoſitis partibus ſedis læſæ,capitis intime vulnerati, & paralyſis in propriis oriatur,intelligere non potuimus.ideo pro hac indaganda veritate,hęc pauca in medium adducere decreuimus,ſemper meliori iudicio,ac veritati ceſſuri:verum & ſi nullibi [a] de paralyſi,verbum vllum proferat Hippocrates, Princeps tamen Auicenna [b] hæc duo ſymptomata, læſa caluaria, euenire commemorauit. Inquit Hippocrates conuulſio pleroſque corripit in altera corporis parte, ſiquidem ſi in ſiniſtra capitis parte,vulnus quis habeat, in dextera conuulſio oritur, ſi verò dextera ſauciata eſt,ſiniſtram conuulſio corripit, ac pluries hoc euenisſe fatetur,experimentoque ac exemplo demonſtrat, [c] præſertim in caſu illius famulæ in Omilo duodecim annos natæ,quæ ex capitis vulnere in media æſtate, decima quarta die mortua eſt,cõuulſio verò manum ſiniſtram inuadebat. nam in dextera magis vulnus habebat: Attamen huius effectus oppoſitum,aliqui falſo credunt,aſſerentes magis rationabile fore,conuulſionem partem ſiue latus affectum occupare,quam in altera & ſana oriri,ea quippe ratione, quia conuulſio motus eſt non naturalis,ſed coactus lacertorum primo deinde cerebri,vt nocentes cauſas,eorum violenta cõtractione,expellere poſsint,ergo magis credibile eſt quod in affecta parte,quam in ſana, contrahatur, huiuſcemodi ratio, motu epileptico corroboratur,ſiquidem in tali affectu cerebrum contrahitur, & ea omnia mẽbra quæ illi annexa ſunt,ſecum adducit, ſic enim epilepſia, & vniuerſalis conuulſio, producitur:Alij dicunt ſi natura ſupremum ventrem panniculo illo,a græcis diaphratondes,& a latinis mediaſtinum,vocitato,ſeparauit, nẽpe vt affecta vna parte,reliqua incolumis conſeruetur,magis conuenit vt cerebrum potius in læſa parte,quam in ea quæ non affligitur contrahatur, ergo conuulſio in parte vulnerata potius oriri deberet,quàm in valida & ſana: Horum opinionibus ſic reſpondendum eſſe arbitramur,corpora [d] noſtra quia continuo reſoluuntur, continua etiã egent reſtauratione,& alimento,ob id natura ſagax,nutrimentũ in quali & quanto proportionatum,æqualiter omnibus partibus impartire tenetur,quæ quod ſibi proprium ac peculiare eſt,trahunt,retinent,& pro nutritione præparant,portio verò alimenti quæ caput pro eius nutritione petit, dum nec vt decet permutatur,nec aſſimilatur partibus nutriendis,quę ex vulnere & aliis cauſis imbecilles iam factæ ſunt,& in ſimilibus potentiis deficere videntur, ſub quadam cruditatis natura,in cerebri ſubſtantia, ſed potius in neruorum initiis, reſident.quæ cum tã magna ſit,& multæ molis, magna etiam eget alimenti copia.hæc enim cũ in vulnerata ſede reperitur,partim cum magna ſpirituum copia per vulnus,ſub qualitate & ſubſtantia ſanioſa,& partim naturæ ac topicorum actione,inſenſibiliter abſumitur.ſiquidem in affecto loco materiæ quantitas retineri non poteſt, ſicuti in oppoſita & ſana parte,in qua dum à cauſa ſimili diuerſa,ac in maiori copia quam deceat,non aliena ab aliquo ſpiritu venenoſo,cerebrum ac neruorum origo, opprimuntur,quærentes ſimilem cauſam aliunde expellere & ab illa ſe tueri, corri-

guntur,

a ¶Lib. de cal. curat.lib.de Coac. prænot.li.3. de fract.43. li.5. & 7.Epide.
b ¶1.3. cap.14.
c ¶Libro. 5. de mor.popu.
d ¶Gal. li.3. de diſſol.continua.

guntur,& contrahuntur,ac inde membra quæ ab eis originem ducunt, secum tra hunt,vnde conuulsio illius lateris,quæ potius more Hippocratis cum palpitando aut concutiendo appareat,motus conuulsiuus dici posset.oritur etenim [a] omnis expulsio quæ a primariis membris perficitur, corrugatione & contractione fieri solet,quapropter si faciem aut eius partem nempe frontis cutem,mandibulã, aut linguæ radicem conuulsam videmus,quia partes hæ omnes,a musculis a cerebro & neruis à tertia coniugatione ortis,uires suscipientibus,moueri nouimus, cerebrum ipsis sic laborantibus affectum esse necessario credimus. huic responsioni fauet,notabilis illa cerebri separatio,ob id quia pars non affecta, a similibus causis molestata,ob prædictæ facultatis deperditæ impotẽtiam,eas absumere nullo modo potens,violentia quadam ac impetuose mouetur & cõtrahitur,& sic spasmus in ea parte producitur.ea vero quæ sauciata est,quia imbecilla,contrahi nequit, sed repleta ea humiditate,mollis fit, & paralysi afficitur. ob id dicebat Auicenna [b] in vulneribus capitis peruenientibus ad panniculum cerebri, accidit laxitas in latere vulneris, & spasmus in oppositio eius. & de paralysi rationem reddens, ait [c] non elongatur quin ea potentia quæ nostrum regit corpus,seruet naturã vnius duorum laterum capitis incolumem. purgando & expellendo materiam ad latus quod est debilius,& quod est magis susceptibile materiei primum, & cui accidit percussio,& ictus,& ad quod expellitur superfluitas lateris cerebri, quod ipsum sequitur,& non est mirandum si ægritudo sit propria vni lateri absque alio. Natura enim præcepto sui creatoris iam discernit quod est subtilius hoc potest ergo & brachium & crus,lateris affecti primo paralysi affligi.demum contraria pars & sana,conuulsione detineri.Porrò occurrit interdum percusso capite, quod a cerebri potentia materiæ diuersæ nocentes,alibi propellantur,potissimum ad aliquã sedem imbecilliorem,quæ sui natura. superflua facilius recipere solet hæ si ad oculos deuenerint,eos strabos efficient,si ad os, cynicum spasmum procreabunt,si ad spinæ vertebras,paralysim,si ad cerebri neruos,conuulsionem,quæ diuersimode latus alterutrum molestare potest, semper iam orta inflammatione.at si epilepsia apparet,totum corpus cõuulsione molestatur,si apoplexia, aut moritur æger si fortis fuerit,aut vnum corporis latus mollificatione tentabitur:Hæc omnia euenire solent,cerebro ac eius partes primario affectu laborantes. Ad [d] caput pariter,aut sectum aut contusum,veluti ad sedem male affectam, ac dolore molestatam,uariæ defluunt superfluitates,& crassæ,& tenues.tenues cerebri substantiam mollem facillime ingrediuntur,quæ dum contrahitur,& si fibrosa minime sit,sed ratione annexorũ, in causa est, vt pars sana distendatur, vulnerata verò ac debilis,crassas retinet,quæ vias nutrimenti,ac spirituum, sensum & motum illis partibus deferentium, obstruẽs,mollificationem partis læsæ, ac neruorum quibus mouendi facultas donata est,gignunt.equidem sic cerebri potẽtia,aut alteratur, aut corrumpitur,nec non neruorum habitudo, & operationes eorum naturales pereunt,vnde prædicta oriuntur symptomata:si uerò in his humiditatibus, insignis aliqua putredo aderit,a qua vapores mali putridi aut venenosi resultent, & exitum non habeant,ac neruorum principia petant,illius partis nempe sanẽ inordinatam concussionem,seu motum quendam conuulsiuum producunt: Nonnulli autem qui anatome calent,dum rationem huius quæstionis assignare conantur, dicunt neruos motiuos a nucha & spina natos, uni lateri sensum & motum deferentes,a contraria parte originem ducere,hac ratione,capite vulnerato, conuulsio in parte opposita uulneri,oriri contingit: Alii dicunt motum conuulsionis similem esse motui expulsiuo uentriculi,dum quod nocuum est eiicere conatur, si quidem in tali motu,in oppositum contrahitur,nempe si per uomitum, in portonario,si per meatum ordinariũ,in pyloro siue æsophago. Sic in conuulsis semper contractio oppositum situm occupare solet,nec propter hoc obstat diuisio illa facta a natura in cerebro,quod interdũ per se conuellitur,interdũ cõsortii lege, &

tunc

[a] ¶Gal.3. de loc. aff. cap. 5. Auic. 1.3.tr.5.c.8.

[b] ¶1.3.tra.c.14

[c] 2.3.cap.2.

[d] Gal.2. Apho. com.26.5.Aph. com.2.

tunc Hippocratis more,motus fit cõuulsiuus.& pp hoc,in caluarię pcusionibus, interdũ sola cõuulsio,sæpe sola paralysis,multoties ambo hæc accidẽtia, & nõnũ quàm ullũ uideri solet, quod ex corporum diuersitate & plenitudine contingit: porro multi qui chirurgicam artem diu coluerunt, conuulsionem affectam partẽ occupasse,& paralysim oppositam inuasisse cognouerunt. Nec Hippocrates hoc symptoma sic de necessitate euenire pollicetur,sed ait [a] plerosq; conuulsio corripit in altera corporis parte.& frequenter.dum musculi masticatorij in temporibus siti,uulnerati fuerint,hic enim locus ferro attingi non debet, si incisus fuerit, neruorum distensio oppositam sedem molestare solita est: & siquis rationem ex Hippocrate [b] assignare uellet posset dicere,aliqui in homine reperiũtur musculi qui germani & fraterni nuncupantur.ob id quia inter se consortium & cognationem retinent,ad eundem nempe & idem opus destinati,latentem quandam copulationem inter se seruantes,dignoscuntur ubi situati sunt, dum affecta una parte, altera pariter manifeste læditur,quẽadmodum in utroque temporũ situ,dum capitis vulnera tractamus euenire percipimus,musculi enim ipsi tẽporales,maxillares,& masticatorij dicti,ad dextrã & sinistrã situati,ad inferioris maxillæ eleuationem facere uidentur,at cum illi præciduntur qui maxillam ab una parte cõnectebant amplius prohibere non possunt, quominus musculi alterius partis ad suum initium contrahantur,quod [c] propriũ est ac innatum omnium musculorum, qui suo funguntur munere,dum ad hominis libitum,versus eorum initium contrahũtur,quod cum inuitis nobis occurrit,ob alicuius inflammationis magnitudinem, aut malam qualitatem,musculi ipsi & nerui distenduntur,& conuulsi fiunt. sic eñ musculi qui a maxilla læsa tenuebantur,& musculis alterius partis alligabantur,& germani erant, non æque possunt contrarię partis musculos continere ne conuellantur.merito igitur irritati contrahuntur, & breuiores fiunt. nam ualidi sunt & robusti,secus vero de oppositis & vulneratis est,qui agendi potestate priuantur. si uero [d] vtranque simul partem lædi contingit,non nerui proprius,sed in cerebro loci cuiuspiam a quo nerui procedunt,primus affectus est, quod si unus duntaxatvel musculus vel neruus quoquomodo,siue primaria affectione,siue per cõsensum fuerit affectus,pars ipsa in aduersum trahitur musculum, nam resoluto musculo qui dextram maxillæ partem mouebat,ipsa ad sinistram deflectitur, at si is qui sinistram mouet resoluitur,ipsa trahitur ad dextram, & in aduersam partem deflecti contingit, quippe in similibus motibus conuulsiuis, musculi qui integri sunt,breues fiunt,trahentes ad se partes quæ illis annectuntur: trahũtur [e] etiam interdum musculi in se ipsos,non enim a se ipsis,sed quiescentes atque ocioſi, ab iis qui in contraria parte siti sunt,& fiunt tensi,sic enim musculis ac neruis euenire,affirmant Hippocrates, [f] & Paulus, [g] potissimum dum vna aliqua capitis pars læsa fuerit,nam sæpe altera & oppositа.motu aliquo conuulsiuo afficitur, & mortem vt plurimum adducit,quod secus in aliis corporis partibus euenire contingit. nam semper affecta sedes, primo inflammatur, postea conuulsione detinetur.

[a] ¶Lib.de Cal. cura.

[b] ¶Libr.2.& 3. de art.

[c] ¶Hipp. lib. 1. de fract.Gal.lib. de motu mus.& com. 1. & 3. de arti.

[d] ¶Galen. 4. de not.loc. aff.c.4.

[e] Gal.cõ. 3. de fract.

[f] ¶Lib. 3. de articulis.

[g] ¶1.3. cap.18.

DE PARALYSI.

A Causis internis,& externis læso craneo,aut post eius salutẽ,in aliqua corporis parte,præsertim in ea,quæ vna cum vulnere cõsortium tenet,mollificatio,quam græci paralysim vocant,oriri solet,& est magna neruorũ resolutio,quæ partem quampiam,non autem corpus totum infestat,& differt [a] in hoc ab apoplexia,nam in apoplexia ex nocumento iam in neruorũ principio contracto,omnes corporis partes,& motum,& sensum amittũt diaphragmate excepto in paralysi alterum corporis latus,aut dextrum, aut sinistrum motum tantum modo deperdit, & vniuersalis paralysis vocitatur: cum verò hic affectus vnam tantum particulam læserit,nempe manum,pedem,aut linguam particularis paralysis

[a] ¶Cel. lib.3.c. 27.Gal.3.de loc. aff.ca. 10. Paul. libro. 3. cap.18. Auic.2.3. tra.5. cap.12.

lysis nuncupatur: paralysis [a] ergo ea est cum motus tantum alicuius partis deperditur: ab intranea [b] etiam causa paralysis gignitur, dum materiæ multę, crassæ, & viscidæ neruorum corpora replent, & animalem facultatem, quæ à cerebro oritur, ad resolutas sedes transire prohibent, quod sic aduenit in meningarũ compressione: quare [c] in percussis, aut fracta caluaria, dum ea meninx opprimitur, etiam primis diebus hoc symptoma apparere solet, ob id dicebat Auicenna, [d] Et quandoque fit ex compressione vehementi paralysis, sicut accidit a percussione, aut casu; interdum ex inflammatione, quæ neruorum principio, aut ramis, occurrit. quod sæpissimè videre soliti sumus, dum caluariæ fracturas curamus. Paralysis a procatarctica simili causa orta sanari potest, ea siquidem ablata, sed ab interna, & materiali aut nunquàm, aut serò, & magna cum difficultate in his, qui senio confecti sunt, pauco præditi calore, qui omnium opifex est: nihilominus dicebat Rasis [e] si paralysis ex percussione, aut casu euenerit subitò, taliter permanebit quòd nunquam sanabitur; quòd si non repentè sed paulatim & molliter inuaserit, sanitati restituetur: quod Romæ Galeno [f] euenit, dum Pausaniam sophistam syriacum curaret. qui, cùm è curriculo ceciderit, vniusque manus duorum digitorum amiserit sensum & motum, sanatus est: & ea paralysis non sanatur, ait Paulus; [g] quæ a nerui diuisione orta est. Cum igitur ex compressione, aut punctura meningarum, aliqua gignitur mollificatio, tolli potest, subleuato, aut detracto osse, quæ autem ab inflammatione, & humorum copia initium ducit, opportuna euacuatione, & omni diuersionum genere regatur. quæ autem contracta cicatrice, residunt, opportunis indicationibus, quæ ex humorum multitudine, conuenienti euacuatione: si omnia membra resoluta sunt, ait Celsus, [h] sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. aliud curationis genus vix vnquam sanitatem restituit, sæpe mortem tantum differt, vitam interim infestat: post sanguinis missionem si nõ redit & motus & mens, nihil spei supereſt, sed particularis mollificatio, cum acutus morbus non sit, interdum curam admittit. mittatur igitur sanguis in hac passione, si expedit, & si pituitæ copia abundauerit, eam commodè euacuant pilulæ cochiæ, fœtidæ arabicè, & assaieret, cum agarico: verùm, si hic euacuandi modus non expedit, clysteres summè probantur, quæ sic parantur. Recip. maluæ, altheę, mercurialis, saluiæ, betonicę, iuę, stœchadis an m.s. bulliant in communi aqua, donec tertia pars consumpta fuerit, Recip. prędicti decocti vnc. x. electuarii de bene dictis vnc. 5. indi drag. iij. mellis crudi, olei rutacei, laurini an. vnc. j. salis drag. ij. ouorum vitellos nu. ij. misce, & fiat clyster, cuius vsus alternis diebus, & summo mane laudatur. occipitium, vertebra, ac adenosę partes oleo liliorum, irino, de spica, & simili calido foueantur; aut Recip. olea prædicta, & adde masticinum, camomellinum, ex lumbricibus an. vnc. j. euphorbii, castorei, an. drag. j. misce, & aliquantisper bulliant, & vtere. probantur fomenta ex decocto saluiæ, sansuci, camomillę, hypericonis, stœcados, iuę, & betonicæ, in vino albo potenti, quo expleto inunctio fiat ex prędictis oleis, aut fortioribus quale est costinum, vulpinum, laurinum, de euphorbio, de lateribus, quod oleum philosophorum appellant, aut cum unguento martiaton, aragon, agrippę, & simili. adhuc mirabile illud medicamentum est, quod Mesue annotauit capite de pasionibus cordis, & nos, ubi de cura vulnerum neruorum, in fine illud descripsimus. laudantur apophlegmatismata, & caput purgia, post uniuersales euacuationes; pariter & antidotum theriaca antiqua, aut Mithidatum, aut aurea Alexandrina, aut diamusćus, aut rosata nouella, aut conserua illa de acoribus. Hæc de inueterata paralysi dicta sint. fracta tamen caluaria, si unà cum malis indicijs fuerit, nempè rigoribus, febre, uomitu & similibus, internam inflãmationem confirmatam indicat, & mortem. Paralyticorum uictus ratio sicca sit, potus aqua mellis & saluiæ; ut autem [i] causa concoquatur, ualet Syrupus de betonica, de stœchade, & rhodomel; si verò diu perdurauerit hoc Symptoma, ea probantur medicamenta, quæ

a Gal. 1. de cau. sympt. cap. 4. 4. eiusdem cap. 2. & 3. de loc. aff. cap. 10.
b ¶Gal. libr. de atra bile. cap. .
c Gal. 4. de cau. sympt.
d 2. 3. Doctr 2. cap. 2. de par.
e ¶9. ad Alm. cap. 7.
f ¶3. de loc. aff. cap. 10.
g ¶Lib. 3. c. 18.
h ¶Lib. 3. c. 29.
i ¶Gal. 1. Aph. com. 24. 5 Aph. com. 16. Auic. 4. 1. cap. 3.

ta, quæ acopa à medicis uocantur. Interdum motus, interdum sensus in paralysi deperditur, quod aut ratione sedis affectæ, aut magnitudine inflamationis, aut natura obstructionis aduenire solet.

DE APOPLEXIA.

MVLTOTIES ex casu, aut percussione uirtus motiua, & sensitiua omnium corporis partium deperditur, diaphragmate excepto; Symptoma à medicis [a] aut apoplexia, aut morbus attonitus uocitatũ; porrò quandò cõmune principium neruorum affectum est, atque omnes corporis particulæ motũ simul & sensum amiserint, apoplecticus morbus appellatur; accidit principalibus animi functionibus oblæsis. si autem in altera corporis parte obstructio oborta fuerit, Hemiplexia, siuè paralysis nominatur; si unam quandam particulam occupauerit, illius particulæ affectio dicetur, ex nocumento in principali animæ contracto, præsertim in uentriculis cerebri, ubi animæ functiones celebrãtur, aut à compressione, aut punctura, aut uehementi inflãmatione, unde [b] qui ita sunt affecti neque sensu, neque motionis munere funguntur. spirandi tamen facultas haudquaquàm læditur; & hic affectus interdum caros, siuè sopor uocatur: si uerò adeò uehementer spirationem opprimat, ut quis uel magno conatu uix spirare possit, eorum exemplo, qui per grauem somnum stertere solent, apoplexia nominatur; quæ, [c] si fortis fuerit, curationem non admittit; debilis verò non facilem. & ea fortis est, [d] quæ inspirationem prohibet, & cordis temperamentum corrumpit. Cum igitur fracta caluaria ociosum hoc symptoma apparuerit, & causa in propatulo fuerit, tollatur. nam dictum est à Principe, [e] Compressio aut punctura, quæ ab osse in meningis fit, inflammationes, conuulsiones, & apoplexias inducit. extracto postmodum osse, illicò redit sensus & motus; nec ut id natura faciat, expectare oportet, sed medici diligẽtia, & optima chirurgia: si aũthumore pituitoso ac uiscido uẽtriculis cerebri oppletis, id euenerit administratio & subitò, & nihil obstet, à cephalica uena sanguis mittatur. postea, si decet, ab hæmorrhoidibus, uerũtamẽ si omnia mẽbra uehemẽter resoluta sunt, sanguinis detractio uel occidit uel liberat. quare si alia expedit euacuatio, quæ raro ob patientis impotentiam, & imbecillitatem admittitur, tunc clysteres probantur, quæ à capite crassos humores reuellant, ueluti Recip. fumariæ, epithimi, thymi, senæ, polipodij an. m. 1. pulpę coloquintidæ, corticum agarici, turbit an. drag. s. stœchadis, sampsuci, saluiæ, betonicæ, acori, glycirrizæ an. m. s. florum camamillæ m. ij. aquæ claræ lib. x. bulliant donec aquæ medietas consumpta fuerit, & facta forti expressione Recip. prædicti decocti unc. x. Hierę picræ unc. s. electuarij diasenæ drac. vj. Zucchari rubei, olei anethini, camomellini an. unc. s. salis gẽmæ, dr. 4. ouorum uitellos nu. ij. misce & fiat clystere. usus glandium comendatur. extremis etiam partibus ligature, & frictiones uehementes: sinapismus quoque siue emplastra rubificantia, quæ a recentioribus ueśicatoria uocãtur. & quia sæpe apoplexia in paralysin terminatur, aut debiliorem dispositionem, nec ex toto conualescunt qui sunt sic affecti, & si tale discrimen effugiunt, subinde in quandã diuturnam passionem incidunt, aut quorundam membrorum, aut totius corporis, potissimum in uerborum prolatione: pro curatione uero, ea seruanda sunt, quæ superius descripsimus.

a Hipp. 3. Aph. 16. Cel. lib. 3. ca. 27. Gal. 3. de loc. aff. c. 10. 2. Aph. com. 42. Aet. li. 6. cap. 17. Paul. li. 3. c. 18. Auic. 1. 3 tr. 5. cap. 24. & cap. de fract. cra.
b Gal. 4. de loc. aff. cap. 2.
c Hipp. 2. Aph. 42.
d ¶Gal. 3. de loc. aff. cap. 10. & 2. Apho. com. 42.
e ¶5. 4. c. de fract. cra.

DE EPILEPSIA.

RARÒ, sed interdum, percussa caluaria, ac cerebro patiente, quoddã symptoma apparere solet, quod medici græci epilesiam, & latini morbum comitialem, sacrum, herculeum, & caducum uocant: conuulsio quippe interpolata est, in qua sensus, & motus uitiatur, & eius causa leuis quædam uẽtricu

lorum cerebri obstructio est,sed non ex toto,quę hominem stare prohibet, sed re pentine cadit, & quia spiritus difficulter ab aspera arteria exsufflatur, spuma ab ore emanat,nec diu symptoma perdurare solet, & patientes ex se surgunt.Nos ve rò talem affectum semel tantum inter curandum uidimus.multoties uerò eum cõ uellantur,cinici fiant,spumam emittant,fœces,& lotium inuoluntariè expurgent: nihilominus ueri epileptici non sunt,sed motibus epilepticis molestantur. siquidem,dum quam plurimæ materiæ a uulnere perpetuò expurgãtur, epilepsia fieri nequit.Curatur hoc symptoma,si à manifesta prouenerit causa; ea remota, & si uentriculorum cerebri oppilatiua causa est, ex crassorum humorum copia, & diu permanserit, ijsdem indicationibus, quibus apoplexia & conuulsio sanatur.

tracta iam cicatrice inspeximus, ut Feltriæ cuidam puellæ euenit, quę post a uul

DE VVLNERIS SICCITATE.

VLNERVM siccitas post quartam, aut septimam diem & ultera permanens,idest in uulnere nulla concoctione apparente, sæuis accidentibus eam comitantibus, indicium mali præsagij est. nam dicebat Galenus, [a] multoties uulnerum siccitas,ob imbecillitatem illius potentiæ, quæ nostrum regit corpus,ac ipsum alit,prouenire solet.siquidem dictum est [b] suppuratione maximum est ulceris signum ad securitatem.nihil enim mali ulceri pus generãti aduenire potest.nam [c] ulcus,siue antea extitit,siue existat in morbo, considerandum est. si enim moriturus est æger,antè mortem aut liuidum, aut pallidum, aut siccum erit:Siccum sic redditur quoties facultas nutriens languida fuerit, color permutatur ex humorum ad ulcus ascendẽtium prauitate. quod affirmat Hippocrates dum ait, [d] in osse ægrotante caro liuida malum,quæ ossium malas indicat qualitates, extincto in ea carne,innato calore. dictum est ab Hippocrate [e] si in uulneribus prauis,& fortibus existentibus tumor non apparet, ingens malum;quippè suspicandum est,ne humores ad locum affectum defluentes,ad nobiliora retrocedant,& magis uerendum est si dolor adfuerit, & propter ipsum omnino aliquid influat:porrò uulnera laxa,id est optima sanie prædita,bona sunt,sicca uerò mala:nimis intumescere uulnus,ait Celsus, [f] periculosum,nihil intumescere periculosissimum; illud indicium est magnæ inflammationis, hoc emortui corporis. Detecto igitur uulnere color primo consideretur,quòd si liuidus, aut pallidus,aut niger,aut uarius apparuerit,scire licet malum uulnus esse.Vulnerum siccitatis causæ uariæ sunt, nempè meningarum, aut cerebri inflammatio, circa quam innatus concentratur calor,& vulnus ab eo destitutum siccum redditur,febris ardens,assidua,& naturalem & aduẽtitiam humiditatem exiccare solet.idem facit erysipelas,quòd uulneratas partes obsidet:medicamen ualidum in siccitate, aer ambiens ualdè siccus,nutrimenti penuria,& fames longa, potissimùm in his, qui eam tolerare nequeunt,uulnus siccum faciunt. Si ergò fracta caluaria aliquibus transactis diebus,uulnus exiccatur,& causa manifesta fuerit, absumatur; si uerò nõ,indicatione à siccitate sumpta,humectatio cura erit, nempe à propinquioribus locis ad vulnus conueniens nutrimentum attrahendo,quod membri discrasiam alterare possit. quare olei rosati continua infusio probatur, aut uitellus oui cum rosaceo,aut terebinthina cum oui uitello, & modico olei rosati. caput etiã totum foueatur decocto maluarum,camomillæ,betonicæ,uiolarum,& fœnugræci,nec his operationibus obstat febris, aut inflammatio aliqua exterior. quæcunque igitur ac qualiscunque causa fuerit,ad suum contrarium alteretur;si autem abscondita,vulneratus de necessitate moritur.

DE

a ¶1. prognost. cap.25.
b ¶Gal.5. Aph. com.22.
c ¶Hipp. li. de Coac. prænot. & 1. Præsag.25.
d ¶7. Aph.2.
e ¶2. de morb. popu. lib.de Vlceribus & 5. Aphor.66.
f ¶Libro 5. ubi de rat.uict. uulneratorum.

DE MEMBRANA DENIGRATA.

SI membrana subcingẽs denigratur,quemadmodum post empiricas operationes contingere solet,malum indicium est laceratur interdum, post modum putrescit, aut præcessa inflammatione corrumpitur; cui quàm plurima mala subsequuntur symptomata,& ob id timere ac de patientis salute nihil sperare,dignum est.atque magis,si nigredo ad externam usque oculi tunicam, absque procatarctica causa terminauerit.talis siquidem à dura meninga originẽ ducit:hoc symptoma innati caloris & membranæ maximam corruptionem, ac eius destructionem,aut quòd gangræna afficiatur,declarat.solet etiam à topicorum natura & operatione hoc euenire,& ea nigredo ab eius leuitate, & facili remotione dignoscitur, nullo associante symptomate.tollitur hic color sola syrupi, aut mellis rosati applicatione,& si tenuis fuerit,pro dimidio rasacem adhibeatur.at si ratione frigiditatis medicaminum,aut ambientis,hoc euenerit, quod ex temporis longitudine dignoscitur;nam transacta etiam quarta nigredo apparere solet.quod à sola contusione non occurit;tunc enim, quæ temperate calefaciunt adhibenda sunt.ueluti est sanguis columbinus,aut Turturis calidus addito rodo melle,aut oleum abietinũ cũ melle ipso rosaceo,aut oleũ terebinthinę stillaticiũ. ac uulnus replẽdũ est,puluere cephalico,& superaddito ẽplastro de betonica,aut de gũma elemi nardino soluto,caput fascijs opportunis auoluatur, & calidis foueatur:si aũt aut sanguis cõglobatus,aut materia aliqua uiscida id fecerit,oxymelite,rosaceo admixto,abstergatur:at si contusio,aut cõpressio nigredinẽ duxerit, eã absumit rhodomellis pars vna,granæ finissimæ, & aloes puluerizati pars media,misce:cũq; aut malus aer,aut praua chirurgi administratio,aut inflãmatio profundam nigredinẽ effecerit,nec rhodomellis,aut oxymellis auxilio tollitur, morbus extremus iudicatur,& extremis eget remedijs,& tunc Iside medicamento uti non ab re fuerit, quod detecta membrana ab antiquis usui seruabatur; nos verò in hac re non rarò Isin Terebinthina,aut oleo ex Terebinthina admixtum experti sumus,interdum & ægyptiacum addidimus, felici quippè successu, nempè Recip.olei abietini unc.j. rhodomellis unc.s. vnguenti ægyptiaci descriptione Auicennæ drag.ij.misce.tale enim paratur ex melle,Ziniar,alumine liquido,sine aceto soliti sumus etiam solo ægyptiaco nigredinem cum fœtore absumere; interdum etiam hydrargiro præparato, quod præcipitatum vocant, vti ausi fuimus. si autem hæc non prosunt, fugere licet, & ægrotum præsbiteris commendare.

DIGRESSIO.

POST caluariæ perforationem, membrana intacta, colorem, & motum naturalem seruare solet,postmodùm eo amisso, amplius non mouetur, nec ob id aliud symptoma innouatur;paucis posteà peractis diebus, superficies eius alba & tenuis admodum squammas facere incipit, & pellicula quædam prætenuis araneæ modo eleuatur,& inde noua caro oriri inchoat; res quippe admiratione digna.Siquidem pars substantiæ ipsius membranæ est, & membrana conuulnerata rarò sanatur;nec adhuc apud antiquos scriptores de hoc ullum verbum legere potuimus, nec aliam rationem huius effectus assignari posse opinamur,præter eam,qua & cranij ossa squammas,separant & emittunt, nempe aeris actionem,aut variorum localium applicationem,& alia, quæ ossium naturis aduersantur, aut quia contusione aliqua fuerint uexata, & pars superficialis moritur,& ab humido suo proprio & elementari derelicta,aut carne subnascente relaxatur,& à reliquo osse,quoq; alterationem non nouit, separatur, & in pi-

scium squammarum effigiẽ exit aliquantisper colore alterata. pariter cum id duræ matri cuenerit, chirurgum in hac curatione non exercitatum, timẽtem reddit, ne pellicula illa corrumpatur, aut mala temperie afficiatur: attamen ex se solum, superficies illa dimouetur, aut tantum rhodomellis auxilio. si non autem, Recip. Terebinthinæ claræ, uino albo lotæ unc. ij. rhodomellis, aquæ vitæ, farinæ hordei cribratæ an. unc. j. myrrhæ, aloes, granæ, sacchari fini an. drag. ij. misce, & utere, donec membrana pura mouetur, ac sui coloris apparuerit; inde ea adhibeantur, quæ seruata methodo, alijs capitis uulneribus opitulantur. Solet interdum in hac sequestratione fœtor quidam apparere, de quo dubitandum non est, nisi alterum aderit prauum symptoma; nam in exteriori superficie affectus tantum reperitur. ossa caluariæ præterea, postquam color vulneris ruffus aut subliuidus apparet, ni mirum calore eius innato, ex toto deficiente, corrumpi incipiunt: iure igitur, cum
a ¶7. Aphor. 2 caro liuida efficitur, ossa ægrotant teste Hippocrate [a] & nigra fiunt, inde cineri cea, & acri humore exasperantur: nigrescit autem quod album erat ob ingentem inflammationis calorem, ac deinde cùm iam purulentum est palet, vel album efficitur, huiusmodi enim est color saniei, tale quid lignis euenire videtur, cùm vrũtur, ab igne enim primò nigra fiunt, deinde in cinerem versa, albescunt. Hoc etiã in osse respondet, cùm alieno calore primò nigrescat, deinde subpalidum uel sub albidum fiat; huic denique symptomati sequuntur pustulæ quamplurimæ in lingua, & æger mente non constare videtur: pustulas similes, huius ætatis chirurgi raro viderunt, ut qui cubantis linguam non intueantur, præsertim cum deliret, & prope mortem sit constitutus; lingua sic afficitur consortil lege, quæ est inter cere-
b ¶Hipp. lib. 2. de tumor. pop. brum, & oris partes, sanies enim acuta [b] a cerebro, in quo eius maxima reperitur copia, a qua opprimitur, ad palatum & linguam defluit, ibique residens, cum
c ¶Lib. 8. c. 4. acris sit, pustulas excitat, uaris similes, quæ, vt ait Celsus [c] cum rumpantur intus quasi caro exulcerata conspicitur. Hæc igitur mala, si craneo fracto superueniunt, ad vltimum ventum esse testantur.

DE CARNE AVCTA.

a Hipp. libr. de Vlceribus Cel. lib. 5. ca. 26. Gal. 3. meth. ca. 4. & 4. de com. med. ẽm gener. VLNERE carne repleto, illa interdum mollis & spongiosa, augeri ita solet, quòd de genere morbi in quantitate est, salubris tamen, qui tantum cicatricem gigni prohibet: prouenit multoties ex nimia nutrimenti copia, aut ex nimia topicorum humiditate, aut ex tarda medicatura, aut ex absterſione diminuta. Hęc adaucta caro, quam Hypersarcosin Græci vocant, interdum indicatione sumpta a natura sedis affectæ, & a temperatura totius, solo alumine rochę combusto, aut zuccharino absumitur; aliquando hermodactilorum, aut aristolochiæ, aut spõgiæ nouæ adustæ, aut cucurbitæ adustæ puluere, tollitur ualidiora uerò medicamenta sunt calcitis, & Misi, aut æri squamma præparata: metallica etiam quamplurima lota, adusta, & præparata, unguenta etiam multa, si res postulat ahhiberi possent, cauendo ne aliqua sequantur incommoda, ob id non semper probantur, nisi in durioribus & defaticatis corporibus ut Isis, cera seos, cauterij, ægyptiacum, & similia. uictus tenuis etiam in hoc conferre uidetur: ob id alimenta subtrahenda sunt, ac aliunde frictionibus reuellenda.

Solet interdum caro super internam membranam adeo augeri, quòd omnium humiditatum sub cranco existentium, liber exitus prohibetur, nec ibi commodè medicamenta adhibentur; quare Medici interest, in hac re diligentiam adhibere,
a ¶Gal. 5. meth. cap. 1. & 5. Katageni. & [a] ea medicamenta tunc probantur, quæ absque ulla mordicatione probe siccant, & in hac [b] operatione sicuti in carnis productione naturæ opus expectare non licet; siquidem aduersæ admodum actiones sunt; auxilia uerò quæ huic operi adaptantur, a filamentis lineis, albis & siccis, aut ab hermodactilis puluerizatis,

aut

aut coralijs albis & rubeis, aut raued seni puluerizato, aut alumine adusto peruntur. Infestantur adhuc capitis vulnera uarijs alijs symptomatibus, dũ in eo inflammatio aliqua oritur, aut iam orta est, nempè oculorum dolore, oris distorsione, syncopa, stupore, diarrhæa, uigiliarum instantia, ossium nigredine & similibus, quæ optimo uictus regimine, opportunis euacuationibus, & naturę auxilio dimoueri solent: scire etiam licet, quòd hi qui morbo gallico affecti sunt, non nisi magno labore à vulneribus capitis liberantur, quod longo experimento à nobis obseruatũ est; nec interdùm, nisi auxilio Guaiaci, aut Zarzæ parillæ sanitati restituũtur. Hæc ad omnipotentis Dei laudem, ac hominum utilitatem in materia de caluariæ curatione dicta sufficiant.

DE VSITATIS MEDICINIS INFRA-cta caluaria curatione. Cap. XVI.

IN hoc capite, perindè ac si huius libri antidotarium esset, seruando plurima medicamenta Chirurgo opportuna, ac perpetuò usui seruanda describere intendimus, ut indicationes omnes à morbi essentia selectas tutò ac celeriter adimplere ualeat; quorum aliqua ex antiquis, & multa ex recentioribus accepimus.

VT SANGVIS COHIBEATVR.

1 Digiti diuturna compressio.
2 Araneorum tela.
3 Xylum adustum.
4 Filamenta ex lino, minuta & sicca.
5 Fermentum aridum adustum puluerizatum.
6 Oui albumen contusum.
7 Oui albumen cum accto, & vino nigro austero.
8 Oui albumen cum aloe, boloarmeno, & draconis sanguine.
9 Oui albumẽ cũ aloe, olibano, leporum pilis mollissimis ac tenuissimè incisis.
10 Gipsum, aloes, farina volatilis, & sanguis draconis.
11 Calx viua cum stercore asinino adusto.
12 Actuale cauterium, id est ignis, quod diuersimodè administratur.

SANGVINIS missio per antisposin, id est per reuulsionem ad longinqua, potissimum remedium est; remeat sanguinem animi deliquium, extremarum frictiones, laqueationes, & balnea, opportuna deligatio, ac commoda compressio, & venę orificii obturatio: obturant digiti appositio, splenia, ex lana, ex bombice, ex stupa, aut ex pilis leporinis tenuissimis, potissimum fascię super vulneris orificiũ pluries auolutæ, uenæ sutura, aut laqueatio, aut eius totalis incisio.

VT FLVXIONES INHIBEANTVR.

1 Oleum rosatum maturum.
2 Oleum rosatum crudum.
3 Oleum violatum.
4 Oleum myrtinum.
5 Oleum menupharinum.
6 Acetum rosatum.
7 Oleum violatum cum vnguento rosato Mesues.

8 Oleum rosatum omphacinum cum boloarmeno.

MEDICAMENTA omnia, quæ græcè apocrustica, & latinè inhibitiua, aut defensiua dicuntur, illi parti adhibenda sunt, per quam fluxionis fit trãsitus, nam dictum est in Aphorismis, frigidis vti conuenit vbi sanguis fluit, aut fluxurus est, non in vulnere, sed in regione supra vulnus, vbi nerui, aut neruosæ partes sunt affectæ, ob id in capite eorum usus rarò probatur.

VT VVLNVS PRAEPARETVR.

1 Oleum rosatum completum.
2 Oui luteum cum oleo rosato.
3 Terebinthina cum vitello oui, & rosaceo.
4 Recip. sepi castrati colati vnc. ij. Terebinthinæ claræ vnc. j. vitellos ouorum nu. j. olei rosati vnc. s. croci, scrup. j. s. corticum thuris drag. ij. misce.

VSVS horum digestiuorum diem septimam rarò excedit, sed sat fuerit, donec optima apparuerit concoctio, probatur nempe in crudis, aut dolore affectis vulneribus, sed potissimum in contusis.

VT ABSTERSIO PERFICIATVR.

1 Mel violatum.
2 Syrupus rosatus.
3 Mel rosatum.
4 Oleum de uitellis ouorum.
5 Oleum de Terebinthina.
6 Terebinthina cum farina hordei, & rhodomelle
7 Emplastrum Isis Gliconis.
8 Emplastrum cerasæos Mesue.
9 Vnguentum ægyptiacum minus.

RARO admodum, præterquam rhodomel, cætera medicamenta fracto cranco probantur; vrgente tamen necessitate, vt de membrana denigrata dictum est, validioribus egemus remediis.

VT NOVA CARO PRODVCATVR.

Gal. 6. meth. c. 6 / Gal. 3 meth. c. 2 / Paul. li. 3. c. 13. / Rasis 7. ad Alm. cap. 27. / Auic. 4. 4. tr. 2. ult. / Auic. ca. de fract. / Cel. li. 5. ca. proprio. / Gal 5. Katageni. / Act. li. 14. c. 35. / Paul. li. 7. c. 13.

1 Irios, farina orobi, aristolochia, opopanax.
2 Irios, farina orobi, aristolochia, opopanax, thuris cortices.
3 Irios, farina orobi, aristolochia, opopanax, rhus, aloes, & myrrha.
4 Aloes, myrrha, olibanum, sanguis draconis, corallia rubea.
5 Aloes, myrrha, olibanum, sanguis draconis.
6 Irios, farina orobi, aristolochia, olibanum, corticum radicum opopanacis, myrrha, sarcocolla, sanguis draconis.

MVLTA medicamenta, quæ arida cephalica sarcotica, id est carnem inducentia vocantur, apud antiquos reperiuntur, quæ ad requisitas indicationes variè parantur, siquidem hominum variæ sunt habitudines, ætates, & exercitia, ac viuendi modus, & sexus, porrò in mollibus corporibus nempe puerorum, mulierũ, & eorum, qui vitam ocio degunt, ea conueniunt medicamenta, quæ primum ordinem exiccationis non multum transgrediũtur; in messoribus verò, militibus, nautis, & in his qui senio sunt confecti, aut sub dio & Sole viuunt, quæ valenter exiccant opportuna iudicantur: siquidem ad ossa denudata pinguium, & eorum, quæ ad tingenda linamenta parantur vsum, vitamus, & siccis tantum vtimur.

VT

VT CICATRIX INDVCATVR.

1 Pini cortex, cadmia, puluis balaustiarum.
2 Conchilium cortices adusti, gallarum puluis, aloes & pompholix.
3 Pumex adusta, aristolochia, resina sicca, & irios.
4 Myrtus, mirabolani, alumen rochæ, & cadmia.
5 Triapharmacum, diapalma, diacadmias, diaostreon, diaaloe, melitera, & ceratum de betonica.

Gal. 5. de com. med. in gen.

QVAM plurima medicamenta epulotica, quæ arida cephalica sigillatiua nominantur, ab antiquis descripta reperiuntur, quæ pariter secundum corporum diuersitatem, commodè adhiberi possunt.

Celsus li. 5. / Gal. 4. & 5. Katageni. / Paul. li. 7. / Lucius Caragetes. / Asclepiades. / Triphon Chirurgus. / Galenus.

ANODYNA, IDEST DOLORES SEDANTIA.

1 Oleum rosatum maturũ, omnes dolores emulcet, digerit, mollit, & discutit.
2 Oleum rosatum completum, cruda vulnera præparat, dolores tollit, & conjunctas materias discutiendo absumit.
3 Oleum rosatum omphacinum, fluxiones prohibet, inflammationes remouet & dolores sedat.
4 Oleum violatũ, erysipelas remittit, mollit, & omnes inflãmationes extinguit.
5 Oleum amygdalarum dulcium, parotidas absumit, aurium sibilationes remouet, & omnes durities mollit.
6 Oleum myrtinum, temperatè repercutit, & laxa membra corroborat.
7 Oleum camomellinum, lenit, discutit, & sine attractione omnes dolores remittere solet.
8 Oleũ de vitellis ouorũ, dolores tollit, vulnera expurgat, & cicatrices delet.
9 Oleum de Terebinthina, tremoribus, & conuulsionibus mirabiliter auxiliatur, & cerebrum a corruptione præseruat.
10 Oleum de lumbricibus, durities neruorum mollit, ac artuum prauos sensus demit.

Galenus. / Mesues. / Galenus. / Nicolaus. / Actuarius. / Nicolaus. / Auicenna. / Mesues. / Author. / Nicolaus.

RARÒ & ferè nunquàm in capitis læsionibus, præterquàm in temporibus, aut magnis contusionibus, aut inflammationibus, dolores occurrunt; & si accidũt aut futuram inflammationem, aut conuulsionem prænuntiant; quare decet omni modo illis vacare, & malas temperaturas remittere, ne sui actione materiæ aliun de ad caput trahantur.

EMPLASTRA CEPHALICA MODERNORUM de matre syluа.

Commune.

Recip. succi foliorum peri clymenonis, quam isti matrisyluam vocant, olei cõmunis an. unc. vj. resinæ pini, terebinthinæ claræ an. vnc. iij. bulliant omnia usque ad succi consumptionem, & adde ceræ vnc. iij. misce, & secundum artem fiat vnguentum.

ALTER MODVS.

Recip. sepi castrati colati vnc. vj. olei rosati, myrtini an. unc. ij. puluerisbetonicæ, matrisyluæ an. vnc. j. olibani, mastices, sarcocollæ an. vnc. s. terebinthinæ claræ, ceræ an. vnc. ij. misce, & fiat vnguentum.

ALTER MODVS.

Ex Petro de Argellata.

Recip. matrisyluæ m. iiij. decoquantur in vino donec medietas consumpta fuerit, & cola cũ forti expressione, & adde ceræ, olei rosati an. q. s. iterum bulliant donec ex toto vinum consumptum fuerit, misce.

ALTER

ALTER MODVS.

Ex Iacobo Carpensi. Recip.resinę,terebinthinę, resinę pini, cerę nouę an. unc. iiij. olei rosati boni vnc.viij.matrissyluę,betonicę,pimpinellę an.m.ij.herbę minutim incidantur,& in lib.x.uini albi per horas uigintiquatuor marcescant, inde bulliant usquequò consumpta fuerit uini medietas,cola:& frigescat, ac denuò quod percolatum est bulliat una cum resinis,& cera,donec uinum defecerit, & cola,& adde masticis, olibani, myrrhę,sanguinis draconis an. unc.s. gummi elemi unc.ij. inde omnia misce donec perfectum acquisierit corpus,& sic dimittatur.

ALTER MODVS. 20

Ex Nicolao Florent. Recip.Verbenę,matrissyluę,pimpinellę,betonicę,scabiosę,an m.ij. bulliant in uino optimo ad eius mediam consumptionem, et adde terebinthinę, olei rosati an.unc.iiij.iterum bulliant ad uini cõsumptionem,et cola, et adde cerę, gummi elemi,resinę albę an.unc.ij.myrrhę,olibani,sarcocollę an.unc.iij. iridis,aristolochię an.drag.ij.masticis,sandalorum,draganti an. drag. j. misce, et secundum artem fiat unguentum.

MODVS, QVO VTIMVR. 30

Recip.Verbenæ,betonicæ,matrissyluę,diptami,consolidæ maioris & minoris, lanceolę,millefolij,pimpinellę,scabiosę an.m.j.bulliant in vino albo donec herbarum uirtus extracta fuerit,& cola,ac uiriliter exprime,& adde sepi hircini colati,cerę nouę an.unc.iij.gummi elemi unc. j. olei rosati, myrtini unc.iiij. bulliant iterum ad uini defectum,& adde boliarmeni,ceruisę,masticis an.unc.ij.misce, & secundum artem fiat unguentum in bona forma.

BASILICON COMMVNE. 40

Ex Scribonio & Celso. Recip.opopanacis,galbani an.drag.xij.picis græcę,resinæ terebintinę an.drax.olei rosati q.s.

BASILICON TETRAPHARMACON.

Arisi Chirurgi & Pauli. Recip.Colophonię,resinę,cerę,picis græcę,sepi taurini an. partes æquales.

BASILICON MAIVS.

Ex Mesue. Recip.ceræ albæ,resinæ,sepi uaccini an.unc.vj.picis nauali unc.ij.olei communis unc.xxiiij.olibani,myrrhæ an.unc. j. 50

BASILICON MINVS.

Ex Mesue. Recip.resinæ,picis græcę,ceræ an.olei rosati q.s.

BASILICON MAGISTRALE.

Rasis. Recip. olei rosati,camomellini an.unc.iij.myrtini, hipericonis an.unc.j.s.succi betonicę,matrissiluæ an.unc.ij.saluiæ,millefolij an.unc.j.uini albi q.s. bulliãt omnia donec uini medietas consumpta fuerit, & facta forti colatura adde sepi castra

ti

ti colati,medullæ crurium vituli an.unc.ij.bulliant iterum parum,& adde masticis,myrrhæ,spumæ argẽti an.unc.j.minij,picis nauialis an.unc.s. ceræ citrinæ unc. iiij.misce,& secundum artem fiat unguentum.

CITRINVM.

Recip.olei rosati unc.iiij.resinæ pini unc.vj.Terebinthinæ claræ unc.iij.ceræ citrinę q.s.

ALTER MODVS. 20

Recip.Terebinthinæ claræ,olei rosati an.unc.vj.resinæ pini unc.iiij. ceræ citrinę unc.iij.gummi elami unc. s.misce. Gentilis.

DE GVMMA ELAMI SIVE ELHEMI.

Recip.gummi elenij,quam isti elami vocant, Terebinthinæ an.unc.iij. olei rosati,ammoniaci aceto soluti an.unc.ij.resinę pini unc.iiij.ceræ q.s. Gentilis.

ALTER MODVS. 30

Recip.gummi elhemi,opopanacis an.unc.vj.bdelij unc.s.resinę pini unc.j. Terebinthinæ unc.iiij.thuris,masticis an.dra.ij.cerę citrinę,olei rosati an.unc. x. fiat unguentum secundum artem.

ALTER MODVS.

Recip.gummę elami drag. ij.resinę drag.iiij.ceræ drag.vj.ammoniaci drag. ij. terebinthinæ drag.iij.succi betonicæ drag.v. misce. Conciliatoris.

DE BETONICA. 40

Recip.succi betonicæ,plantaginis, apij,an. unc. xij. colentur, & aliquantulum bulliant,colentur,& adde resinæ,cerę nouę an. unc. iij. iterum bulliant usque ad succorum defectum, & adde Terebinthinæ unc. x. & secundum artem fiat unguentum. Henrici.

ALTER MODVS.

Recip.succi betonicæ,pimpinellę,saluię,centaureæ minoris an.unc.ij. uini albi odoriferi unc.xij.olei rosati,mirtini an.unc.ij,bulliant donec uini medietas consumpta fuerit,coletur,& adde terebinthinę,cerę citrinę,resinæ pini an.unc.ij.iterum bulliant ad uini defectum,&adde boliarmeni,mumię,sanguinis draconis an. drag.ij.masticis,olibani,mirrhæ an.unc.s,misce. 50 Magistrale.

MODVS QVO VTIMVR.

Recip. succi betonicæ unc. vj. pimpinellę, matrissyluæ, consolidę minoris an. unc. j. uini maluatici unc.x, bulliant ddnec uinum consumptum fuerit, & adde terebinthinę unc.iiij.olei rosati,sepi castrati depurati an.unc.ij.masticis,mirrhę,mumiæ an.drag.iij.iuridis æris unc.s.ceræ,q.s. pro unguento. Autoris.

DE

DE CENTAVREA.

Magni Guidonis. Recip.centaureæ minoris m.vj.incidatur,& per noctem in uino marcescat,bulliat postea donec uini medietas defecerit,& cola, inde quod percolatum est bulliat usque ad mellis consistentiam, & Recip. istius decocti unc. iij. lactis mulieris unc.ij.terebinthinę unc.x.cerę noue unc.ij.s.resinę unc.j.s.olibani,masticis, gummi arabici an.unc.j.misce,& secundum artem fiat unguentum.

CERATA CAPITALIA ANTIQVORVM Apostolicum chirurgum.

Democratis. Recip.picis nauales unc.xij.picis græcæ unc.vj.galbani,serapini,ammoniaci, opopanacis an.unc.s.propolis unc.iij.aceti,unc.vj.gummæ quæ teri non possunt cũ aceto in catiola liquescant ad ignem, postmodum catiolam cacabo aqua frigida pleno immittes,donec frigescere incœperit,& tunc adde picem græcam,ac masticis,olibani an.unc.s.misce perpetuò agitando cum rudicula donec citrinum colorem acquisierit,nam tunc coctura facta est,illico ab igne dimoueatur,& adde terebinthinæ unc.ij.misce,& manibus oleo laurino inunctis diu malaxetur, & magdaleones formentur.

MEGETIS CHIRVRGI.

Ex Scribonio. Recip. squammæ æris ciprij drag. xxv. guttæ ammoniaci, aristolochiæ, irios, myrrhæ,aluminis fissi an.dragm.xx. terebinthinæ pituitinæ, adipis tauri,ceræ an. drag.iiij.olei ueteris unc.xviij.aceti acris drag. 72. eius compositio fiat cum caniculæ sydus oritur,sub sole teritur donec ex toto acetum extinctum fuerit.

TRIPHONIS CHIRVRGI.

Ex Scribonio. Recip.squammæ æris cyprij drag.xij.olibani,ammoniaci,resinæ, terebinthinæ an.drag.vj.resinæ pini drag.x.pinguedinis vituli drag.iiij.ceræ unc.iiij. olei rosati unc.j.s.aceti unc. iij. quæ teri possunt terantur, ac aceto nutriantur usquequò mellis crassitudinem acquisierint.postquàm verò ceram,resinam,& oleum purgaueris,omnia misce,& liquescant,ac lento igne bulliant, donec cerati consistentiã acquisierint,perpetuò agitando,donec facta fuerit coctura,postmodum manibus diu malaxentur,& fiant magdaleones.

REI ATVM AB ANDROMACO.

Recip.granorum fructuum palmæ,salis rubei,salis armoniaci,aristolochiæ,radicis cucumeris agrestis an.drag.xx.piperis longi,rotundi, ammoniaci, xylobalsami,amomi,olibani,myrrhæ,resinæ ficeæ, uisci quercini an. drag. x. ceræ drag. xxx.pinguedinis capræ drag.xv.fæcis olei liliorum q.s.

ADDITIO.

a ¶Lib.1.c.19. b ¶Lib.de cõp. med. c ¶Lib.2.4.& 6 Katag. d ¶Lib. 15. ca. 13.

VAMPLVRIMA alia medicamenta, quę eò quia facto accommodantur capiti,cephalica vocantur apud Celsum [a] de mente Philotæ ludæi,& Megetis,multa apud Scribonium [b] de mente Iraseæ, Gliconis, Aristidis,& aliorum;multa apud Galenum [c] ad mentem Asclepiadis, Deleontis, Philotæ,Dionisij,Samij,Lucij,Cathegetis,Heræ,& aliorum multa apud Actium [d] & Pau-

10 Paulum [2] legi possunt, quæ nunc breuitatis causa dimittere intendimus, atque etiam quia ualidissima sunt,& fracta caluaria non parum timenda iudicantur, siquidem fortia sunt,& magnæ attractionis,sed ea tantum usui seruentur,quæ passim considerata ætate,habitudine,virtute,uita,& patientis exercitio a nobis longa praxi obseruata sunt. At quia diuersimodè calua fracta apud quasdam nationes aliquibus experimẽtis curari solet,nulla eis adhibita fide,illa,quæ habere potuimus,paulò inferius describere decreuimus. [2] ¶Lib.7.

CERATA CAPITALIA MODERNORVM de gummi elhemi.

20 Recip.ammoniaci,bdelij,serapini,opopanacis an.unc.s.gummi elhemi siue elimi unc.j.terebinthinæ,picis naualis,resinæ,uisci quercini an. unc. iij. aristolochiæ lõgę rotundę,diptami,colophonię,myrrhę,calaminthę,polipodij, corticum radi cum arundinis an.drag.iij.fermenti,axungię porcinæ,olei laurini an. unc. ij.aceti unc.j.olei rosati unc.iiij.cerę q.s. Gentilis.

ALTER MODVS.

30 Recip.gummi elhemi unc.iij.opopanacis unc.ij.bdelij unc.s.resinæ unc. j. terebinthinę unc.iiij.masticis,olibani an.unc.iij.olei rosati unc.xx.cerę q.s. Nicolai Floren.

DE BETONICA.

Recip.betonicę m.ij.matrisyluæ,saluiæ,hipericonis,millefolij,pilosellæ, consolidæ minoris,an.m.j.centaureæ maioris,minoris,pimpinellæ,uerbenæ an. m.s. Terebinthinæ claræ unc.xx.olei rosati unc.x.resinę pini,gummi elhemi an. unc. j. s.herbę minutim incidantur ac terantur,& ad ignem omnia ponantur,& adde uini albi optimi unc.xxiiij,aliquantulum bulliant, inde in uase aperto omnia soli ex
40 ponantur per dies octo,pluries quotidiè miscendo.postea bulliant ad uini cõsumptionem,& cola,ac fortiter exprime,& adde cerę q.s.pro cerato,quod postea manibus lacte caprino,aut uaccino inunctis diu malaxetur,& vltimò aqua uitę,& diligenter conseruetur. Ioannis de Vig.

DE MINIO.

Recip.olei rosati unc.xij.masticini unc.ij.sepi castrati, uitulini an.unc.x. lithargirij aurei,& argentei an.unc.iiij.minij unc.ij.uini odoriferi unc.xv.bulliant simul
50 perpetuò agitando lento igne primis horis,qui postea paulatim augeatur, donec medicamentum nigrescat,& adde terebinthinæ unc.vj.gummi elhemi unc.j.masticis drag.ij.cerę q.s.pro cerato. Eiusdem.

GRAECVM.

Recip.olei rosati omphacini,myrtini an.unc. viij. aceti albi unc. iiij.lithargyrii aurei,& argentei an.unc.vj.masticis,aristolochię rotundę an. unc. s. minij unc.j. puluerizentur quę trituranda ueniunt,ac per horas uigintiquatuor in oleis & aceto marcescant sępe agitando,deinde lento igne bulliant ad spissitudinem,& manibus lacte inunctis diu malaxetur. Magistrale.

HVMA-

Iacobi Carpen. Recip. Terebinthinę lotę cum uino maluatico, resinę pini colate, cerę albę an.unc.iij.mumię ex craneo unc.j.s.liquescant omnia simul,& ad ignem perpetuò admiscendo,fiat perfecta mixtio, iterum omnia in uase æneo nitido iaceant, in quo aceti rosati ex uino maluatico unc.xxxvj.reperiantur, sic maneant per diem naturalem,& manibus in eodem aceto malaxentur, donec ex toto acetum a cerato expurgetur.ceratum indè in vase vitreo aut terreo vitreato sine aceto locetur, in quo uase lactis mulieris unc.vj.succi tormentillę unc.j.succi pentaphilonis unc. s.succi betonicæ drag.ij.succi brionię,succi plantaginis an. drag. j. s.omnia lento igne super cineribus bulliant,donec humidi corporis tertia pars consumpta fuerit,& adde succi uerbenæ unc.j.succi pimpinellæ unc.j.s.misce & omnia Soli æstiuo opponantur,cautè quidem ne a puluere turbetur,sic per mensem maneāt,quotidie lac mulieris addendo ad pondus unc.ij. & succi betonicæ unc. j. exiccabitur quippè lac,& succus,ob id singulis horis decet ceratum reuisere, ac lignea spatula agitare,vt optima fiat mixtio,si verò Solis actio defecerit,debilis ignis suppleat. donec humiditas tota exiccata fuerit,quæ semper innouari debet, postea magdaleones ad pondus unc.iiij.formentur,& in membranea pagina auoluantur, & in loco ab omni humiditate alieno seruentur.

DE EMPIRICA PRAXI.
Cap. XVII.

EMpiricorvm caterua, sic enim a solo experimento dicti sunt empirici,oēs caluariæ fracturas indifferenter curare intendit,ppetuo patiētibus carnes,oua,caseum,& uinū concedens: quare illorū,qui ad pauca respiciunt,seipsos eorū manibus committunt, maior pars vitā cū morte mutare solet.Horum aliqui solis pulueribus,alij stillatitijs liquoribus,multi potionibus,quas pigmenta vocant,alij ceratis aut emplastris tantum,alii solis simplicibus, alij incātationibus, & pleriq; suis orationibus,& pura aqua vtuntur,oēs manuum operationes fugiētes,aliquibus suis moti opinionibus, vt in duabus sectis empiricis explicauimus; Sed ut eorum experimenta,ac curandi modi intelligantur, nonnulla nunc describemus,quæ nobis fuere a multis relata,& quæ non absque methodo à recentioribus descripta inuenire potuimus.

Ex Nicolai Floren. Nicolus Florētinus in septima suorū voluminū parte,vna cū Ioanne de Vico hanc praxim approbāt:imū vulneris aqua vitæ replēt,& quod residet cephalico puluere,ide totū vulnus foliorū caulibus cooperiūt,& opportuna fascia caput auoluūt.

Ex Ioanne de Vico. Ioannes de Vico Genuensis in sua chirurgia sic ait,aquæ ardētis vnc.x.myrrhæ vnc.j.aloes vnc.ij.sarcocollæ,thuris an.drag. ij.croci scrup.j. misce, vulneris fundus repleatur liquore tali,residuum verò cephalico puluere Auicennæ, ac desuper cerato ex minio,aut de betonica.

Ex Mariano Barolitano. Marianvs Sanctus Barolitanus,in suo chirurgicali compendio, membranā rhodomelle cooperit,residuum aqua vitæ replet,ac cephalico puluere, ac desuper marinam spongiam apponit,& cum lata petia vnguento basilicone tincta totum caput amplectitur.

Ex Iacobo Carpen. Iacobvs Berengarius Carpensis in tractatu suo de fractura cranij ait, apud Hispanos & Genuēses quidam curandi modus solis liquoribus obseruatur,& hic est vnus,aquæ vitę lib.x.vini maluatici lib.v.aloes,myrrhę,olibani an.unc.iij.puleris radicum consolidæ maioris vnc.iiij.puluerisi centaureæ vnc.ij.puluerisi hyperico-

periconis vnc.j.terebinthinæ claræ lib.ij. omnia misce & per mēsem in vitreo vase optimè obturato vna mancāt,& diligēter cola,ac fortiter exprime,& quod expressum est,in eo vase seruetur,ita vt nihil expiret,vulnus verò filis nitidis eo in liquore tepido infusis repleatur.

Ex Peregrino Parmen. Peregrinvs Parmensis in suo tractatu similem parat liquorem,aquæ vitæ stillatitiæ bis aut ter p elābicū extractæ lib.iiij.masticis,myrrhæ,olibani,gūmi elemi,gummi hędere,ammoniaci,opopanacis,bdelij,matrissyluæ,betonicę an.drag. ij.theriacæ finæ vnc.iiij. ex his, quæ contundi possunt contundantur & omnia in boccia stricti orificij ponantur,& sic triduum permaneant,inde lento igne fiat de stillatio in balneo Mariæ secundum Alchimistarum artificium, & quod stillatum est in vitreo vase optimè clauso seruetur, postmodum vulnus eo medicamento abluatur, ac filis nitidis eo infusis repleatur, ac desuper lata petia vnguento ex gummi elemi,aut matrissyluæ caput totum cooperiatur.

Ex quodam Hebræo. Hebraevs quidam Teutonicus hoc utebatur liquore, quo multa lucratus est,Aquæ vitę lib.j.mellis rosati vnc.vj.uini maluatici vnc.iiij.sanguinis draconis, terræ sigillatæ,mumiæ,aloes,myrrhæ an.drag.j.puluerisi betonicæ,granorum hypericonis an.drag.iij.croci scrup.ij.ex omnibus fiat optima mixtio,quæ per dies octo in uitreo uase bene obturato seruetur,postmodum viriliter exprimatur, & quod expressum est custodiatur:vulnus filis in eo madefactis repleatur,postea lata petia unguento ex gummi elemi,aut de betonica caput cooperiatur.

Qvam plurima medicamenta similia variis in locis parantur, quæ elixir vitæ, mater balsami,olea balsamina,aqua balsami vocantur,ac si balsami virtute prædita essent,magno precio uenduntur;nos verò in caluariæ curatione ea nullo modo probamus,sed tanquam periculosa experimenta reprobamus.

MODI VARII MEDENDI VVLNERA CAPITIS, orationibus, & aqua.

ETiam Hippocratis [a] tempore homines quidam vndè sibi victum pararent nescientes medici euadere imaginati sunt, aliosve magica arte, aut incantationibus sanare pollicebantur, & hi, vt dicebat Hippocrates, expiatores,circulatores, & arrogantes erant, & se ualde pios ac doctrina plenos esse simulabant:eodem modo multis in locis aliqui sunt,qui medicinam profitentur,& omnia vulnera pura aqua,orationibus,& incantationibus,alii soliis petiis lineis benedictis in crucis formam applicitis sanare promittunt: at quia hactenus huiusmodi uia notabiles curationes uidere non potuimus, eā quippe nec probamus, nec spernimus,siquidem verba ipsa & sancta,& benedicta fuerint,vt per infrascriptas descriptiones plenè intelligi potest:nec aquam probare cogimur fracta caluaria,& si Hippocrates [b] in puris capitis vulneribus eam laudauit,quod & Celsus [c] sub his verbis affirmat, leuis plaga iuuatur etiam si ex aqua frigida expressa spongia imponitur; iterumque ait [d] vulnus aperiendum, detergendaque sanies ex aqua frigida est,eademque rursus injicienda; & iterum [e] fluente sanguine spongiā aqua madefactam superponere iubet:nec Galenus dissentit,nam dicit [f] scias si spongia noua in vulnere vtaris cum aqua,aut oxicrato,aut vino pro corporum diuersitate glutinabit siquidem ea similiter,atque medicamenta, quæ ene mata vocant:quod iam probauit Dioscorides [g] sub his verbis, Spongia ex aqua, poscaue recentia glutinat vulnera:quod pariter affirmant Aetius, [h] Alexander, [i] Paulus, [k] & Auicenna [l] ualere in simplici ac recenti uulnere, non autem in compositis,& minus caluaria fracta:nam si vinum incommodum est, quanto magis aqua,quę cunctis vulneribus nocet:præsertim esse detecto,aut aperto? præterea legitur apud Aetium [m] quòd antiqui dum medicamentum Præsidis reipublicæ parabant,hæc proferebāt verba,Deus Abrahā,Deus Isaac, Deus Iacob huic

a ¶Lib de morbo sacro.
b ¶Lib. de humi. usu.
c ¶Lib. 5. cap. de gluc.uul.
d ¶Lib. 5. cap. de rat uict. uulneratorum, & cap.quomodo uulnus implendum est.
e ¶Lib. 5. cap. de cura fluxu sang.
f ¶ 11. de simp. med.cap.de spōgia.
g ¶Lib 5 cap. de spongia.
h ¶Lib. 14. ca. 26.
i ¶Lib. 6.c. 84.
k Lib.6.c. 34.
l ¶ 4.1. c. 28.4. 4.tr.3. ca.8.& 5. 4.c. de uul. cap.
m ¶Lib. 15.ca. 14.

pharmaco uires largiatur. Docet pariter Aetius [a] vt cùm dęuoratæ ſpinæ, aut oſ-
ſicula, & in tonſillis, aut alibi infixę fuerint, & extrahi nequeant, ſic agere, te ad
ęgrum deſid entem conuerte, ipſumque tibi attendere iube, & dic egredere os (ſi
tamen os, aut feſtuca, aut quicquid tandem exiſtit) quemadmodum Ieſus Chriſtus
ex ſepulcro Lazarum eduxit, & quemadmodum Ionam ex Cete, atque apprehen
ſo ęgri gutture dic, Blaſius Martyr, & ſeruus Chriſti dicit aut aſcende, aut deſcen-
de. Theodoricus [b] etiam iunior Chirurgus, dum ſagittas e corpore euellere cu
pit, genibus flexis dicta dominica oratione ſagittam manibus apprehendit adiun
ctis, inquiens, ſicuti Nicodemus clauos ex manibus, & pedibus Domini extraxit,
ſic & hęc ſagitta extrahatur. Alii poſtea [c] aut medendo, aut medicamenta paran
do exorciſmate tali utuntur. In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſan-
cti ✠ amen. In nomine ſanctiſsimę Trinitatis indiuiſibilis, dextera Domini fecit
virtutem, dextera Domini exaltauit me, non moriar, ſed uiuam, & narrabo opera
Domini, caſtigans caſtigauit me, & morti non tradidit me; orantes dominum
vt infirmus ſanetur: qualia verò ſint huiuſmodi medicamenta quęrendum eſt a-
pud Vgonem, & Theodoricum, quibus in deploratis diſpoſitionibus interdum
vti forſan licebit.

a ¶Lib. 8. c. 50. in fine.

b ¶Vbi agit de ſagitt. extrahen dis.

c ¶ Guido in par. 2. Chi. c. 1. Petr. de Argela. li. 1. tr. 8. c. 4. Theod. li. 2. c. 3.

ALTER MODVS.

Svper aquam puram, & claram dicta confeſſione genibus flexis, quæ ſan-
ctiſsimam Miſſam præcedit, dicunt aliqui, Benedicta ſit ſanctiſsima trinitas, ac ſua
indiuiſibilis vnitas, confiteor illi deprecando vt nobis ſuam oſtędat miſericordiã,
benedicamus Patri, Filio, & Spiritui ſancto, & inclinato capite emiſit ſpiritum, po
ſtea ter dominicalem orationem ac ter angelicam ſalutationem dicunt, & petias
lineas nitidas in eam benedictam aquam immergunt, & cum eis ſub forma crucis
totum vulnus tegunt.

ALTER MODVS.

Facta confeſſione, quæ initium ſanctiſsimi Altaris ſacrificii eſt, genibus fle-
xis, ac dicta dominicali oratione, ac angelica ſalutatione aquam puram benedi-
cunt, In nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti amen. inde petias immergunt, &
vulnus in modum crucis cooperiũt, dicẽtes, In nomine ſanctiſsimæ trinitatis, dex
tera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, non moriar, ſed vi-
uam, & narrabo opera Domini.

ALTER MODVS.

Aqvam multi ſic benedicunt dicentes, Te benedico aqua per Deũ viuum ✠
per Deum verum ✠ per Deum ſanctum ✠ & per Deum qui te in mundi prin
cipio creauit, & per Ieſum Chriſtum unicum filium eius, & dominum noſtrũ, qui
in Cana Galilææ cum mirabili ſigno ſuæ potentię te in uinum permutauit, & a-
quam a Samaritana poſtulauit, in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſan-
cti ✠ amen.

ALTER MODVS.

Aliqvi benedicendo dicunt, ſicuti Longinus Hebręus lancea coſtatum Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti aperuit, a quo ſtatim exiuit ſanguis & aqua, ita Domine
Ieſu Chriſte te rogo per tuam ſanctiſsimam paſſionem, ac per ſeptem uerba, quę
in cruce dixiſti, in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, & per ea ver-
ba

ba quæ in fine pronuntiaſti conſummatum eſt, & per omnia miracula, quę feciſti,
ut uirtutem huic aquę largiaris hoc uulnus ſanandi ſine ſanguinis fluxu, dolore,
inflammatione, aut ſpaſmo in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti ✠
amen. Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, Chriſtus hoc uulnus ab omni malo de-
fendat ✠ Amen.

ALTER MODVS.

Nonnvlli poſtquàm vulnerati peccata ſua confeſſi ſunt, & ſanctiſsimã Eu-
chariſtiam ſumpſerint, ac percuſſori pepercerint, ſimulque manibus iunctis gene-
ralem confeſſionẽ pronũtiauerint, quinquies pater noſter, & quinquies Aue Ma
ria dixerint ad honorem quinque plagarum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecretè fu
per vulnus hęc proferunt uerba, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Domi
nus noſter Ieſus Chriſtus in Natali nocte natus eſt, & pro noſtra ſalute in Cruce
mortuus eſt, & tertia die reſurrexit, nos verò eum deprecamur ut huic uulneri im
peret ad ſanitatem tendere, dolore ac ſpaſmo vacare. accipiunt inde quinque pe-
tias in pura aqua madefactas, quę prius in hunc modum benedicta fuerit, in nomi
ne Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & uulnus ad modum crucis cooperiunt dicen
tes. Dominus ſic mihi dedit, ſic illi placuit, ſic etiam, quando illi placuerit, me libe
rabit, & eius nomen benedictum ſit in ſecula ſeculorum. Amen. & tandem ut unico
uerbo in hac curandi ratione concludamus, hęc, & ſimilia ſacra uerba, ſi recte
ac bona intentione prolata fuerint, maximam habere uirtutem, & potentiam exi
ſtimandum eſt. ſecus uero ac ſuperſtitioſę, aut minus recte, illi qui eis abutuntur
punientur.

OPERATIONVM CHIRVRGICALIVM, in caluariæ fractæ curatione, breue compendium.

Chirvrgvs, qui caluariæ fractæ curationem eſt aggreſſurus, in omibus medi-
cinæ partibus, exercitatus eſſe debet.
Iuuenis, aut iuuentuti propinquus, in anatomicis ſectionibus inſtructus, inſtru-
mentorum iuxta opportunitatem inuentor, in ſimplicibus & compoſitis medi
caminibus exercitatus.
Quietus, & prudens, ſed fortis & intrepidus, eius veſtimenta grauitatem oſten-
dentia, ſed expedita ſint.
Inter medendum, tranquillo animo appareat, languentibus indubiam ſalutẽ pro
mittat, affinibus vero, ac de eorum vita quærentibus, veritatem, quæ à virium
robore, vulneris meliori conſtitutione, & ſymptomatum priuatione, ſumi ſo-
let, prædicere ſtudeat.
In latẽtibus aut timidis percuſſionibus, ad confitendum Deo peccata ſua, & ad
condonandum inimicis iniurias, patientes adhortetur: in ſaluberrimis vero pa
cem probet.
Symptomata communia, ab his quæ propria ſunt, accurate diſtinguat.
Si quid præter naturam vulnus occupauerit, quiete ac tuto euellat.
Lumen opportunum, aut auerſum, aut aduerſum accommodet.
De toto primo, conſiderationem habeat, inde ad particulares deſcendat opera-
tiones.
In neceſſariis euacuationibus, nempe in ſanguinis miſsione, aut ducenda aluo, ſit
diligens, & circunſpectus.
Fluxiones a ſede affecta, omni ingenio reuellat, veluti frictionibus, cucurbitulis,
clyſteribus, ſuppoſitoriis, hyrudinibus, ligaturis, aut ſimilibus.
Victum tenuem inſtituat, vinum, motum, iram, uenerem, & omnem animi affe-
ctum, prohibeat.

Fluẽtẽ sanguinẽ, ꝑsidiis opportunis sistat, & caput mollibus indumentis auoluat.
Instrumentorum varietatem paratã habeat, & eam optimã, ac nitidã conseruet.
Medicamenta quibus utitur, aut uti debet, rõne & experimẽto selecta, ac a fideli & experto aromatario parata, munda, & pulueris expertia seruare studeat.
Ministri qui medico assistunt, & eidem opem ferunt, pauci sint, sed experti, affabiles, & timore vacui.
Medico operante, omnes sileant, pueri & mulieres procul arceantur, ac rumores omnes uitentur.
Priusquàm ad operationes se conferat, uulnerati vires diligenter perpẽdat. nam ubi est indigentia, laborandum non est. Secundo morbi magnitudinem consideret, ne prædicendo hallucinetur. Tertio symptomatum naturam, quę si ualida, ac timoris plena fuerit, & consilium, & socios quęrat, ne mali medici nomen subeat.
Si uulnus dilatare tentauerit, caute id agat, ne læsa pars nimis imbecilla reddatur, & turpis inde resideat cicatrix, & ne pericraneum operationem impediat.
Frontem, tempora, ac caluarię suturas, quam fieri potest, incolumes conseruet.
Vrgente necessitate, ubique, quocunque tempore, & qualibet die, operationes adimplere tenetur.
Nisi indicia propria, & causę immediatæ adfuerint, ossa caluarię terebrare minime conuenit.
Ante terebrationem, infirmi aures, aut lana, aut xilo, obturentur.
Operationes qualescunque fuerint, sedem decliuiorem exposcunt.
Cauere oportet, ne operando os calescat, & membrana inflammetur.
Dum instrumenta ad diploidem deuenerint, cautè procedatur, & quanta sit penetratio, specillo sępe, ac diligenter perquiratur.
Inter fricandum aut terebrandum, os eo pacto auferatur, quòd quę sub eo humiditates extranęę continentur, commodè expurgari possint.
Ossa terebrata ui extrahi non debent, sed rosaceo tepido sępe humectanda sunt.
In æstate bis, in hyeme semel, uulnus curare oportet.
Quæcunque capiti adhibentur, calida qualitatibus adhibeantur.
In qualibet operatione, caput linteis calidis coopertum detineatur, & nulla apparente inflammatione, ignis propè ęgrum conseruetur.
Medicus, medendi rationem, medicaminum uires, lichinorum, plagellarum, penicillorum, turundarum, spleniorum, fasciarum, & clipeorum quantitatem, numerum, materiam, & formam, omni studio consideret, ne comprimant, aut nimis calefaciant.
Symptomatum prohibitionem præuideat, et ea quę apparent, corrigere, et profligare studeat.
Necessarias indicationes, præparando, abstergendo, carnem producendo, ac cutim inducendo, secundum temporis opportunitatem obseruet.
Fasciandi modus, primis diebus sit retentiuus, postea expulsiuus, ultimo incarnatiuus.
Si ossis superficies desquammari debet, uulnus apertum præseruetur, et ossis eleuatio expectetur.
Cito, et sero, ossa desquammantur, secundum patientis habitudinem, ętatẽ, exercitium, et anni tempus, aut topicorum potentias, et operationes.
Optimi medici munus est, ut agat cito, tuto, lętè, et quam minimo cum dolore, et hoc illius potissimũ munus est, ut in suis operationibus, si non iuuet, saltim non noceat.
Hæc sunt, quę in materia de caluarię curatione, ex nunc habere potuimus, et pro fine primi libri, huius primę sectionis, ad laudem omnipotentis Dei, cui infinitas, ac immortales reddimus gratias.

CHI-

CHIRVRGIAE IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI, SECTIONIS PRIMAE.

Liber secundus.

DE FACIE VVLNERATA CAP. I.

FAcies, idest pars illa tota, quæ capillis subiicitur, ac mento & auribus terminatur, motúque uoluntario mouetur, a Græcis Prosopon dicta, cum sit membrum iniurijs exterioribus expositum, sæpe uulnere aliquo affligi solet, nempe ab acuto telo perforante, aut ab ense vel gladio secante, aut a re graui, obtusa, & plana, contundente, vnde variæ, ac diuersæ in ea occurrunt continui solutiones. Quarum omnium, de sectis uulneribus ad præsens aliqua enarrare decreuimus. Huiuscemodi enim uulnera, aut simplicia sunt, & per se sola manent, ac citra substantiæ deperditionem; aut alio morbo, vel diuerso symptomate, aut propria causa complicantur. Porrò ea simplicia vulnera sunt, quæ rationem cautę non obtinent, & carnosas tantum partes leuiter offendunt: nempe frontem solum, aut genas, & nihil proprij habent, ac tuto, cito, ut sine molestia uniuntur & agglutinantur. Præsertim, quia hę partes siccę, & uiscidæ naturæ sunt, ob id facilioremque curationem admittunt, ac ratione, medici finalis indicatio, una tantum remanet, ut sanato vulnere, cicatrix perpulchra, ac decora resideat & appareat. At si uulnus in summo non residet, aut per longitudinem alte descendit, non parui timoris iudicatur. & prima eius curandi methodus est, extraneorum si quę aderint, ablatio, mox labrorum equalis, & iusta unitio; Extranea propterea extrinsecus aduenientia confestim auferenda esse existimamus, dum sane sine iactura, & magno dolore, educi possunt, ut vulneris labra cito coire valeant. extranea verò appellamus, non tantum quę extrinsecus adueniunt, sed quæcunque nostræ naturæ contraria aliquo modo sunt; aut ab ipsa natura conseruari nequeunt, ut pili, ferrum, uitrum, lignum, lapis, ossa fracta, caro contusa, sanguis a uenis extramissus, & similia; quæ omnia, aut curationi aduersantur, aut turpem cicatricem producunt; quemadmodum & telorum ærugo, aut sclopetorum pulueris nigredo, aut gossipium exustum, quod frequenter, ut sanguis cohibeatur, uulneribus adhibetur, aut mala medendi ratio, in qua prima die summa ope nitendum est, ut nihil agatur, priusquam vulnus intus purgatum sit, nequid ibi alienæ rei, ne linimẽtum quidem, quod supprimendi sanguinis causa inditum est, nec concreti sanguinis relinquatur. id enim & in pus uertitur; & inflammationem mouet, & conglutinari uulnus prohibet. quare non inconuenit interdum, ipsum aut uino, aut posca abluere; postmodum, vt vulneris partes quàm rectissimè adinuicem coniungantur, nempe accommodata sutura, acu videlicet subtilissima, breui, ac rotunda: cuius cauda ita excauata sit, ut in ea filum ad faciliorem acus transitum recondatur. sic enim mitius corpori insidet filum, verò lineum, æquale, & duplicatum, sed non sericum probatur. nam id carnem cito diuidere solet. Puncta verò breuia sint & adinuicem æqualiter distent, quæ nec admodum profunda, nec multum in summo figantur. Siquidem hæc non retinent: illa uero cutim facillime secant: hoc peracto, si sanguis multus emanauerit, oui albumine, aut posca, aut pulueribus adhoc destinatis, si alter non datur modus, sistatur, a gossipio siue bombice adusta

a ¶ Gal. 4. de sympt. cau.

b ¶ Cel. lib. 5. c. de glut. uul.

omnino abstinendum est; siquidem eius nigredinis vestigia in cicatrice apparere solent. Postmodum victum tenuem, donec ab inflammatione aut reliquis symptomatibus æger tutus fuerit, præscribere oportet. venam cephalicam si affectus egerit, ac ætas & vires ferant, immerito prius clystere molliente aperiamus: medicamenta etiam laxantia, mitiora tamen iuxta humorum dominium, exhibeantur. ac, vt quotidie alvus libere fluat curabimus. Animi ac corporis quies summe probatur. Altera verò die, vt partes sectæ rore proprio ac elementari per viã scilicet primæ intentionis, absque sanie uniri possint, studere oportet; nempe glutine aliquo, super linteolis hinc inde extenso. quo sic vnitæ partes conseruentur. quo facto, quamprimum futura secetur; & puncta amoueãtur. Gluten verò vario modo parari solet. Aliqui glutine piscium aceto solutum, & coctum, vtũtur. alij ex oui albumine diu concusso leuiter, fundũ vasis ænei cooperiunt, desuper postmodum tenuissimam calcem viuam, vt vix appareat, inspergũt. & facta tenaci mixtura, paratam telam liniunt; accipiunt multi gummi arabici, dragaganti, masticis, myrrhæ, picis, sanguinis draconis, calcis viuæ, an. drag. s. pollinis, ideſt farinæ volatilis molendini drag. j. albuminis oui q. s. misce. Alii Gluten sic construunt, & hoc illud est, quo quam sæpissime usi sumus. Accipiunt casei vaccini antiqui non saliti, ad libitum, ipsumque diu terunt, vsque ad mellis consistentiam, cum oui cãdido hyemali tempore, aut lacte ficuum sub magnis æstibus, aut saltim cum aqua rosacea, & addita uiua calce optime puluerizata q. s. iterum omnia simul, usq; ad glutinis formam componunt, quam isti collam vocant, & ea hoc modo vtuntur. facta labrorum vulneris æquali vnione, vbi motus validus non adest, ac pannis lineis validis & non asperis glutine aliquo linitis ac vtrinque admotis, qui ut exigit uulneris forma, quantitas, & situs, diuersas effigies præ se ferunt, nempe Triangularẽ, [1] aut Quadratã, [2] aut Semioualem; [3] aut Oualẽ, [4] aut Oblongã, [5] aut alterius modi, ad formã scilicet partis incisæ, cui applicari debent, uulnus cõstringunt, quemadmodum in his figuris, caracteribus signatis, conceri potest.

Ea verò magnitudine parari gluten debet, quæ læsõ membro, ac uulneri congruere uideatur, potissimum vbi cicatricem apparere minime speramus. panni verò aliquo tenaci glutine liniti, ac utrobique per digiti equidistantiam ad uulneris latera adhibiti, cum adhærere tenaciter uidentur, & ficci facti sunt, simul aut laqueis, aut sutura constringantur, donec uulneris labra ad inuicem recte cõmissa coierint, quæ postmodum superaddito medicamento ex oui candido optime concusso, addita rosaceæ aquæ quarta parte, glutinabuntur: aut Rec. aquæ arcentis, uitæ nuncupatæ, decoctionis consolidæ, æquiseti, & masticis in uino, albuminis oui diu concussi, an. portione æquali: colentur, & quod percolatum est, utere: Turundæ verò si in profundis uulneribus, aut ubi ossa fracta sunt, aut caro ablata, uel intemperies aliqua apparuerit admouendæ non sunt. Sic enim cicatrix deletur. At si uulnus cauum fuerit, uel carnis aut ossis pars aliqua dempta est, tũc &la-

& latã & turpem cicatricẽ expectare oportet: si sanguinis copia emanat, opportunis præsidiis sistatur; postmodũ ab omni superfluitate expurgato uulnere, digito gratur, an os rimã aut manifestã fracturã patiatur. siquidẽ notæ fracturarũ ossiũ sensu tactus sunt satis perspicuæ, quæ aut ubiq; seiũcta sunt, aut aliquo lateri adhærẽt; si ex toto fractura est diducta auferatur. Secus verò nullo mõ dimouenda est ne inde turpis resideat cicatrix. huiusce modi enim vulnera adhibitis opportunis remediis ac conuenienti ligatione, quæ in fronte, aut ubi pili non adsunt, stringere debet, facillime adhærent, & agglutinantur. Igitur dimissa acuum auolutione, aut pelliparium sutura, qualecunque fuerit vulnus, aut in parte molli & mobili, aut sicca & immobili, fibulatione siue communi sutura uti commode expedit; quę inde per aliquos dies tali puluere a putredine præseruetur. Recip. sarcocollæ, dragaganti, terræ famiæ, aloes, masticis, an. drag. s. misce. & fiat puluis subtilissimus. si humiditas multa abundauerit, sutura secetur, & glutine aliquo labra simul committantur. in imis partibus orificio dimisso, & tunc emplastro illo celebri barbaro simplicioris temperaturæ, aut triapharmacon, aut de minio, aut de pulueribus vti tempestiuum est. quæ autem commissæ sunt partes, prima die nec nimis latè, nec nimis arctè constringantur, sed gradatim iam expurgato uulnere, præsertim si ad buccam terminauerit. tunc enim assiduè rhodomel adhibeatur interius, & os aliquo magistrali decocto abluatur, quale hoc est. Recí. pentafilonis, myrthilorum, radicum consolidæ maioris, gummi arabici, dragaganti an. misce, & decoctum in uino nigro paretur. cui addatur syrupi myrthini, aut rosacei, aut diamoroniis, qd sat erit, & utere: Interim multa obseruanda sunt. nempe ne vulneratus ui quadam manducet. nam uiolenta masticatio, ac multus risus & frequens loquela, si vulnus alicuius fuerit mométi, futuras abrumpit. porrò esca humida, meri potus, aer malus, venus, ira, clamores, & similia vnionem prohibere solent, quæ naturæ tantum opus est; si autem carnis portio sublata fuerit, nec futura, nec glutine vti est opus. siquidem a futura uulnus recollecti marsupii effigiem præ se fert. Tunc vulneris caui sanandi prima indicatio nobis insinuat, carnem eadem specie cum ea quæ periit rursus gignendam esse. quo fit, vt geminus curandi finis nobis propositus sit, nempe repletio & vnitio: quoniam & affectus geminus est, uidelicet continui diuortium, & cauitas, quæ ex amissa propria substantia est contracta. itaque cõtinui diuortium unionem, cauitas repletionem desiderat. Particulares verò indicationes, quibus caua uulnera repleri solent, sumuntur ab ægri tẽperie vniuersali, ætate, sexu, exercitio, modo uiuendi, nec non sedis affectæ natura, & compositione. adhuc, uulneris quantitate, & symptomatum robore: siquidem horum plurima dũ à symmetro naturali deuiant, caro non generabitur. nam carnis gignendæ materia, sanguis bonus est, qui nec quantitate, nec qualitate uitiosus fuerit. opifex uero, & effectrix causa, natura ipsa quæ opificis rationem non habebit, nisi subiecta materia iustum temperamentum obtinuerit; & sanguis, qui ad eam fluit, bonus, & modicus sit. hac ratione, his ambabus causis, unde caro nascitur, præsentibus, nulloque extrinsecus quod impediat obstante, carnis generatio prohiberi non potest. Quæ verò singulatim in hac indicatione obseruanda sunt, loco suo explicabimus: ubi verò uulnus purgatum, ac repletum fuerit, ut cicatrix pulchra inducatur, quod summe necessarium est, studere oportet. hęc ex cuticula quadam noua producitur, quæ talis omnino qualis erat quę periit, esse non potest; illa quidem ex semine patris ortum habuit, hæc per accidens, gignitur, & cutis officiũ supplet, quæ carnis tegumentum est, unde interdum ex medicorum imperitia, aut negligentia cicatrices deformes, atque indecoræ producũtur; pro ut aliquæ cauæ sunt, ubi ossa excauata fuerint, quæ teste Hippocrate correctionem non admittũt. interdum ex mala medela, quæ ante tempus opportunum cicatrizantibus medicinis, Epulotica græce dicuntur, vsa est. Tollitur hoc symptoma, cicatricem remouendo, & vulnus denuò planum renouando. quod facit assidua fricatio, cum vino puro, aut

gera-

geranii foliis,aut cantharidibus,donec ueſicula eleuetur.qua amota,uulnus,adhibito emplaſtro aureo,aut baſilicone minori,carne repleatur. poſtmodum noua cicatrix inducatur. At ſi eleuata & eminens plus iuſto apparebit, aut inæqualis,& criſpa fuerit,ſi adhuc recens & tenella extiterit, diu ex antiquorum [a] experientia,aſinina pinguedine fricetur, & ſuperaddita lamina plumbea arctè alligetur:ſi uero dura,inueterata,& calloſa erit,ſcalpello exulcerari debet,aut medicamento, quod duram ſubſtantiam excedat tollatur, aut ſaltem cute exulcerata ſupereminẽs caro aut alumine rochæ aduſto,aut hydrargiro præparato, aut ſquãma æris combuſta, aut aliquo ſimili Epirotico abſumatur. donec ſanæ cuti æquetur,& tunc cicatrix inducatur.quæ ſi dura tãtum percipitur, admoto diachilone, aut lithargyro,aceto acri nutrito,molliatur.quod etiam faciunt radices cucumerorum agreſtium tritæ, addita anſerina axungia, aut ciclaminum radices tritæ cũ melle:delet nouas cicatrices vnguentum alabaſtrinum,de pomo citri, & de ouo. idem facit oleum de tritico,de myrrha,de vitellis ouorum,balſaminum,& balſamum ipſum ſi haberi poteſt.valet etiam mirificè in uere aqua quę a uite inciſa reſudat,aut a fraxino uiridi, cum altero capite aduritur,aut ab ouo recenti; ſi apud prunas coquitur:Nigricantes uerò cicatrices,aut malo colore affectas, remouet oleũ, in quo brionię radix incocta fuerit,aut calamintha in uino ebullita; aut Recip.argenti ſublimati unc.s. ſucci limonum drag. ij. ducantur omnia in mortario lapideo,cum piſtillo ligneo,ſub ſole,donec ſiccetur.deinde ponatur in linteolo, & fiat faſciculus, qui leuiter immergi debet in duabus partibus ſucci limonum,& una aquæ roſarum. & ita dimittatur, donec ſuccus totus abſumatur; & facta leui expreſſione,ex eo quod expreſſum eſt,cicatrix liniatur. Hæc pro cicatricibus reparandis agenda ſunt:Attamen,vt ait Celſus,libro quinto,capite uigeſimo ſexto, circa finem,ſtultum eſt ſi uel excreuerit cicatrix,uel caua fuerit,decoris cauſa rurſus & dolores,& acrem medicinam ſuſtinere.

[a] ¶Dioſcorides lib.2.cap.de adipibus. Aetius li.13.cap.131.Paulus.lib.4.c.47. Auicenna.4.4.tr.3.ca. 14.& 7.4.tr.2.cap.4.

DE OCVLORVM VVLNEribus. Cap. II.

OCVLI, ideſt organa uiſus,uulnere aliquo affici ſolent;a telo præſertim acuto & perforante;ſæpe etiam a re graui,obtuſa,& æquali,nempe lapide,aut pila,aut re ſimili contundente;rarò uero aut nunquam,ſectũ uulnus patiuntur,quin & facies ipſa magno vulnere ac profundo lędatur,cum oculi cauis ſedibus ſint reconditi, ac præſeruati: eorum vulnera apertiſſime ſenſibus dignoſcũtur, & modico magnum negotium,ac ægrotanti periculum non minus afferunt,ob id quia eorum membranæ ac nerui immediate a cerebro propagantur,maximo ſenſu præditi ſunt,& ad uiſoriam facultatem deſtinati humores continent labiles,tunicas tenuiſſimas,perpetuo mouentur,& fluxiones recipiunt vndequaque facilli me, quare non ab re eſt, aut cæcitatem,quæ ex paruo admodum ictu oriri ſolet, aut futuram mortem ob aliquam conuulſionem,prædicere:Quomodocunque ve rò læſio aliqua,eis contigerit,ſtatim eiuſdem lateris vena cephalica aperiatur.ob eorum enim nimium ſenſum, facillimè atrociſſimo dolore cruciantur, & quamplurimæ materiæ ad ſedem dolentem plus iuſto trahuntur,& inde inflammatione uexantur;unde ne oculus corrumpatur vereri oportet: nam ab Aetio ſic dictũ eſt,ubi profundum uulnus in oculo obtigerit,ne inſiti humores periclitentur,obſeruari oportet,ac ne inflammatio ſubſequatur,quam febris,& conuulſio comitatur.præomnibus [a] ergo ſi uires ferunt,uena cubiti capitalis ſecanda eſt.inter ini tia enim nihil hoc præſidio efficacius:at ſi uenæ ſectio non admittitur, purgatorio idoneo vtamur;ſin minus,clyſteribus aluum ſubducentibus,cuacuatio fiat,vi-

[a] ¶Hipp. 6.Aphoriſ.31. & 7. Aphor.47.Cel. lib.8.c.6.Gal.4. de comp.m.ſm locos. &libr.de oculis cap.10. Act. lib.7.c.22. Paul.li.3.c. 22. Auic.2.3.tr.2.c. 5. Raſis.9.ad Alm.cap.15.

ctus ratio tenuiſſima ſit,& ea omnia cauenda ſunt,quæ caput replere ſolẽt,ac fluxiones irritare,uinum ex toto,vſque quo accidentia quieuerint,prohibeatur, obſcuritas probatur,motus omnis & mentalis & corporalis alienus ſit: ſternutare, uomere,ac fortiter clamare,peſſimum eſt:repellentia uero aptiſſimè fronti ac tẽporibus admouebuntur.parantur ex oui albumine concuſſo,aqua roſacea, & boloarmeno,aut ex unguento roſaceo croco & ceruſa: in oculo candidum oui aliquandiu digito agitatum inſtilletur.ac deſuper cataplaſma adhibeatur, ex oui albo & luteo contuſo,addito rhodino,vino nigro,& hordei farina,ita ut leuiter tepefactum & lana exceptum adhibeatur.& leui faſcia æqualiter comprimatur. In ſecundo apparatu,albumini ouorum adijcere poterimus,collyriũ albũ ſine opio ad dimidium,ac deſuper fomentum,quod ex roſarum,meliloti,ac capitum papauerum,decocto,cum medulla panis,uitello oui,croco,& mulierum lacte,componitur.oculus uerò leuiter deligetur,& cataplaſmata leuia ſint,ac ne ſiccentur,crebro permutentur:& ſuperna palpebra ſola ex his contegatur:ſi oculus dexter affi citur,dormiat patiens ſuper latus ſiniſtrum;ſi uulnus fuerit in ſiniſtro, quieſcat ſuper latus dexterum. In tertio uerò aut quarto apparatu Recip.Sycph albi ſine opio Raſis [a] drag.ij.aquæ roſarum,albuminis ouorum an.unc.j.tutiæ præparatæ drag.ij.ducantur aliquamdiu omnia in mortario marmoreo, & utere ſub forma collyrij:aut Recip.lapidis hæmatitis præparati ſcrup.ij.camphoræ,aloes loti, an.drag.ij.tutiæ præparatæ,ſieph memithæ an.drag.s. miſce in mortario plũbeo uſque ad linimenti conſiſtentiam,& utere. medicamenta hæc omnia ob particulæ naturam ab omni roſione ſiue morſu aliena,adhiberi debent; inter quæ quod ex pompholige & aloe lota conficitur,ab omnibus probatur. Succi etiam quamplurimi ipſis miſcentur,non ſolum roſionis expertes omnino, ſed qui vehementiſſimos dolores lenire poſſunt. ut Poligonii,oleaſtri,aut Plantaginis. Nos uero ab oui albumine non diſcedimus.conſtat etiam talia præſidia, cum medendi tem pus,prope eſt,ut formentur,eo quod cito areſcunt:omnes pariter pũcturæ in oculo,quales a ſtylo aut aliquo conſimili telo imprimuntur,magni timoris ſunt, & ſi cornea perforatur,exeunt humores & muci,præſertim aquoſi, & inde cęcitatem expectare oportet.igitur poſt uniuerſalem curandi methodũ,ſi nullus inſtat dolor,ſolo oui candido,ſecus uerò turturis aut columbę ſanguine, irrigande ſunt. ab initio quidem fomenta, aut cataplaſmata calida uitanda merito ueniunt, ſed ea uſui ſeruentur, quę ad prohibendas inflammationes parantur; collyria etiam leuiſſima adhibeantur, quanuis uulnus impurum apparuerit: experti pluries ſumus trifolij oculati ſuccum;andacocham iſti vocant, addita tutia præparata, & cando puluerizato.adhuc olij candidum diu contuſum cum tertia parte aquæ roſarum, ac parum quid tutiæ præparatæ & boliarmeni.aut Recip. ſycph de thure drag.j.de plumbo,tutiæ præparatæ,aloes loti,candi,an.drag.s.ſucci andacochę, aut eufragiæ,aquæ roſarum an.q.s.miſce,donec collyrium efformatum fuerit.de quo guttatim tepidum in oculo inſtilletur,ac deſuper linteolum vnguento roſato Meſues,aut ceruſato coopertum applicetur.ſi multa effluit humiditas,tali præſidio exiccetur.Recip.lapidis hæmathitis,antimonii præparati,tutiæ præparatę an. ſcrup.j. crocig.v.miſce & fiat puluis tenuiſſimus.qui in linteolo ſub faſciculi forma alligetur, & bulliat in aqua plantaginis & roſarum, & fiat expreſſio,& quod expreſſum eſt guttatim oculo adhibeatur.Si uero oculus prolapſus fuerit,vt ex ea ſu ab alto,aut ex violenta quadam capitis percuſſione contingit,ruptis nempe vaſis,aut pelliculis,aut lacertis quibus in eius capſula adhæret & conſeruatur,periculoſa ſequitur affectio,& ſi foras iam ruptus procedit,ſine auxilio res eſt,quamuis dixerit Galenus [b] incredibile quippiam,& quod nunquam antea videre contigit. ſueueram.Puer cum iuxta pupillam ſtylo pungeretur,effluente protinus aquoſo humore, imminuta eſt pupilla, ac ceratoides tunica omnino corrugata videbatur,qui mox curatus,viſum recuperauit,inſtaurato ſcilicet humore paulatim,qui antea effluxerat.Sed huiuſcemodi euentus raro videntur.nam talia vulnera magna ex parte cæcitatem inducunt;ab Hippocrate [c] equidem dictum eſt. quibus

[a] ¶Libro.9.ad Alm.cap.15.

[b] ¶Libro.1.de ſympt.cau.ca.2.

[c] ¶Lib.2.præd ictionum.

rumpuntur oculi,& postea prominent, vt extra locum oculus sit, his & tempore, & arte,opem ferre non datur,ad hoc ut uideãt.posset fortasse humor albugineus restitui,tunica intacta remanente, quod euenire nequit, si vitrea aut vuea fuerit vulnerata:cunque igitur affectus similis occurrit,statim ea curatio adhibenda est quæ per venæ sectionem, & capitis purgationem celebratur. cibus ac uini potus subtrahendus est,& ea topica conferre videntur,quæ dolores emulcere solẽt.exterius vero repellentia adhiberi debent,quæ non exasperent, hoc est nõ validam habeant astrictionem;mitigatoria uero sunt oui albumen,fœnugræci decoctum, sanguis columbaceus,sub ala extractus tepidus, ac mulieris iuuenculæ lac recenter in oculo expressum.Hæc verò monohemata græce dicta medicamenta,in uehementissimis doloribus,aut dum inflammationis initium ueremur, aut propter fluxi humoris acrimoniã administrare tenemur: non tamen immediate supra uulnus,sed in locis propinquioribus,exterius vero'spongiam mollem,aut spleniũ posca,aut uino astringente, aut rosarum decocto imbutam superdare commodum est;aut tale adhibeatur medicamentum,Recip.syeph albi completi,syeph de plũbo an.drag.j.seminum papaueris albi,fœnugræci an.drag.iij. aquæ rosarum, lactis mulierum an.drag.s.pulpæ pomorum coctorum vnc.ij.misce pro cataplasma te,aut Recip.foliorum papaueris albi coctorum sub cineribus, carnis malorũ dulcium similiter coctorum an.unc.ij.croci drag.j.farinæ semi.fœnugræci drag.s.lactis muliebris vnc.j.s.olei rosati cõpleti abluti q.s.misce,& fiat cataplasma.in dolore uerò mitiori sat est,emplastrum parare ex pulpis pomorum dulcium sub prunis coctorum,cum saccharo copioso,vnguento rosacco,& croco ; caput pilis denudetur,& cucurbitula occipiti,ac uertici,affigatur: reuulsiones a longinquis secundum omnem modum laudantur,& vsus acrium clysteriorum summopere probatur.cubantis locus obscurus sit, & lumen oppositum conseruetur. Somnus ac quies,perpetuo sint,eleuato capite, aer verò & omnia calida uitentur. coitus etiã his uulneribus inimicissimus est : At si vulnus simul cum inflammatione obortum fuerit,curationem ex iis quæ inflammationem linire,& concoquere possunt moliemur,non neglectis iis,quæ ad vulnus proprie pertinere videntur.Ad discutiendum ac dissoluendum sanguinem ex ictu,aut contusione in oculo, aut tunicis cornea, ruptis nempe aut contusis vasis in oculorum tunicis,affectus græce Hyposphagma, & ab Arabibus Taifati dictus,facit sanguis columbaceus calens cum muliebri lacte instillatus,ac desuper medulla panis torrefacta, & vino rubeo macerata ac expressa.valet absynthium viride tritum, cum oui albumine, nocte superpositum.pariter & fomentum ex decocto sertulæ campanæ, & seminum fœnugræci:aut Recip.collyrij albi,mucilaginis seminum cidoniorum aqua rosarum extractæ an.vnc.s.aloes loti,tutiæ præparatæ an.drag.s.misce,pro collyrio, laudatur ad hoc collyrium diarodon,nilli,& diasmirnon,ac multa alia medicamenta,quæ a Galeno [2] descripta sunt:si quod autem vulnus bulbi, siue oculi capsulã tantum læserit,tunc terebinthina abluatur, aqua consolidæ aut fœniculi, & cum ea vulnus regatur : si uerò sagitta hoc effecerit, magnus inde oritur timor, & ea tunc obseruanda sunt, quę infra libro sexto explicaturi sumus:si quid uero præter naturam in oculi substantia infixum fuerit,ac ita ibi resideat,quod nisi quadã violentia euelli possit, nullo modo commouendum est,præterquàm si eruginosum aut uenenosum fuerit,sed opus totum naturæ committatur;localia uerò medicamenta parentur,ex oleo terebinthinæ,aut de uitellis ouorum,& parum quid croci,exterius fomentum adhibeatur ex decocto fœnugræci,rosarum rubearum, & plantaginis in vino nigro,ad coercendam inflammationem:oculorum uerò cicatrices attenuat,collyrium ex succo eufragiæ,& rutæ,cum melle,& sagapeno ; aut ex succo anagallidis & fœniculi;cum melle,& felle taurino.

DE

[2] ¶Lib. 4. & 5. de comp. m. fm loco s.

DE NARIBVS SAVCIATIS. Cap. III.

NAres,[2] hoc est instrumẽta odoratus,multoties aut transuersaliter,aut oblique, vulnerantur:interdum contusione aliqua affliguntur,aut eorum pars amputatur, aut densiores partes frangun tur.quomodocunque autem lædantur,si affectus ad narium foramina non deuenerit,curationis methodus eadem sit,quæ capite de simplici vulnere faciei superius iam descripta est.Si verò foramina ipsa secta fuerint, summa diligentia adhibenda est ne odoratus aut minuatur, aut destruatur.quare partes vulneris simplici sutura,acu nempe breui,& curua,quæ si talis in promptu non habetur,igne supercalefacta recuruetur, secundũ iustam naturam,ad inuicem cõmittantur,vt deinde cicatrix non sit deformis,non distorta,sed aspectu iocunda:inde superaddito oui albumine optime agitato,internæ partes digitis minimis in nares immissis,aut saltem specillo,exactè & concinnè sunt componendæ;ac si decet cannula argentea,aut plumbea,aut penna aut ferina,aut vulturis,aliquo constringente linimento exterius auoluta naribus imponatur,vt eorum forma ac vtilitas & officium conseruetur, id est ne spirandi ac odorãdi facultas destruatur, si partes nimis arcte coierint ; exterius verò aut oui candidum,aut barbarum simplicioris temperaturæ adhibeatur . at si hæc curandi ratio molesta fuerit,quia inspiratio prohibetur, aut quia patiens distillatione vexatur,aut dolore affligitur,turundæ interius adhibeantur molles nempe,ac flexibiles,barbaro mirthino multo soluto,munitæ. Siquidem nares solẽt humido prio citò glutinari,hac ratione quanto citius expedit,puncta secentur, & gluten aliquod imponatur,vt de facie vulnerata dictum est . Dum verò contunditur,& continui nulla apparet solutio,statim manibus comprimatur, & rectè æquetur, ne simus reddatur,aut deorsum spectet,aut in neutram partem inclinetur, ac statim,oui luteum cum duplici rhodini parte applicetur.autoxirhodinum cum cerussa adhibeatur.Sic enim dolor quiescere solet,& fluxiones inhibentur. postremo nigredinem tollit,emplastrum ex ouo,aut alabastrinum. studere enim debemus, vt quæ contusa sunt,maxime ab inflammatione tueantur . & quæ inflãmata sunt, celerrimè ab inflammatione liberentur:ob id parce viuere,ac corpus totum euacuare,optimum præsidium est.

Si frangitur nasus,fracturæ modus vnus non est; siquidem interdum comprimitur,interdum abrumpitur,interdum etiam deorsum,aut ad latus;aut in ea parte,quæ cartilaginosa est,aut in ea,quæ ossibus continetur,inclinatur.ima narium pars quia cartilaginea est,frangi non solet,sed contundi, sima peruerti,superior, quæ ossea est,frangi:commodissimè enim restituitur nasus fractus, si in inferiorẽ partem demittitur,eadem die,vel certe paulo post:Nasus enim, ait Hippocrates, ex omnibus corporis partibus facillimè cõponitur.equidem nullum unquam nasum fractum vidimus,qui non posset protinus componi,si priusquàm callus increscat compellatur,modo quis rectè mederi possit,ac vellet.

Ergo si fractura omnino in inferiori parte fuerit, dirigere eam oportet, atque superiùs compellere,& in pristinam sedem restituere. ad quam rem nullus medicus magis idoneus est,si homo id dare operam uelit audeatque, quam ipsius ægri manus, ac digiti indices, qui maxime secundum naturam sunt, aut si non ipsius ægroti saltem pueri, aut mulieris, mollibus siquidem manibus opus est,ut optime nasus fractus in priorem effigiem restituatur . utrinque enim digitos qui naribus accommodentur immittere oportet, ac in imum, quantum fieri potest,atque ita quiescere nulla obstante ratione, donec agglutinetur, uel certè multo tempore ; in naribus quidem callus citò increscit.& nisi corrumpatur, ait Hippocrates,decem diebus sanescit: si uerò id fieri nequit, licet aliquid in naribus

[2] ¶Hipp.li.2.de articulis.Paul.li. 6.c.91. Auic.5. 5.tr.3.cap.3.

bus inſerere, vel linamentum, vel linteolum, ita figuratum, quod idoneum ſit, & linimento aliquo cinctum, quale ex manna thuris, bolo armeno, maſtice, & oui albumine diu agitato parari ſolet, & ſic unum ſingulis foraminibus naſi imponatur. Galenus verò fruſtum pulmonis ouili conijcere docet, afferens ſi ſpongiæ indantur humorem imbibunt. antiqui linteolum cartaginenſi pellicula auolutum circumſutumque adhibebant, quod magis probatur quam ouilis pulmo: At vbi fractura ſuperior fuerit, nihil horum dimitti intus poteſt, nam difficulter ſpiratus trahitur, ſed grandis penna mollis, pellicula circundata, ne fracta aliqua pars in eius cauum decidat, ea ſiquidem eſt, quæ impulſu æget, ut excitata poſſit in ſuam ſedē detineri. Quod ſi plura erunt fragmenta, eodem modo extrinſecus ſingula in ſuas ſedes digitis erunt compellenda, & adhibito medicamento ex farina milij recenti lota, & glutinoſa, bolo armeno, draganto, thure, maſtice, ac reſinę portiuncula habena ad hoc idonea ſic conſeruari debent, nec altera faſcia adhibenda eſt. nam, ut ait Hippocrates, qui præſtantia uincula amant, ſine mente complura alia lædunt, ut quę magis partes reſimas efficiant, & diſtorqueant. attamen habena interdum ſic paratur, quę uel ut pollicem non excedat, uel quantum conuenit lata ſit, & extrinſecus naſo, qua parte declinatur, intendenda, ſic ut naſus dirigatur. longa cm̃ eſſe debet, ac tum ſub aure, ac circa caput ſurſum adducenda, & ibi auoluta uincire. uerum ad naſi fracturarum diuerſitatem, uarii modi faſciandi, ac faſciæ admodum diuerſę a Galeno libr. de faſciis fuerunt deſcriptę, ueluti funda, accipiter, ualum, rhombus, & ſemirhombus, quæ fere omnes literæ X imaginem præſeferunt. Cumque naſi pars aliqua ex toto amputatur, præſertim cartilaginoſa, curationis ſpes omnis deperditur, ob id, quia hæc pars [a] cum exanguis ſit, neque augetur, neque coaleſcit. Deficientes verò partes, inquit Galenus [b] quæcunque ex ſanguine ortum habent corrigi quidem non eſt impoſsibile, quæ uero ex ſemine, propemodum impoſsibile exiſtit: porrò augentur partes ſi iam defecerit propria ſubſtantia: ſubnaſcente carne, quæ deperdita eſt, & uocatur cohalitus per uiam ſecundæ intentionis. a græcis verò ſi ſarcoſis. Coaleſcunt uerò dum rore proprio ac elementari agglutinantur, & dicitur cohalitus per uiam primæ intentionis, ſimphiſis græcè dicitur: Igitur audiendi non ſunt, qui ablatum naſum denuo reſtituere pollicentur, quoniam neque naturæ artificium, neque artificis munus tam amplo priuilegio cōſtitutum eſt, ut abſciſſum penitus, a facie naſum, in integrū reſtituere poſsit, nec naſum ſemimortuum reſcindere debemus. Siquidem partem naſi ſic conſtitutam, rectificatam, & agglutinatam interdum uidimus: curantur communiter naſi uulnera ſiccisſimis medicinis. nam Hippocrates, ea vulnera abunde ſiccari uoluit: porrò ſi pars naſi frigida aut ſemimortua apparuerit, eam, aut patientis manu calefacta ac diu applicita, aut linteolis ſupercalefactis adhibitis, exalefacere oportet. ad quòd etiam facere ſolet pullus gallinaceus, aut columbaceus de recenti ſectus, & calidus ſuprapoſitus: prius tamen partes futura condecenti uniantur. naſus ſiquidem niſi ex toto amputatus fuerit, & conciderit in ſolum, facillime agglutinationem recipit.

a ¶Hipp. libro Aph. 19. 7. Aph. 28. li. 1. de morbis. & lib. de Cor. præno. Ariſt. libro 1. de Hiſtani. cap. 13. Gal. lib. 1. de ſemine c. 8. li. 3 art. par. m. c 91. & 3. meth. cap 5.

b ¶Lib. ar. par. m. c. 87. libr. de conſti. ar. m. c. 7 & libr. de ſemi. cap. 8.

DE LABRORVM VVLNERIBVS. Ca. IIII.

VLNERA labrorum, quæ ex quatuor muſculis, qui ipſis famulantur compoſita ſunt, quorum fibræ uario modo procedunt, atque inter ſe commiſcentur & implicantur, vnde varios motus edunt, exacte ob decoram formam, æquari deſiderant, quæ adamus ſim eſt conſeruanda. igitur ſi amplum fuerit vulnus, decentem requirit ſuturam, ac ſicca medicamenta, quæ cruentis uulneribus accommodantur, nempe quæ cito eius partes ſectas agglutinare poſsint. nam loqua

la ac frequenter ſputa mouendo, & humectando, huius membri conſolidationem prohibere ſolent: ob id his uulneribus ea medicamenta iuuare videntur, quæ vulneribus nariū proſunt: igitur interius rhodomelle, exterius oui albumine, aut barbaro mirrhino multo ſoluto, vtimini.

DE SECTIS AVRIBVS. Cap. V.

AVRES, ſi a cauſis deforis uenientibus, lædantur, nullum imminet periculum. uerumtamen ſi eorum pars aliqua ex toto ablata fuerit, nunquam denuo generabitur: at ſi ſola vulnera ſint, & aliquā obtinuerint profunditatem, rectam ſuturam expoſcunt, ac medicamenta ualde ſiccantia, uirtute aſtringente & agglutinante non expoliata requirunt. nam [a] audiendi locus, quoniam ſiccisſimus eſt, medicamentis æget, quæ uehementiſsimè ſiccent: ſic enim aurium uulnera facillimè ſanitati reſtituuntur. abunde ſiccari huiuſcemodi uulnera iubet Hippocrates [b] cum natura ſiccisſimæ aures ſint, eo quod ex chartilagine & cute conſtant, quæ leuis ac mollis eſt, ut ab externis iniuriis & ictibus minus lædantur. oſtē ſum enim ab Hippocrate eſt, unamquamque partem, quatenus ſiccior eſt, eatenus ſicciorem curationem requirere: ſiccare enim ſolet has partes ſine mordicatione mel atticum inunctum. inſperſo denique quouis medicamento bene contrito, ueluti eſt thus, aloes, & mirrha, aut trochiſcus andronius uino leuigatus. ubi enim quis aurem ſectam curare tentauerit, ab omni cataplaſmate, & linimento abſtinere debet: Sed medicamentis utatur, quæ protinus cruentis vulneribus injiciuntur, uel alio quod neque onere lædat neque acuitate moleſtiam afferat; quale eſt oui albumen diu concuſſum, aut medicamentum quod ex ſalice, aut ferri ſcoria paratur, aut illud celebre barbarum ab antiquis [c] ſub diuerſo tamen genere compoſitionis deſcriptum. nos vero, quod ſimplicioris temperaturæ eſt, magis probamus. ſic enim cōficitur. Rec. bituminis iudaici, picis aridæ, reſinæ, ceræ an. unc. xij. Terebinthinæ, mānæ thuris, opopanacis, ceruſæ an. unc. ij. argenti ſpumæ unc. j. olei mirthini unc. iij. aceti q. s. & medicamentum paretur in bona forma. a Celſo ſic deſcribitur. æruginis raſæ drag. xij. ſpumæ argenti drag. xxx. aluminis, picis aridæ, reſinæ pineæ aridæ drag. x. olei mirthini, aceti an. q. s. eſt enim præſtantiſsimum remedium. adhuc ſcire oportet, in omni auris fractura uinculum inimicum eſſe, nam laxum nihil boni affert, quod ſi magis aſtringatur plurimum officit. nam aſtricta auris dolore ſolet; inde pulſatione ac inflammatione uexatur. Si eius cartilago rūpatur, antequam pus oriatur, cute integra exiſtente, medicamentum glutinans imponatur: ſi autem cum cute cartilago abrupta fuerit, cutis utrinque ſuatur. Si uerò pus oritur, cutis pars altera aperienda eſt, & linteolum imponatur cum medicamento, quod ſupprimat, & omne pingue uitetur, & lana mollis auri ſubiicienda eſt, quæ quod inter eam & caput eſt impleat, & ea leuiter liganda, donec ab inflammatione tuti fuerimus, in quo tempore cibi ac potus abſtinentia neceſſaria eſt.

a ¶Gal. 3. de cō po. m. ſm locos. 5. meth. cap. 10. 6. meth. cap. 6.

b ¶Lib. 2. de articulis.

c. Scribo. lar. de ſcrip. 107. Celſus li. 5. cap. 19. Gal. 1. Katag. in fine. Actuarius. lib. de comp. m. Pau. li. 7. c. 17.

O CHI-

CHIRVRGIAE IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI, SECTIONIS PRIMAE,

Liber Tertius.

DE NERVIS AC NERVOSIS partibus fauciatis. Cap. I.

a ¶Gal.lib.1.de temp.c.1. & lib. de sect.neruorũ. Auic.1. can. ca. de anat. neruorum.

IN partium [a] similarium humani corporis numero nerui habẽtur, qui, vtcunque simplices existant, preciosissima organa sunt, & munere præstantissimo funguntur, cùm sensus & motus vniuersi corporis vehiculum sint, a cerebro & spinali medulla tanquàm a fonte, & si secus crediderit Aristoteles, [b] originem ducentes, cui continuitate indeficienti iunguntur, nec [c] ab ipso ad modum dissident, nisi quatenus compactiori materia sunt constituti; quod factũ est ne a quolibet facile læderentur; eo que magis densantur, quo elõgati ab ipso, partibus affusi motum excitare tenentur: secus autem ij, qui sensibus duntaxat inseruientes a cerebro immediatè propagati, molliorem consistentiam sunt consecuti, iccircò etiam humidiores sunt. sic enim ad faciliorem alterationem, velocioremque opus erat, siquidem ad sensuum instrumenta principis partis potentia luminis instar irradiantur, perficiunt que instrumenta ipsa, vt species omnes colorũ, sonorum, gustus & tactus suscipere queant, quemadmodum & motiui [d] musculis circunfusi in tendones desinentes vbique motus arbitrarios impartiuntur, dedata nimirum identidem facultate ipsa, veluti radius esset, ad omnes partes motrices: cuius quidem rei indicio sunt superiores partes vinculo obductas, seu quouis modo arctatas protinus inferiorum obstupescentiæ causam esse, ac earum sensus & motus priuationis: licèt autem partibus quibusdam seiunctim nerui sensitiui a motiuis nec distingui, nec percipi possint, non est cur hæsitandum sit de ipsorum differentia, quin alii sensus, alii motus, delatores existant, cùm in quibusdam partibus liquidò constet vt in oculo, & lingua: dignoscitur etiam ex passionibus. nã neruus incisus, contusus, oppressus, laqueo interceptus, callis affectus, aut putrefactus a musculo omnem motum & sensum aufert, & qui phlegmone patitur nõ parum conuulsione detinetur: eorum [e] substantia satis mollis est, & humida, forma oblonga, teres, & alba, tenui duntaxat membranula induta, ac inter seminaria mẽbra enumerata. Nerui [f] secti non coeunt, neque diminuti augentur, deficiente quidem generationis prima materia, eorum [g] tamen propria humida est, a frigido coagulata, a cerebro & medullari spina alimentum suscipiens: replentur [h] nerui facillimè humore albo, frigido, ac viscoso, iccirco [i] putredini ac cõuulsioni obnoxij sunt: quò [k] fit vt vulnerati eorum curationi aqueũ, seu quid aliud humidum medicamentum repugnat: in vniuersum [l] autem omnes tum sensitiui tum motiui sensu nimio prædicti sunt, non enim ex seipsis, sed desupera magno principio defluente, fusius tamen in superioribus maxima animalis spiritus copia exuberante. Hinc oritur [m] quòd vulnerati sæpè conuelluntur, & mentis pertur bationem patiuntur. Eiusdem ferè naturæ sunt tendones, siue eneruationes, tenõdes a tendendo græcè dicti, in secundo neruosarum partium ordine habiti, qui a

b ¶5.de nat. animal.cap.5.
c ¶Gal.9.de usu par.c.14.16. de usu part. cap.1. lib.de const. ar. m.cap.4. lib.de motu muscul. & 6.meth c.4.
d ¶Arist.3.Physicorum & 11. metaph. Gal.li. de motu musc. e ¶Gal.libr. de const.ar. m.c.5. & li. 1. de semine.
f ¶Hip.6. Aph. 19.7. Apho. 28. libro de Coac. prænot. & lib.1. de semine ca.8. 2.Techni.c. 87.
g ¶Aristo.3. de nat.ani.c.5 Gal. 8.de usu part.6. meth.c.3. Auic. 1.3.c.2.
h ¶Gal.2 Aph. có.26.6. meth. cap 3 & com.2. libri de articulis circa finem.
i ¶Auic.4.4.tr. 4.c.1.
k ¶Gal. 6. meth.c.3.
l ¶Gal.5.de usu part.c.9.
m ¶Gal.lib.ar. par. m. ca.92. 6. meth.ca.3. & 3. Katageni.

10 musculorum extremitate originem ducũt, nanque cùm neruus a cerebro, aut spinali medulla ad lacerti initiũ terminatur, in eo inseritur, ac in multas, & minimas, seu capillares partes, aut membraneas fibras diuellitur, ac disseminatur, quæ totũ musculi corpus intertexunt; denuò in fine coalescunt, ac corpus quoddam album densum, ac satis latum generatur, chorda communi voce appellatum, cuius munus est parti sibi annexæ motum absoluere: sentit autem, ac mouetur ea ratione, qua nerui est particeps, mixta [a] etenim est eius natura, mediaque inter neruum & ligamentum, tantoque neruo durior, quanto ligamento mollior, propterea & validiora medicamenta ferre solet, & accidentia ex ipsis orta mitiora apparent.

a ¶Gal.libro.de motu musc. 6. meth.c.4.

Enumerantur [b] post hæc, ac in tertio neruorum ordine sunt, vincula, seu neruea ligamenta græce [c] syndesmi, arabicè hacab appellata, quæ ab osse oriuntur, & in osse, aut musculo terminantur, & parùm forma ob eorum duritiem & densitatem a tendonibus disident, & a neruis nobilitate tantùm, cùm prorsus sensus expertes sint: eorum vtilitas est ossa adinuicem colligare, ac artus formare; vulnerata vt nullum vitæ periculum, ita seram, ac difficilem curationem admittunt. Sunt postremò inter neruosas substantias enumerati, ac simillimam habent speciẽ, panniculi neruei, seu membranæ ad hoc genitæ, vt ab eis partes aliquæ duriores sensum accipiant, vt ossa, alioquin, quia substantiæ terreę sunt, natura prorsus sensu carent; attamen, dum viuunt, & nutriuntur, mediante panniculo ea vestiente, stupido sensu prędita sunt, qui vbique græcè periosteos, quasi circa ossa, in capite verò pericranion dici solet; alię verò membranę sunt, quę membra induunt vt pulmones, iecur, & lienem, quę viscera ex se non sentiunt, & illis aliquem sensum cõmunicant; alię preseruant & intersepiunt, vt quę cor ambit, græce pericardia; alię continent & conseruant, vt vesica, & quę intestina circunuoluit, peritoneon græcè, syphac arabice; alię conseruant & mediant, vt dura meninx; alię diuidunt tantùm, vt in thorace mediastinon, græcè diaphratondes dicitur; alię sunt quę suspendunt, ac alios præstantes vsus, corpori afferunt, quæ vulneribus rarò admodũ obnoxiæ sunt, nisi vna secum & membra, quibus præsunt, & consortium tenent, lędătur, quorum, vbi de annexis membris sectis, sermocinaturi sumus, & si aliter credat Aristoteles, [d] curationem aggrediemur.

b ¶Gal. 14. de usu part. 6. meth.cap.4.
c ¶Gal.6.meth. cap.4.

d ¶Lib.3. de natu.ani. cap.13.

DE NERVORVM VVLNERVM, FORMALI differentia. Cap. II.

NERVORVM, ac neruosarum partium, uulnerum curationem tractaturi, de qua aliqui nihil, quidam uberius, quidam parcius, quã ars ipsa chirurgica expostulare uideatur, disseruere, decet quidem prius ad maiorem huius rei dilucidationem, eorum formales differentias scrutari, quę ad ternarium numerum reducuntur, nempè ad sectionem, punctura, & contusionem; porrò si occurrat ut cæsim neruus vulneretur, vulnus id, uel transuersim, uel iuxta lõgitudinem infixum erit, atque ex horum utrisque quoddam fit, sine substantiæ carnosæ amissione, quoddam cum carnis ac cutis, quæ interueniebat, deperditione. in utroque etiam uel ex toto neruus præcisus est, uel ex parte dissectus, quod pariter punctu-
ris aduenire solet aut manifestè, aut occultè, cùm uel secundum partem, uel iuxta medietatem, aut secundum totum perforatur: dum uero neruo contusio accidit, ea nempè erit uel sola & simplex absque carnis diuisione & nerui attritione, aut cum manifesta continui solutione, adeò ut quandoque sicut in cęteris similibus uulneribus, neruus nudus appareat, interdum punctus, aut sectus: insuper aliquæ, aliquo urgentium symptomatum genere complicantur, nempe dum ingenti do-

lore, inflammatione, aut conuulsione, premuntur; aliæ mites sunt; illas compositas, has simplices sectiones Medici vocare solent. Ab his igitur enumeratis differẽtijs decet tanquàm a morbi essentia, quam naturam uocant, curatiuas indicationes assumere.

DE NERVORVM VVLNERUM causis. Cap. III.

EAEMET omnium eiusmodi uulnerum causæ sunt, quæ & cæterarum corporis partium deforis nempè accedentes, ac per accidens corpora alterantes, ut substantiæ inanimatæ nimirum pungentes, secantes, & contundentes, aut corrumpentes, cuiusmodi sunt quę ueneno affecta esse possunt: uerum cum superius, ubi de caluariæ curatione egimus, fusissimè de causis uulnerum enarratum sit, hæc pronunc sufficiant.

DE NERVORVM VVLNERVM signis. Cap. IIII.

NOTAE vulnerum neruorum, ac neruosarum partium, propriæ illæ sunt, quæ ob eorum vehementem sensum fiunt, præsertim dum sedis affectæ substantia neruosa fuerit, sunt inquam dolores ingentes, inflammationes, resolutiones, conuulsiones, febres, mẽtis perturbationes, & interitus; uerumtamen dolor satis commune symptoma est, nec sicut conuulsio liquidò neruum sectum es-
a ¶4.4.tr.4.c.1. se ostendit, nam dictum est ab Auicenna [a] quòd sæpe neruorum vulnera perdu cunt ad spasmum absque antecessione lesionis prauæ, & non sit in eis excusatio quin illic sit apostema magnum absque dolore magno, & faciliores eorum dispositiones sunt febres, & apostemata multa apparent in alijs locis, quàm in uulneribus, & sitis, & uigiliæ, & desiccatio linguæ: patet igitur ex his conuulsionem fieri posse, aut inflammationem nullo præcedente vehementi dolore, aut ob partis
b ¶3.meth.c.9. & 5.Aph. com. 65.Auic.4.4.tr. 3.cap.1. naturam, aut ob inflammationis morem. nam Galeno [b] auctore, puncto musculi capite, quamprimum conuulsio aduenit, quæ nulla conuenienti medicamentorum vi, remittitur: in femore verò, in partibus genu anterioribus, ubi magnum vi dere est tendonem, qui consensus ratione, repentina cõuulsione corripitur, morsque inde subsequitur absque dolore magno, quemadmodum etiam post uehemẽtem inflammationem; nam à maximo, eoque celeri humorum defluxu, neruorum, aut chordarum substantia, repleri solet, ac tumet, eiusque habitudo alteratur, & intenditur, quò fit ut sentiendi vis deperdatur, q̃ in eius symmetro proprio ac temperamento iuxta naturam consistit, & ob id impressionem a causa diuersa subito in eo factam, appræhendere nequit, quæ tristis sensus est, dolor uocitata: in
c ¶3.de not.loc. aff.ca.3. & 5.Apho.com.1.& 2 quit enim Galenus [c] conuulsio, ac mentis perturbatio sequuntur inflammationes neruorum, ac neruosarum partium, quare dicere expedit, proprias uulnerum neruorum notas, inflammationes varias esse, conuulsionem ac mentis perturbationem; dolor item si adfuerit, & ipse pariter neruum conuulneratum esse testatur. est [d] enim neruus instrumentum, & organum principale sensus tactus: febris
d ¶Aristo. 2.de Anima. ca.10.& 3.de nat.ani. quoque continuis associata rigoribus, nullum seruans periodum, sauciatos neruos consequitur, ob quantitatem vaporum cordis regionem petentium: deliriũ, vbi neruus magnus, fuerit vulneratus; ob neruorum cum cerebro consortium, præsertim si quis magnus neruus læsus fuerit, & inflammatio aliqua appareat, à qua eleuati vapores quàm plurimi, & putridi, caput afficientes spiritum animalem cõturbant:

turbant: idem ex ardenti & assidua febre, contingit, dum accenduntur, aut exiccantur humores, & spiritus in membranis, & in capite, aut ex longis uigilijs, & somni priuatione. Paralysis quoque neruum sectum esse interdum attestatur, & si interhæc signa non describatur, declarat siquidem motus instrumenta pati, unde sequitur impotentia quædam ad motum secundum hominis imperium, paralysi ad modum similis, præsertim partium sub ipso vulnere existentium: replentur etiam nonnunquàm succo diuerso nerui secti, aut tendones, & insitam sibi uirtutem amittunt, tremorque partis indè subiicitur, ob spirituum ad interiora debilem transitum: humoris adhuc a vulnere continuò emanantis copia, eleodes Græcè, meliceria Latinè, neruosam partem vulneratam innuit; hæc, si facilè effluat, vulnus a doloribus, & aliis prauis symptomatibus, innocuum reddit, licet quãdoque sarcoma siue eminẽs, laxa, mollis, ac spõgiosa caro, supercrescere videatur: si verò tendonis, aut nerui capita à vulnere exeant, neruum, aut neruosam partem affectã esse, notius est, quàm dicere conueniat, præter id quod, ab affecta sede optimus anatomista neruum, aut tendonem vulnus accepisse, dignoscit.

DE PRAESAGANDI MODO IN neruis sauciatis. Cap. V.

VM [a] tanto sensu, ac tali iam demonstratum sit, neruos prædictos esse, meritò cum læduntur laborant i periculum imminere, & medico negotium, prædici potest. nanque ad leuem eorum læsionem, acutissimi dolores sequuntur, quos celerrimè inflammatio subsequitur, & lege consortii ad sua principia retrahuntur, & cõuulsi fiunt, fitque tunc passio acuta, & letalis, siquidem [b] conuulsio ex vulnere est, letalis, cùm [c] in ea tandem contrahatur septum transuersũ diaphragma græcè dictum, anhelitus deficiat, & cordis temperamentum alteretur, eiusque operationes destruantur, vnde mors sequitur. Futuram autem cõuulsionem significant tumores mox apparentes, de repentè euanescentes, nam quibus [d] tumores in vulneribus apparent non conuelluntur, neque insaniunt: verũ his euanescentibus de repente quibusdam a tergo conuulsiones & distentiones fiunt: quibusdam autem insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi: ob inflammationem igitur vulneribus superuenientem, conuulsiones fiunt, & primùm quidem videntur conuelli quæ è directo sunt partium inflãmatione laborantium, deinde postquàm principium attigerit, passio ad totum extenditur corpus, secus verò in caluaria fracta contingit. Quando igitur quis parte posteriori vulnus acceperit, quæ plurimis neruis repletur, ac tumore aliquo vexari inceperit qui de repentè euanuerit, conuulsionis periculum imminet, nec in dorso duntaxat, sed vbique locorum neruosorum: dictum præterea ab Hippocrate est, [e] si in vulneribus fortibus, & prauis existentibus, tumor non apparet, ingens malum; illa vero vulnera praua sunt, quæ in capitibus, aut finibus musculorum occurrunt. nam & in his suspicandum nè humores, qui ad vulnus fluere deberent, cerebrum petant, cùm tendonibus ac neruis imbibantur præsertim si dolore cruciantur; quò fit vt apostemata, conuulsiones, ac deliria sequantur: malum est igitur si vulneratis neruis tumor nõ apparet, hoc est sanioſæ humiditatis copia, nam [f] laxa uulnera, ideſt optima sanie prædita, maximam salutis spem pollicentur: non est quidem dubitandum, inquit Galenus, ex vulnere pus generante. Siquidem tumida vulnera neque inflammationes, neque conuulsiones comitantur: certam portendunt salutem labra uulneris tumida, mollia, ac rubicunda, si dolore carent, ac vulnerati prauorum symptomatum expertes quiescunt; secus verò neruorum vulnera timenda sunt, si clausa fuerint,

a ¶Gal. lib art. par.m. ca.92.6. meth.c. 2. & 3. Katageni. Act. lib. 14. cap. 27. Paul. li. 4. c.54. Auic. 4. 4. trac. 3.cap 1.
b ¶Hipp.lib.de Coac prænot.& 5 Apho.2.
c ¶Gal.1. Aph. com.12.
d ¶Hipp. lib.2. de mor.popu.& 5.Aph 65.
e ¶Libro. 2. de mor.popu.& 5. Apho.66.
f ¶Hipp. 5. Aphor.22.

& non expirent. nam occæcato vulnere retinentur materiæ, ac dolores excitantur, quos inflammationes, vigiliæ, syncopa, linguæ siccitas, febris assidua, alienatio, conuulsiones, interdumque mors subsequuntur: difficilem curationem habent, neruorum fissuræ, nam eorum substantia frigida, & exanguis est, & calescere nequit, nec eorum humiditates coctionem admittunt, & vulnera cacohetica vocantur. Quæ transuersim occurrunt periculosiora, quàm quæ iuxta rectitudinẽ iudicantur, illa siquidem & sensum & motum partis, crebrò destruunt, hæc autem suspicione vacant: rursus ea deteriora sunt, quæ neruum penitus non secant, sed vnam duntaxat partem, ob quam sanam inde grauiter lædi, & sæua sequi symptomata contingit; quippe [a] præciso per transuersum toto neruo dolores sedari, conuulsiones prohiberi, & reliqua his vulneribus infesta, tolli videntur. Ad eundem modum contusiones verendę sunt, ob humorem crassum, viscidumque, quo facillimè replentur nerui, & putredini etiam obnoxij fiunt, cùm ab innato calore regi hæ humiditates nequeant. Hi quoque in præcipiti sunt, quorum articuli vulnus acceperint, tùm ob sedis capacitatem, vbi humiditatum copia facilè aceruari potest, tùm etiam ob partis motum continuum, quapropter serò plerunque cicatricem admittunt, vehementissimique dolores vrgent ob tendonum læsorũ quãtitatem, qui in eorum capitibus musculorum oriuntur, aut terminantur: obseruatumque est, vulnera omnia articulis quatuor digitis circunscripta, periculo nõ vacare, ac Chirurgorum doctissimorum solertia indigere: cæterum neruorum vulneribus, sed maximè punctim inflictis, perperam a principio curatis, maximè omnium inflammatio, & putredo superuenit. Ligamentorum verò vulnera vt sensu prorsus expertia sunt, ita timore vacant, ac valentissimorum remediorum vim tolerant; ergò sindesmus si is fuerit, qui ab osse ad os permeat, maximè sine periculo est, quidam tamen, inquit Galenus, cùm non valeant ligamenta cognoscere, tanquàm neruos & tendones vulneratos suspecta habent, a periculo alioquin remota quomodocunque afficiãtur, quippe insensibilia, & ex ossibus non musculis orta, sicut tendones, vel ex cerebro, spinalique medulla, vt nerui: tẽdones verò quoniam eorum substantia composita est ex neruo & ligamento quatenus nerui participes sunt, eatenus ex cerebro oriuntur, vnde secti maximum timorẽ adducunt, minus tamen, quàm ipsi, nerui conuulsionem accersunt: quatenus autem sindesmi naturam sapiunt, omni suspicione carent: veruntamen secti tendones, vt plurimũ particulas, quibus alligantur, debiles reddunt. Diuersorum panniculorum vulnera præsertim illorum, qui inter neruorum compagines numerantur, magni timoris sunt, nempe pericranij, meningarum, pericardias, septi trãsuersi, peritonei, vesicæ, & similium, nam horum omnium fabrica neruea est, & consortij lege nobilibus alligantur: seruant nimirum tendones villorum ordinem ad sui longitudinẽ, quod in panniculis latet, sed æquales & confusi in omni parte consistunt. Tendones ab omni causa alterantur, panniculi stupidè sentiunt, ligamenta apertè dignoscuntur, nam eorum substantia dura, alba, ac sanguinis expers est: ferè eiusdem habitudinis cartilagines sunt, quæ ossium extremitates circunscribunt, vbi simul iunguntur, & articulos componunt. Verùm quia partes hæ ignobiles sunt, pauca de eis dicere intendimus; id autem solùm sciendum est, quòd ab omni causa frigida, aut si interius, aut exterius euenerit, membra hæc omnia maximè afficiuntur, atque magis detecta & carne denudata. Iudicatur vltimò particulas, ad vsum naturæ institutum, ineptas fore, ac perpetuò in ea constitutione manere, quando nerui, aut tendones vulnerati inflammatione premũtur, aut penitus fuerint secti, aut aliquo sphacelo destructi, aut exiccati & tabidi conspiciuntur; porrò pro cõfesso habetur [b] quòd nerui secti neque augentur, neque coalescunt.

a ¶Gal. libr. de mo.u musc. 3. meth. c. 9. 6. meth. ca. 3. Aet. lib. 14. c. 29. Paul. li. 4. c. 54. Auic. 3. 4. ca. 3. Rha. 7. ad Alm. cap. 3. Auer. 7. coll. ca. 35.

c ¶Hipp. 6. Aph. 19. 7. Apho. 28. lib. de Coac. prænot. & lib. 1. de morbis. Arist. 3. de Hist. anim. cap. 5. Gal. li. 1. de semine. ca. 8. & 14. art. par. m. cap. 87.

DE VNIVERSALI RATIONE curandi neruorum vulnera. Cap. VI.

NAQVAEQVE [a] indicatio, quæ huic curationi dirigitur, sub tali scopo continetur, ne quis dolor vulneratam partem occupet, & vt sedes affecta ab inflammatione tueatur; nam sic omnis conuulsio, quæ ab his causis emolitur, prohiberi solet: hac [b] ratione nõ expedit aliquo modo vulnerum cõsolidationem accelerare, sed cutis vulnus apertum, inglutinatumque custodire, quo per id ex neruo vulnerato sanies effluat, & omni ingenio ne alia praua insurgant accidentia, studere: quæ duo ex necessitate, nisi obstiterimus, conuulsionem, subinde accersunt. Vt autem talem scopum assequamur, tres intentiones totam artem medicam constituentes, rursus à nobis erunt diligenter obseruandæ, nempe diæta, quę in recta victus constitutione consistit, & sex rerum non naturalium optimo regimine; potio, id est materiæ antecedentis subtractio, ne ratione doloris confertim ad locum affectum confluant; & Chirurgia, quæ accommodata manuum operatio est, medicamenta topica opportunè applicando, ac omnia circunscribẽda adhibendo, dolores sedando, æruginosas materias educendo, & cõuulsionis noxas vindicando. Patiens [c] igitur victum tenuissimum a principio vsque ad symptomatum securitatem seruet, siquidem talis passio inter acutas numeratur, in quibus Hippocrates [d] victum tenuissimum seruari iubet; ob id panarella cum sacharo sola aqua decocta, his, quorum habitudo biliosa est, & ætas iuuenturis, tantùm concedi põt, quibus, si talem abhorrent diætã, condrũ in brodio patuæ pullæstræ decoctum concedatur; caro, ouæ, caseus, acria omnia, aut crudæ, & quæ multi nutrimenti sunt dimittantur: aliquibus peractis diebus, nisi aliquid noui emerserit, diæta aliquantisper augeatur, ouum sorbile recens tantùm exhibendo, aut mõtanas auiculas, aut carnem paruæ pullæ, aut aliquid simile, iuxta illam formam, quam in fracta caluaria superius expressimus: vinum omnino interdicatur, eoque magis si dolor, aut febris, aut inflammatio apparuerit, sed aquam solam decoctã, aut cum saluia admixtam, aut cinamomo addito, aut fœniculi semine, & sacchăro bibat, cui interdum iuleb rosatum admiscetur: locus verò, vbi æger quiescere debet, Celso teste [e] tepidus sit; nam multo calore præditus, posset varios humores a toto ad defatigatum locum attrahere, si frigiditate, teste Hippocrate, [f] noceret; nã nihil est quod magis neruos offendat frigore ipso, immunis sit a strepitu, prauis odoribus, & boreali flatu, & perpetuò clausus: lectulus mollis eligatur, & humilis, sed non humidus, vt multis in locis legitur: quiescat continuò membrum quod ictum est, nam quies optimum remedium est. moueri autem, aut deambulare, alienum: sedis affectæ is situs sit, a quo nullo dolore affici possit, aut incommodum percipiat: corpus insuper æqualiter totum quiescat; horis certis ac determinatis dormiat, studeatve, ne tunc dimoueatur, & vulneri offensam præstet: stet hilari ac constanti animo, nec vllo modo clamores emittat, aut ira afficiatur, a venere diuortium faciat, & frigida omnia fugiat: victus ratio talis seruetur donec decimaquarta dies a symptomatibus malis præterierit, nam vt dictum est a Galeno, [g] id tempus præfixum in hoc est, & æger ad salutem tendit, & ampliori victu nutriri debet. nempè carnibus crassioribus, & vino oligophoro, id est plurima aqua diluto, ac modico, quod clarum & odoratum sit. Hoc institituto, vt secundum indicationem assequamur, iuxta Hippocratis & Galeni præceptum, expedit considerare, an corpus plenum sit, & scateat prauis humoribus, vel superfluis humiditatibus sit inane; si qua igitur plethora apparuerit, protinus congruo medicamento euacuetur: & quia sanguis aliorum humorũ pater est, & hic quidem ad sectas partes

a ¶Hipp. lib. de Vlceribus. Gal. 3. meth. ca. 8. 9. 10. 4. meth. c. 6. 6. meth. cap. 2. Auic. 4. 1. cap. 3. & 6.

b ¶Gal. 6. meth. c. 2. Auic. ca. de cura uulner.

c ¶Gal. 6. meth. c. 3. Paul. lib. 4. cap. 54.

d ¶ 1. Apho. 7.

e ¶Libro. 5. ubi de art. uuln.

f ¶ 3. de reg. acut. 41. libro de humid. u'u & 5. Aph. 17. & li. 3. de fract.

g ¶ 3 de comp. med. in genere. ubi de cura uulner.

tes facillimè currit, cius missio, si qua non obstiterit causa, vtiq; si fortis fuerit vir tus, præmisso clystere, & lenita prius aluo, molliatur, ea quippe probatur [a] quæ copiosa per vnam diametrum, & diuersiua celebratur: diameter [b] autem talis sit, vt locorum affinitas seruetur, id est dextra manu sauciata dexter malleolus, siuè talus feriatur, sinistra siniſter incidatur: secus uerò dextero crure uulnerato subalaris uena dextræ manus, sinistro siniſtræ rectitudine seruata aperiatur; at subalari non apparente, mediam secare oportet. Sanguinis quãtitas pro ætate, robore, sexu, & habitudine totius commensuretur. nostrates autem Chirurgi, altera manu laborante, alterius, uenam aperiunt; nonnulli uerò diligentiores, aliqua plenitudine apparente brachio affecto crura scarificant; altero crurum malè habente, alterum, & iuuat. nos uero uulnere supra septum transuersum existente, ac plethora apparente, & morbi initio; cum uirium robore, ac ætate iuuentutis, primo a iecoraria uena ut plenitudo minoretur, inde a talo sanguinem mittimus, si infra septum, non ex poplite primo, sed ab axillari, inde ex poplite uenam secamus. dum uerò alicuius humoris abũdauerit copia, id est uitiosis succis repletum corpus fuerit, ea prorsus purganda uenit. nam purgatio, inquit Hippocrates, [c] per aluũ plerisque ulceribus prodest, præsertim si prævalida fuerint, atque magis ijs, quę in capite, in uentre, & articulis sunt accepta; has namque euacuationes indicat ipsa copia, sicut etiam succorum uitium, redundantis succi eductionem: si ergò [d] copia bilis redundauerit, purgationem emolitur Cassia, mãna, reubarbarũ, aut syrupus rosatus solutiuus; si crassi humoris multitudo aderit, euacuari debet, electuario lenitiuo, de dactylis, hiera, aut agarico, & simili; &, si Galeno assentimus, & per uomitum quandoque, talem admittimus euacuationem. Insuper cæteri humores adæquandi sunt, qui in uenis & alibi reperiuntur, nec a dolore moti ad affectam sedem defluant: igitur summo mane syrupus exhiberi potest, nempe rosatus recès, de cichoria, de endiuia, & huiusmodi, si corpus bile plurima scatet; sin minùs, ille sit de betonica, & stœcade, & rhodomelle cum aquis aut decoctis utrobique appropriatis: si uerò aliqua fluxio irruerit, ad oppositam partem, eam reuellere studendum est: utique si in supremis uulnus consistat, inferna leuiter fricanda sunt, & è contra: alternis etiam diebus, si non à natura, saltem ab arte aluus moueatur.

Quod verò ad Chirurgiam, & topicorum naturam, ac operationem attinet, sex nobis occurrunt considerationes, prima, cuius speciei, ac formæ, vulnus id existat, dignoscere, cùm a formarum varietate prima indicatio sumi debeat; aliter enim transuersalis sectio, quàm longitudinalis incisio, regi debet, & aliter punctura latens, & obcæcata, quàm aperta & patens curatur. porrò dictũ est, indicatione sumpta a sede affecta, curationis methodi, variari solẽt, pariter etiam a prauorum symptomatum natura, & fortitudine: Secunda assequitur, si decet, uulnus dilatando si satis non dehiscat, & si in eo aliquid extranei intercluderit ut spina, telum, ossiculum, aut pilus, aut aliquid aliud pungens, uel lacerans, instrumẽto aliquo, ut respostulat, excogitato, id apprehendi debet, ac leuiter, citò, & sine dolore euelli: Tertia est si uulnus prævalidum, aut dilaniatum fuerit, partium disidentium coalitus membrum affectum quàm leuissimè tractando, & quæ adducta sunt labra sic conseruare, hoc seruato, vt in imo situ orificium paretur, ut succi æruginosi, qui in hisce pasionibus gigni solent, perpetuò expurgentur: angusta verò uulnera, ut dictum est, aliquo incommodo apparente dilatentur, cautè tamen, ne malum malo addatur, & elaborandum est, ut si non iuues, saltem non noceas: Quarta, quæ in curandis vulneribus proponitur, stat in potentia, usu, & qualitatibus topicorum, quæ, vt a medicis decretum est, calida & sicca esse debent; quas porrò qualitates duas simul comparando, siccitas absq; mordicatione caliditati præcellere debet, habita diligenti consideratione ætatis, sexus, habitudinis & modi uiuẽdi, ac temporis constitutionis; diligentia etiam adhibita ut si nocumentum fuerit in ligamẽto, medicamenta in quarto gradu siccitatis, præterquàm urentia, opportuna fo-

re; sensu

a ¶Gal. 6. meth. ca 2. 3. Paul. lib. 4. c. 5 4. Aui. 4. 4. c. 3. in fine, & 4. 4. tr 4. ca. 2. Auer. 7. coll. ca. 35.

b ¶Aet. lib. 14. c. 27.

c ¶Lib. de Vlceribus. Gal. 4. meth.

d ¶Gal. 6. meth. c. 2. Aet. lib. 14. cap. 27.

re: sensu siquidem carent hæc membra; nerui uerò, qui a cerebro, aut spinali medulla originem ducunt, medicamenta in gradu secundo, aut tertio absque mordicatione requirunt: tendones uerò medium exposcunt ordinem: Quinta in manuum operationibus consistit, lætè, & prorsus sine dolore operando, & ea omnia qualitercunque vulneri applicauerit medicus calida actu & qualitatibus afferat: Sexta est correctio & profligatio symptomatum his vulneribus superuenientium, remedia vnicuique propria, prout res desiderat, admouendo, vt singulatim suo loco dicemus.

DE NERVORVM LONGITVdinali fissura. Cap. VII.

VM vulnerum neruorum curationem in vniuersum superiùs tradiderimus, nunc supereſt, vt singulatim eorum curandi ratione ostendamus, & a fissuris, seu vulneribus cæsim inflictis, ac longitudinalibus, tanquàm a simplicioribus, & ab ijs, quæ tutiùs curationem admittunt, initium capiamus. Si ergò tendo, aut neruus planè cæsim vulneratus fuerit, solet nempe talis sectio ab acutis symptomatibus expoliari, & sensibus dignosci, præsertim manu, aut pede affecto, magna siquidem ex parte nerui in his sedibus vulnerantur, aut vbi pauca admodum caro reperitur, & multùm interuenientis ac præiacentis cutis diuisum fuerit, aut sic affectus, anguſtus est, vt nulla certitudo habeatur: tunc verò spectãdum venit, num totus neruus dissectus fuerit, an ex toto præcisus. sed quomodocunq; id euenerit, nulla causa extranea assistente, optimi Medici officium est, partes vulneris ad inuicem, si cutis, quæ interueniebat, latis pateat, aut futura, aut fibulis, aut laqueis, aut fasciis vnire, ac maximo decori sic vnitas conseruare, ne turpis appareat cicatrix, in imaq; parte emissarium aliquod relinquere, quo collecta sanies effluere possit; postea affectum locum ab aliena fluxione custodire, & partis labo rantis temperaturam conseruare, ne dolor, qui ob exactam, & excellentem eius naturam vehemẽtissimus excitari solet, subsequatur. sit igitur Chirurgi actio omnis leuis, læta, dolorem non inducens, nempe turundas molles, & accommodatas imponendo, opportunas fascias conuoluendo, ac omnia in his peragendo, quę in Medicatrina ab Hippocrate diligẽtissime descripta sunt: sibi primò ea omnia præparet, quæ inter medendum occurrere possunt, vtpotè medicamenta & quæ vulneri circunscribenda sunt, ne cùm illi necessaria fuerint aliunde quærat: vulneris oræ [a] committendæ, ac agglutinãdæ nõ sunt, nisi priùs humiditas omnis expurgata fuerit, nam a collecta humiditate extranea, quæ effluere nequit, nerui putrescunt, inde praua sequuntur accidentia; putredo namque in eis festinat, nam crea ti sunt ex materia humida a frigore coagulata: & quia dùm sola huiusce modi vulnera esse solent, ac solo fasciandi modo sanari, non multa de eis dicere opus est; sat tamen erit saltem primis diebus, si neruus adamussim expoliatus non fuerit, tu rundam aliquam mollem medicamento ex terebinthina, oui luteo, & paululo croci illinitam in decliuiorem locum immittere, hoc seruato, ne aliquo modo neruus, aut tendo tangatur; desuper verò celebre illud barbarum, aut diaphœnicone sit, ut per spatium quatuor digitorum uulnus amplectatur, expedit applicare: circumiacentes partes inungantur rosaceo, myrtino, ac mastieino oleo, donec nullũ amplius phlegmonis, aut conuulsionis periculum immineat. si uerò cutis & caro, quæ interueniebat dissecta, aut deperdita fuerit, adeo ut neruus nudus appareat, nullum præstantiùs medicamentum repertum est glutine ipsa albotin: quare cũ de eo sermonem habiturus esset Galenus, [b] in hac curatione inquit usus sum primùm resina terebinthina per se quidẽ in pueris, mulieribus, & generaliter ijs, qui

a ¶Gal. 6. meth. ca. 2. Auic. cap. de cura uul. neruorum.

b ¶ 6. meth. ca. 2. & 3. Katageni.

qui molli essent carne, aut uitam ocio, & sub umbra degunt: ob id dicebat Auicenna, [a] gluten albotin est de melioribus medicinis uulnerum neruorum cum quibus incipitur; uerum illis, qui sunt sicut infantes, & mulieres, & cuius complexio est uehementis humiditatis, sufficit quod est sicut glutinum albotin solùm: nõ ergo immeritò usui seruatur ab omnibus, [b] cùm omnes requisitas intentiones huic curationi opportunas in se contineat. insuper audiendum est, quid de ea Galenus dixerit; inquit enim, [c] amici mei commentarios uobis paro, ex quibus quàm efficax sit nostra neruorum curandi ratio adinuenire poteritis, ex qua omnes seruati sunt, non autem manci, nec claudi redditi, quæ aliter curatis accidere consperistis, quemadmodum etiam nonnullos conuulsione correptos uel cũ dolore, uel putredine, uel febre mortuos: apud me igitur cõtemplatus omnia ex humiditate & calore putrescere, ac frigida neruis inimica fore, optimum esse uulneratis neruis medicamentum intellexi, quod & siccaret, & ad calorem accederet: calidum tamen satis esse posse modo siccandi potestate polleat. etenim calor citra humiditatem putrescere nihil habet: ergo horum medicamentorum facultas sit temperate caliditatis, sed fortioris siccitatis, quorum substantia tenuis sit, & fluxibilis stipticitatis, & omnis mordacitatis expers; cui uirtus insita sit omnem humiditatem a profundo euocare; caliditas uerò non admodum uehemens sit, siquidẽ mordicare posset, & aliunde materiam attrahere, ac locum ad inflammationem excitare: porrò siccitas, neruosas partes a putredine præseruat, eas corroborat, & omnem dolorem tollit: hac quippe ratione communis opinio est, quòd in neurum scissuris longitudinalibus nullum nobiliùs, ac securiùs medicamentum dari posse glutine albotin, id est terebinthina clara, & odorata: ex omnibus resinis, ait Dioscorides, [d] terebinthinę principatus datur, post eam lentiscinę, tum ei quę de picea redditur & abiete, exiccat, corroborat, præseruat, obstructiones aperit, & absque ullo dolore abstergit; quare in denudato neruo, & ad longitudinẽ cesim affecto nullum præstantius medicamẽtum dari potest: multoties etenim in his uulneribus iuxta membri longitudinem factis deligatura uulnerati musculi partibus inuicem contrahendis sufficit; quare dicebat Auicenna, si neruus fuerit detectus & incisio ad longitudinem, tunc stude ut ipsum carne cooperias, & pone super ipsum medicinas exiccantes, & stringe pannis longis strictura colligẽte, & aggregante super rem magnam loci sani. ueruntamen, si de aliqua eius nitrositate uerendum sit, abluatur uino albo, aut aqua betonicę, aut consolidę, quod facere præcipit Galenus [e] etiam omnibus mineralibus pro hac curatione usitatis; & mel, & cera, & terebinthina abluenda est, ut absque mordicatione exiccare possit: in corporibus uerò laboribus assuetis, nempe militum, rusticorum, & nauigantium, si uehementiorem desiderabimus exiccationem, illi addatur parum quid tutię, aut calcis sub cane aqua dulci sępiùs eloto, cum permagna humanorum corporum sit differentia tum in temperamentis sicuti ętatum mutationibus, uitę studiis, sexibus, uiuendi ratione & similibus, unde nulla ratione singulare quoddam medicamentum oĩbus conuenire põt. Igitur duo in promptu habere expedit alterum potentiùs & similium genere cõfectum, alterum mitius, quę duo inuicẽ componi, & admisceri possunt, dùm usus postulat: si namque partem ex utriusque portione quis temperauerit, exactè medium amborum erit; quòd si alteri plus adiiciat, illud a medio tanto recedet, quanto mixtura superauerit: & hęc fortassis erit uera horum uulnerum curandi ratio. nam dicebat Galenus proponatur multùm cutis esse apertum adeo ut neruus nudus appareat, isque per directum non per transuersum diuisus huic nullum iam memoratorum medicaminum, quę ex euphorbio, ac similiter acribus emplastris fiunt, applicabis, nudatus nanque nõ fert eorum uim, ita ut, cùm interposita cutis erat, tulit: optimè igitur eo casu calce elota multo oleo rosato aut masticino soluta, aut quod ex pompholige medicamentum fit utare, salutare enim admodum est.

[a] ¶4.4. tract.4. cap.3.

[b] ¶Aet. lib.14. cap.27. Paul.li. 4.c.54. Albu.li. 2.c.85.

[c] ¶6. meth.c.2 5.Aphor. com. 66.3. de comp. med. in genere.

[d] ¶Lib.1.c.90.

[e] ¶9. de simpl. med.3.Katagegeni,& 6. meth. cap.3.

PRA-

PRAXIS.

AD uulneratum quamprimùm accersitus, ut cognoscas, elaborandum est, siquid in uulnere prẽter naturam contineatur; nã id statim eximere oportet, aut digitis, aut uolsella, aut forcipe, aut alio instrumento, cuius effigies locis propriis fuit delineata: & si cutis, aut carnis, quę interuenit, sectio nõ satis patuerit, ampliori, ut decet, diuisione aperiatur; & si labra ualdè dissident, sutura committantur; & si sanguis multus effluxerit, aliquo puluere uim astringendi habente, aut ligatura sistatur; & non oui albumine, aut aceto, aut tenuiori medicamento maioris frigiditatis. inde linamẽtis, uel stupis siccis plaga oppleatur, & manu superposita fascia conuoluatur, & alligetur, & membrum commodè collocetur, ac inde euacuato corpore uictus regimen instituatur: postmodum in secundis uisitationibus omnia primùm prępar ẽtur, quę ad medelam faciunt, & eger intra tectum, modo hyems fuerit, ad quintum usque aut septimum morbi diem sese cõtineat; nam si eo usque nec phlegmone quadam tentetur, uacetque prorsus dolore, & nullam sentiat tensionem, in posterum tutus erit: hoc interim locale medicamentum sit resina laricina, qua utimur loco terebinthinę, cùm terebinthinę verę copia non affluat his nostris regionibus, & experimento diuturno comprobatũ sit laricinam prestantissimam esse, nec a Grẽcis cognitam, & hęc actu sit calida, nõ tamen uehementis caliditatis, nam in primis semper est cura habenda ne quid ex his, quæ uulnus contingent, ualdè calidum, aut frigidum sit, omnia tamen quouis modo applicanda qualitatibus calida sint: guttatim tale medicamentum in uulnus iniiciatur, ac desuper lata petia eo made facta imponatur, lichinia verò aut turundæ, aut linamenta adeo mollia, ac tenuia sint, ut nec neruum contegãt, nec dolorem inferant: partes, quę in consortio apparent, oleo masticino, de semine lini, ac camomellino lumbricato foueantur: aliquibus peractis diebus uulnus, ac si simplex & recens foret, solo fasciandi modo regatur; quare adhibito barbaro, aut pal mulato emplastro, ad cicatricem perducatur.

DE NERVORVM TRANSVERSA sectione. Cap. VIII.

NVNC de transuerso nerui uulnere, quod Arabes gauziratum uocant, agamus: illud nãq; aut ex toto, aut ex dimidia parte neruũ secat: quòd si totus præcisus fuerit, metus nullus instat, debilis tamen affecta particula remanebit, præsertim si dissectus neruus ingnis magnitudinis fuerit, & eius curatio cum ea, quam paulò superius explicauimus, communis est: at si neruus ex dimidio prę ciditur, conuulsionis maior metus impendet, phlegmone scilicet à dissectis fibris ad non dissectas communicata: cæterum conuulsione ab ipsis non sectis excitata, cum neruus ex sentiendi quod obtinet acumine, dolorem excitet, & inde ex necessitate inflammationem, quam vt plurimum conuulsio sequitur, nisi quis statim dolori medelam inuenerit, & phlegmonis generationem prohibuerit, detrahere largius sanguinem, ac tenui magis, quam in aliis vti victu, ac in quiete hominem continere iubet Galenus, [a] ac oleo calenti vbertim, & sæpius in die si in manu, aut brachio fuerit vulnus, axillas, collum, ceruices, & spinam inungere; at si vulneratus neruus ex his fuerit, qui in crure, aut pede habentur, inguina, pecten, apophyses, spinam, & collum sæpè humectare; quo facto, vt pariter mala symptomata præcaueamus, ut locus affectus corroboretur, ut mala temperatura tollatur, si

[a] 6.meth.ca.3.

quid

quid influit inhibeatur,& si quid fluxerit vt discutiatur studere operæprecium est: huic nostrates Chirurgi per tres digitos supra locum affectum simile medicamentum inhibitiuum, ab eis defensiuum uocatum,adhibere solent.Recip. olei rosati omphacini,masticini an.vnc.ij.succi plantaginis, centinodiæ an.unc.j. aceti albi unc.s.vermium terrestrium uino lotorum unc.j.bulliant simul, donec acetum, & succus fuerit consumptus,& adde boliarmeni,terræ lemniæ,sandalorum rubeorum an.drag.iij.iterum parum bulliant,& addita pauca cera fiat linimentum:uulnus laricina seu Terebinthina resina actu calida repleatur,non tamen ut nimio calore adurat,nam in neruo denudato,ac transuersim secto usque ad quartam diem æstate bis,& hyeme semel adhibita erit salubre medicamentum:transacto hoc tempore,si qua accidentia non apparuerint, uulnus basilicone regatur, & triapharmacone sigilletur.uerum si ichor aliquis,aut subtilis humiditas a uulnere emanauerit,ad sicciora transire licet,nam ea,quæ uiriliter exiccant, etiam quod nerui expoliati ea non ferant,in transuersalibus vulneribus admittuntur:adhuc quia de necessitate plerunque huiusmodi vulnera suuntur,& nerui secti a carne cooperiuntur, nam per transuersum vulnere accepto cum ligatura nihil prodesse potest,sola sutura totum absoluitur,has suturas nisi quis altas fecerit,musculi partes inglutinatæ remanent;quare altioribus suturis vti expedit, haud ignari carnosam musculorum partem periculo vacare:cautè ergo in iam consuto vulnere præsertim magni lacerti,in quo ad eundem ferè ordinem ac tendines procedunt,fortiori medicamento vti quis audebit,nam perpetuo in his passionibus maxima malorum humorum copia gignitur,quæ pariter uehemētiorem siccitatem requirit, hac ratione in duris corporibus nequaquam uerendus est sulphuris aut euphorbij vsus.ueluti Recip. Terebinthinæ claræ unc. ij. olei hypericonis vnc. j. sulphuris ignem non experti,non petrosi,sed clari ac leuis,subtiliter puluerizati drag. ij.misce,& aliquantisper bulliant,& vtere,celebre quidem medicamentum est,aut Recip.terebinthinæ vnc.ij.olei anetini vnc.j.sulphuris,vt dictum est, præparati drag. ij. misce & utere. aut Recip. olei de terebinthina, masticini lumbricati an.vnc. ij.euphorbij recentis in minutissimum puluerem redacti unc.iiij.croci scrup.s. misce vt supra.aut Recip.olei abietini,hypericonis,masticini lumbricati an.unc.j. resinæ pini unc.s.sulphuris viui,euphorbij recentis an.drag.ij.croci parum.misce & lento igne parum bulliant,& vtere sic,ut ad vulneris ultimam differentiam penitus penetret,& omnis exiccetur humiditas: porrò prædictis defensiuis, vnctionibus,ac vnguentis non contenti,vt a dolore & inflammatione hæc uulnera tuta reddantur,expedit aliquod cataplasma superaddere,cui sit insita virtus corroborandi,exiccandi,ac putredines prohibendi absque multa stipticitate, & constrictione:& vt hæc parari possint,multa simplicia a Galeno probantur,nempè dictamū, matricaria,polium,chamepitheos,centaurea maior & minor,stœcas,sertula campana,consolida,iua,betonica,terebinthina,lumbrici terrestres, farina lupinorum,fabacea,fœnugræcum,oleum masticinum,camomillinum, rob, lixiuium clarum & similia:sed quia,vt decet,diuersimodè parantur ratione sedis affectæ, & symptomatum fortitudine,interdum calidioris,interdum frigidioris naturæ esse debent. Si ergo alicuius inflammationis initium apparuerit, expedit aliquod emplastrum huiusmodi componere,vt materia,quæ fluit,reprimatur, & quæ fluxa est disipetur.Recip.florum rosarum,myrti an.m.j.betonicæ,camomillæ an.m. s.decoquantur in uino nigro tenui,& pistentur,& adde farinę hordei unc.iij.fabarum unc.j.s.olei rosati, masticini an.unc.j.s. lixiuij clari q.s. misce, & fiat emplastrum in bona forma:procedatur sic vsque ad septimam, nam hic terminus est cōmuniter malorum accidentium:at cum bona apparuerit concoctio,& nullum adest symptoma,vulnus,si expedit,aliquantisper abstergatur, & ad hoc mundificatiuum de melle a multis laudatur, cuius compositio est talis.Recip. lithargirij uino albo loti unc.ij.olei masticini,ceræ,mellis an.unc.j.misce: his omnibus postea dimis-

dimissis vnio tentanda est,quare salubre medicamentum puluis hic est,Recip.pulueris lumbricorum terrestrium præparatorum,granę tinctorum, equiseti, olibani,aristolochiæ an.partes æquales, misce, & fiat puluis sicut alcohol per petiam transmissus,quo sinus impleatur,& desuper aut barbarum,aut diapalma,aut græcum emplastrum adhibeatur:uerùm si in fine tensio aliqua, aut durities remanserit,tale medicamentum,quo nos vtimur,applicetur.Recip.centaureæ minoris, lāceolæ,cynoglossæ,pilosellæ,consolidæ maioris & minoris,caudæ equinæ,millefolij an.m.j.uermium terrestrium præparatorum unc.iij.olei masticini unc. vj. vini albi odorati unc.xviij.aceti rosati unc.iiij.macerentur omnia simul per dies octo,& adde sepi castrati unc.xij.picis naualis,resinæ pini an. unc. iij. bulliant omnia simul usque ad uini & aceti consumptionem,& cola,& adde ammoniaci, galbani,opopanacis in uino soluti an.unc.ij.terebinthinæ claræ unc.iiij.olibani, masticis,sarcocollæ an.drag.iij.croci drag.s.deinde omnia lento igne simul bulliant palmea aut salicea spatula perpetuò agitando, inde addita cera quoad sufficiat, fiat vnguentum in communi forma,aut utare cerato oxycraceo. His mediis vulnera hæc sanitati restituuntur:si uero,vt sæpè contingit,praua supernascantur accidētia,ea seruanda sunt,quæ singulatim in eorum curatione à nobis inferius suo loco demonstrabuntur.

DIGRESSIO.

VIA in cura vulnerum transuersorum partium neruosarum quoad eorum futuram, & suendi modum nonnulli diuersimodè excogitantur, nempè si neruus aut tendo ex toto præcisus sutura agglutinari possit, hæc pauca in hac methodo cogimur in medium afferre. Credunt aliqui [a] & suis rationibus,experimentis,ac auctoritatibus probare nituntur, neruum ex toto dissectum sutura coiri posse,nec aliter curari debere;asserunt tamen neruorum capita una cum exrremitate musculosæ carnis debere assui,& illico rodeolo superpositio partes sic unitas fascia opportuna conseruari.affirmantes,quòd ex tali modo curandi melior consolidatio contrahatur in ipsum neruum: qui si aliter curatus, aut ex toto,aut ex maiori parte motum amiserit,eundem ex sutura redimere potes, & membrum fortius redditur,nec dolor ab acu productus timendus est. tollitur enim quamprimum a rosaceo tangitur: probant hanc operationem rationea praxi sumpta,&a Galeno confirmata dicentes,sicut peritoneum,siue siphac membrana quidem neruosa inter abdominis seu mirach musculosas substantias consutum vnitur,sic pariter & cæteræ partes neruosæ inter substantias carnosas congestæ consolidari perfectè possunt;& si talis unitio rore proprio ac elementari,siue ut dici solet,per uiam primæ intentionis,non fit,coeunt tamen medio aliquo eterogeneo,& carne mediante,& alligante,quod in pueris apertissimè uideri solet, in quibus nerui uulnerati perfectè uniuntur;& quamuis aliqua eorum operatio destruitur,obstructione in eis facta,unde spiritus per eos transire nequeunt, non tamen motiuum virtutem amittunt:præterea sicuti os fracturis occurrit, quæ restaurata,ac in propriam sedem redacta,& facta,ut ait Hippocrates, iusta natura facilius a callo,siue alrosboth,aut poro sarcoide alligantur,& perfectius uniuntur,& citius sanantur:sic sectis neruis,ac sutura conuenienti unitis euenire potest, & si ossa callo ipso alligantur;nerui per musculorum partes consolidantur, & inde proprias exercent operationes:testimonijs denique quam plurimis hoc affirmare mouentur,& Rasis [b] præsertim,& Auicennæ [c] siquidem ab eis dictum est, si neruus secundum longitudinem sectus detectus fuerit, studeut carne cooperiatur,siccis nempè medicinis,ac opportunis fascijs, & si uulnus secundum latitudinem infigitur,tunc sutura vniatur:nam aliter sanari nequit.credunt pariter & Galenum hoc in tendonibus concessisse,ergo & in neruis, nam hæc sunt eius uer-

a ¶ Guido de Cauligiaco. Lāfrancus Mediolan. Guilielmus de Saliceto. Brixien. & alij.

b ¶ 78. continen cap. 1.

c ¶ Cap. de cura uul.ner.

ba [a] in casu Gladiatoris, etenim in uulneribus iuxta membri longitudinem factis deligatura vulnerati musculi partibus inuicem contrahendis sufficit: per transuersum uulnere accepto, cùm deligatura nihil prodesse posset, ex sola sutura totum absoluitur. Paulum [b] etiam istius opinionis esse affirmant, cùm dicit, si transuersum vulnus est, maior conuulsionis metus impendet, & nonnulli in uulnere recenti adhuc futuris usi sunt, & medicamento conglutinatorio; ait etiam equisetum, si illinatur, neruos quoque præcisos iungit. affirmant adhuc Guidonem a Cauliaco & alios uidisse, ac ab alijs audisse perfectè nonnullos a vulneribus neruorum facta in eis sutura sanitati restitutos, nullo habito in arbitrario motu detrimento. Hæ sunt rationes ac testimonia asserentium neruos aut tendones per transuersum diuisos sutura uniri debere; secus autem una cum veritate quàm plurimi [c] tenent; philosophorum ac medicorum auctoritatibus moti, nam dictum est [d] cum discissum fuerit os, aut cartilago, vel neruus, aut genæ particula tenuis, uel præputium, neque augetur, neque coalescit, deficientes verò partes quæcunque ex sanguine ortum habuerint, corrigi quidem non est impossibile. quæ autem ex semine, propemodum est impossibile: sic enim respondentes rationi de peritoneo secto ac consuto dicamus, talem unitionem fore per accidens, & secundum quid, & non ueram, ac stabilem, sed mediantibus aliis partibus, nam unio hæc inter partes abdominis conseruatur, quæ futuram ferre possunt, non autem est ipsius membranæ vnitio, quam non admittunt nerui. nec tendines. Osium rationi dicamus cum Galeno [e] qui credentibus ossa fracta perfectè agglutinare posse ait, hæc enim seu uiua seu mortua si quis inspicere voluerit dissecando manifestè uidebit a callo quodam veluti vinculo circunscripto partes osium dississas constrictas esse, quas si abraserit fracturæ profundum videbit non conglutinatum; verè nullibi nisi in osse fracto callum à natura factum perspicuè uideri potest, quippe fundamentum, ac totius corporis sustentaculum ossa sunt. Auctoritatibus iam adductis, sic respondere oportet, talem futuram in carnosis tantum substantijs conuenire, & non in neruo, ob id quia in transuersalibus [f] uulneribus futura communis est operatio, præsertim in quibus partes magno diuortio disgregantur; hac ratione dicebat Galenus altioribus futuris vsus sum, haud ignarus carnosam ipsam musculorum partem periculo vacare, non autem tendones & neruos. Paulus etiam dicebat futuram altius molliri conuenit, ne quæ in imo sunt conglutinata dehiscant: rursus magna cura adhibenda est, ne ab acu neruus compungatur; ergo neruus consuendus non est, sed musculorum partes. porrò credibile est in cõsuto vulnere partes sectiui magis vnitas conseruari, quàm in non consuto, & per consequens in eius consolidatione minus detrimenti in motu voluntario reperiri, ex quo perpetuò neruæ partes inter carnosas sutura conseruantur: quòd experimento compertũ sit, sectos neruos vnioni restitutos, modo vt supra concedimus, & si alicui hoc acciderit non est medicæ considerationis, nam erit de his quæ rarò contingunt: omnem siquidem particulam, aut organicum membrum, aiunt anatomistæ, vnum quoddam principale membrum habere, quo naturales, aut arbitrarias operationes exercent, cui quam plurima alia, in ea operatione deseruiunt. quò fit, vt secto vno neruo, alij incolumes resideant, & sic operatio interdum in toto non deperditur. quod a Galeno confirmatur cùm dicit, si puncto musculi capite conuulsio, quæ nulla conuenientium medicamentorum vi remittitur, superuenerit, præciso toto musculo per transuersum conuulsionem quidem sanaueris, aliquem tamen ex particulæ motibus vitiaueris: ad eundem modum iam neruum punctum sæpè cogimus transuersum præcidere, quoties vel conuulsiones, vel deliria, vel ambo magna ægreque sanabilia superuenire vulnerationi cernimus. Hæc veritas in ipsa praxi agnoscenda est, dum nerui ex toto dissecti reperiuntur; illicò quidẽ contrahuntur eorum partes, & fugiunt, ac a sensibus elongãtur, nec in vulnere ob sanguinis

a ¶3. Katageni.
b ¶Lib.4.c.54. lib.4.cap.17.
c ¶Nicolaus Floren. Dinus Florent. Petrus Argellata, Theodoric, Ioannes de Vico, & alij.
d ¶Hipo. lib.1. de morbis.6.Apho.19.7.Apho rif.28. Ariſto.1. de nat. ani.cap.13. Gal.lib.1. de ſemine c.8. lib.de conſt. art. med. ca.7.li. art. par. med.cap.83. 3.meth.c.4. Auic.1.1. diſt. 5.cap 1.
e ¶6. Apho.có. 19.
f katageni. ubi de emplaſt. glutinan.3. metho. cap.ult.

guinis defluxum dignosci possunt, nec minus adiungi: hac ratione audiendi non sunt, qui pro vulnerum horum curatione, ac consolidatione igne vtuntur, neruorum capita vrendo. nam manifestò videtur [a] quòd quamprimum neruosæ substantiæ ignem sentiunt, exiccantur, contrahuntur, & conuulsæ fiunt. & ideo Princeps Auicenna [b] dicebat, caueat ille, qui vrit, ne ferramento ignito vsq; ad neruos & tendones, ac copulas pertranseat, & si id, quod vritur, fuerit vt caluaria, tunc caue ne cerebrum ferueat, & ne membranę ipsę conuellantur.

a ¶Gal 7. Aph. com.14.
b 4.1.c.19. Ariſto.1. de natura anim.cap.13.

DE NERVORVM PVNCTVRA. Cap. IX.

DE TERIVS vulnus, quod neruis aut tendonibus euenire possit, punctura angusta est, nam ex simili parua quippe lesione ob sentiendi eorum facultatem, dolores, inflammationes, conuulsionesve facillimè excitantur: & ea quidem punctura maius detrimentum afferre solet, quę occęcata & subtilis est. quod attestantur Galeni [a] verba cùm dicit, Nerui uerò & chordę punctura propter sensus vehementiam, & quoniam hęc pars principio continuatur, prompta est ad neruorum conuulsionem excitandam, ac tunc præsertim cùm nihil extrorsum expirat occęcato cutis vulnere: aperiendum est igitur, atque exiccandũ substantia tenui, quę vsque ad ima nerui offensi penetrare possit: plurimum ergo confert oras angustorum vulnerum pũctorum esse apertas, vt calidũ medicamentum extrinsecus applicatum per eas vapores educat, attrahens humiditatem circa affectum locum in alto latentem, qua de re in huiusmodi puncturis orificium in cute duabus sectionibus rectis diuidere oportet, ne in ea coaceruatis humiditatibus praua oriatur symptomata: rationabile ergo erit, cutis vulnus apertum & agglutinatum custodire, quo per id ex secto neruo virus perpetuo effluat & expiret, & totum corpus superuacuis humoribus liberare, atque si expedit, sanguinis missione inanire, vtique si ualida fuerit uirtus, uictusque tenuior adhibeatur, uinum meritò prohibendum est, & reliqua seruentur, quę in regimine sex rerũ non naturalium superiùs descripsimus: in reliquis puncti nerui curatio medicamenta expostulat, quę & tepidum calorem excitent, & ualide siccent, cùm quę ex substãtię suę natura & attrahendi uim habeant, & tenuium sint partium, siquidem nuda to neruo omnis curationis consilium eo dirigendum est, ut minima cum rosione siccet: hæc siquidẽ propria ac uera indicatio est à nerui pũctura accepta. dictũ nẽpe a Galeno est, in pharmacis omne consilium direxi, ut eorum facultas esset tùm tenuis, tùm modice calefaciens, & quæ admodum siccare citra dolorem posset, cùm sola hæc trahere ex profundo saniem neque contracta, neque demorsa particula possit: Sed ante omnem operationem, si qua infixa neruis inhæserint, ut acus acumen, uitrum, os, & simile quid, extrahãtur; qua autem ratione infixa euellantur paulò inferiùs explicabimus, & si quæ fuerit difficultas cutis protinus aperiatur, & uulnus agglutinatum custodiatur, cauendo ne afflicto afflictio addatur, & secto neruo maius præstetur nocumentum; nec sectionem amplam facere decet, ne neruus detectus reddatur, præsertim corpore cacochymo, aut plethorico existente, ne inde uehemens dolor excitetur: quæ igitur plethora, uitiosoque succo laborant corpora, quæ tenera carne prædita, & ad sentiẽdum insigniter habilia sunt, facile ex morsu, seu rosione phlegmonem recipiunt. in horum numero habentur mulieres candidæ, pueri, eunuchi, qui uitam in ocio degunt, aut regionem frigidam incolunt; secus uerò qui calidum locum inhabitant, aut laboribus ualde dediti sunt: hac ratione, ait Galenus, usus sum primò in pueris, mulieribus,

a ¶Lib art.par. med.c.52. 6.meth.cap.2.4.3.de comp.m. in ge. Aet li.14. c.27. Paul.lib.4.c.54. Raſis.7 ad Alm. ca.3. Auic. cap. de cu.uul. ner.

& generaliter ijs qui molli sunt carne, resina terebinthina per se, cum sulphure aut euphorbio in ijs qui dura sunt carne: diximus itaque terebinthinam, id est cyprium terebinthum, qui si non aderit, communi terebinthina uti expedit, id est resina laricina, aut humida illa de pino, communi uoce larga dicta, aut resina frixa, aut abiegina, oleum abietis, aut lachrymum uocitatum; at si ulla inueniri nequit, ab omnibus oleum sabinum, aut clarum & expurgatum antiquum probatur. nam recens pingue est, ac obstructiones gignit, & materias, vaporesque malos ab ipsa cute discuti prohibet. aut oleum commune anetho, aut ruta decoctum, aut oleū balsaminum, aut illud quod ex vitellis ouorum extrahi solet; nos verò tūc aut de hypericone, aut de terebinthina uti soliti sumus; tale crudum non sit, vt omphacinum, nec astringens, vt myrtinum, sed dulce, clarum, maturum, & subtilium partium: ad eundem modum, si sulphur viuum non reperitur: quo Zoar illicò puerū a nerui punctura liberasse asserit, aut euphorbium optimum, quod nisi in magnis & nobilissimis ciuitatibus reperitur. eius loco calcem aqua dulci, aut marina aut de betonica, aut de saluia sæpius elotam, ac diebus canicularibus exiccatā administrare poterimus. aut eius loco pompholigem, ideſt tutiam, eam præsertim, quæ ex Alexandria defertur, lotam nempe, & aliquo tenui medicamento dilutam: si verò hæc prænarrata auxilia nō fuerint in promptu, vt Galeno ruri euenit, tunc aut sagapenum, aut opopanax, aut simus columbinus sylueſtris vsui seruetur, multò magis in siccis & duris corporibus: vrgente verò necessitate, si aliquod horum non adfuerit, fermentum triticeum vetustissimum præsentaneum remedium est, temperatè calfacit, mirè exiccat, & materias in imo insertas euocat. nos autē Feltriæ sæpius quàm plurima neruorum vulnera sola terebinthina in vulnere, ac desuper vsnea, id est musco arborum, superposita, facta conuenienti ac stricta deligatura sanauimus; interdum solo vsu propolis, hoc est fœcis, quæ in fundo vasorum apum reperitur, ac desuper fermentum acre masticatum; quæ si durior fuerit, pauxillo oleo hypericonis moliendam esse iussit Galenus. quàmplurima alia medicamenta, quæ ab antiquis probantur, describenda forent, sed hunc laborem cæteris relinquamus, tantùm nonnulla composita, laudata nimirùm, in medium adducemus, medicamentum ex sulphure. Recip. terebinthinæ claræ, olei hypericonis, resinæ pini an. vnc. iij. sulphuris ignem non experti, subtilis, & non petrosi vnc. j. aut in ea quantitate dùm ex omnibus in tenuibus corporibus mixtum esset, sordium haberet crassitudinem, in valentioribus verò ac durioribus ad mellis spissitudinem, croci scrup. s. misce, & omnia simul aliquantisper lento igne bulliant, quæ ebullitio magis probaretur, si in duplici vase celebraretur. Medicamentum diaeuphorbium ex tertio Katageni, quod facillimè ad imas partes vulneris peruenit. Recip. olei antiqui vnc. xij. ceræ nouæ vnc. iij. euphorbij clari recentis, & odorati ac triti, & tenui cribro excussi. vnc. j. misce, & parum bulliant. aliud ex sexto methodi & euphorbio, cera, resina, terebinthina, & picis græca sine oleo, fit hoc modo. Recip. ceræ vnc. j. terebinthinæ, picis græcæ an. vnc. s. euphorbij drag. ij. misce. tale præsidium, inquit Galenus, mirabile est in angustis vulneribus, habita nempe diligenti considerationē in eorum operatione, si exiccando imbecillis fuerit, aut sulphuris, aut euphorbii mensura pro imbecillitatis ratione augeatur: si vero fortis, eorum additio minoretur; hoc diligenter examinato, an euphorbium recens sit, an vetustum; nam vetusti dosis sit ad duplum respectu recentis. recens enim in quarto gradu siccitatis collocatur, coloris subalbidi, substantiæ densæ, ali quantulum tenacis: vetustum, colorem pallidum, aut liuidum, aut nigrum secundū eius antiquitatem præ se fert, siccum ac fragile in siccando non valdè potens est; nam eius virtus iam dissussa est. solent huiusmodi corpora ob eorum siccam naturam, difficulter ad imum penetrare, quare interdum aliquo tenui medicamento ea attenuare oportet, nempe oleo antiquo, aut sabino maturo, aut aliquo magistrali. siquidem his vtimur oleis tanquàm commodo vehiculo: tenuitate enim,

quia

qua pollent, altius sese insinuant, alia valdè exiccantia secum deferentia, & sic sauciatos neruos summopere iuuare possunt; veruntamen oleum simplex esse nō debet, id est ex solis oliuis, sed sicut illud quod ex seminibus exprimitur, aut quod ignis vi aufertur, aut ex plantarum, aut animalium, aut mineralium decocto paratur, aut simile. Recip. masticis vnc. j. s. thuris, dragāti an. vnc. j. terebinthinæ claræ vnc. iiij. misce, & omnia per alembicum destillentur. aut Recip. terebinthinæ claræ vino albo lotæ unc. vj. masticis unc. ij. florum hypericonis m. ij. omnia in uitreo uase sub æstiuo sole diebus canicularibus per dies octo marcescant, inde uiriliter exprimantur, & quod expressum est, hoc modo vtendum. Recip. prædicti liquoris unc. iiij. sulphuris uiui, aut euphorbij recentis vn. s. misce, & parùm bulliant, de eo guttatim in angusto vulnere imponendo, & desuper unguentum excellentissimi genitoris nostri longissimo usu comprobatum, cuius descriptio in sequenti libro capite de Thorace uulnerato poterit uideri, sub hoc titulo VNGVENTVM sanctum & incomparabile, aut eius loco utamur emplastro de gummi elhemi Conciliatoris, aut illo de Centaurea Guidonis, aut de fermento Democratis, aut illo Auicēnę ex farina fabarum, hordei, orobi equalis portionis decocta in lixiuio & oxymellite. illudque è memoria non excidat, in talium medicamentorum applicatione, uulnere angusto existente, quòd partes, quæ uulnus circunscribunt, minimè tangantur, calefiant, & inflammationem inducant; quare expedit eas corroborare, ac ab omni noxa tutas reddere, oleo nempe rosaceo, masticino, aut camomellino lumbricato, atque hoc interim, si superiores partes uulnus occupauerit, nempe manum, aut brachium, protinus collum, spinam, & axillas calenti oleo camomellino, liliorum, & rosaceo delinire expedit. Si uerò neruus ex ijs sit, qui in crure sunt, inguina statim, pubes, & partes circumiacentes prædictis oleis abundè imbuere expedit. nec desunt quamplurima alia medicamenta, quæ necessitatis loco vti possemus, nempe ex plantis, ditamnus, gentiana, centaurij, aristolochia, amaracus, & id genus multa alia. quæ in puluerem tenuissimum redacta, aut per se, aut addito liquido aliquo conuenienti & cera, sub emplastri forma, præstantissimum esset præsidium.

DE NERVIS CONTVSIS. Cap. X.

SVb duplici forma nerui, aut tendones contundi solent, nempe soluta cute, ac ijs solutis, quæ eam sequuntur, aut ipsa integra remanente, & nihil quod sensui appareat a natura recesserit, sed tunc tumor quidam eleuatur, dolor ingens a sanguine per anastomosin percolato a uenis minimis oritur, & locus affectus liuescere incipit, & cum ecchymomate affinitatem tenet, & morbus hic scissuris, aut punctu ris interdum deterior esse solet, nec curatu facilis ita redditur, ut contusa carne euenire solet, quæ facillimè suppuratur, & sic cōtusio absque multo dolore discutitur, denuoque regeneratur, quod secus est in contusis neruis, qui non nisi acerbissimo cruciatu, & longissimo tempore, ob eorum naturam, in saniem uertuntur, nec putrefacti amplius augentur, aut coalescunt. augentur enim quæ deficiunt; coalescunt autem, quæ diuisa, aut separata sunt. quare inter molestas, & cacoheticas passiones hæc enumerari solet, a Galeno semel tantū uisa, ut ipse affirmat sexto methodi capite tertio; ob id præclarissimi iubent medici [a] ut in omni neruorum attritione, aut contusione prima intentio sit euacuatio: & quia [b] in contusis, aut ab alto delapsis prima operatio est sanguinis missio, uena, nulla prohibente causa, aperiatur, uictus tenuis instituatur, & omni ingenio doloribus ac fluxionibus insistatur, præsertim in momentaneis contusioni bus. nam leues, & non solutas, tollit citò fomētum ex oleo rosaceo masticino, aut

[a] ¶Gal. 6. meth. c. 3. Aet. lib. 14. ca. 29. Paul. li. 4. c. 54. Auic. 3. 4. tr 4. c. 5.
[b] ¶Gal. 4. meth. c. 6.

camomellinum, aut unguentum alabastrinum, aut illud, quod ex succo althææ paratur, prædictis oleis solutum; valent etiam discutientia, ueluti camomellinum, anethinum, sambacinum, irinum, & rosaceum completum superpositalana hyssopi: hac ratione ea, quæ pus mouent, non admouenda censemus. siquidem hæc calida & humida sunt, ac ad putredinem faciendam maximè apta, quæ in neruis uulneratis euitari omnino oportet. hi enim, sicut caro, suppurationem non admittunt, & in saniei generatione uehementissimis doloribus cruciantur. igitur præcepto Hippocratis & Galeni, has contusiones computrescere non est necesse, sed eas solùm, quæ carnosis partibus occurrunt. Sed si cutis dissecta, exulceratáq; fuerit, ea medicamenta opportuna sunt, quæ exiccant, at simul fluxiones prohibent, quare dicebat Auicenna, si una cùm contusione plaga fuerit, medicamenta adhibere oportet, quæ ualide siccant, & dissgregatas partes vniût, dolores sedât, & inflammationes prohibent, quare in uulnere imposita terebinthina, ac hypericonis oleo, illud cooperiatur emplastro ex fabacea, & lenticea farina, oxymellite paucæ acetositatis, & sapa cum puluere lumbricorum terrestrium, & mastice, aut emplastro ex betonica, masticino, oleo soluto, aut fiat emplastrum Dioscoridis, ex cinere sarmentorum, adipe & oleo: tota siquidem sedes contusa, quæ in uia alicuius putredinis est, ualde exiccari debet, ut quæ sana est præseruetur: nec ab re est pro temporis interuallo medicamentorum uarietate uti, modo exiccantibus, modo discutientibus, modo anodynis, ut morbi essentia exegerit: & si aliqua uulneris cruditas apparuerit, & dolor non quieuerit, præparetur medicamentum ex terebinthina, pice liquida, manna thuris, vitello oui, & croco; tota regio affecta oleo camomellino, de lumbricis, masticino, rosato completo, ac de semine lini, corroboretur: & si aliqua inchoauerit inflammatio, sanguis mittatur, & tota indicatio in doloris sedatione, ac fluxionum prohibitione uersetur; quare diuersiones omnes omninò probantur, & dimissa aquatum calida, tum frigida, in oleorum resoluentium administratione stare oportet, & medicamentum superponatur ex sapa, oleo rosato, farina hordei, & modico acero, in quo infusa sit lana hyssopi, & locus cooperiatur, aut talis præparetur compositio. Recip. unguenti alabastrini, farinæ fabarum, pulueris lumbricorum, vini nigri parum, & cum pauco oximellite fiat emplastrum: & si aliqua putredo apparuerit, ea quippè tollenda est medicamento ex melle, aut Isis celeberrimo, aut p se, aut alteri admixto. Si autem articuli contunduntur, absque cutis solutione, solent nimirum materiæ quàm plurimæ pituitosæ ad locum affectum defluere, quare expedit in re notabili corpus a tali succo expurgare; & si decet, sanguinem mittere, ac victus regimen instituere; & facta prædictorum oleorum ampla inunctione, tale superponatur cataplasma ex rosis, myrtis, betonica, camomilla, farina fabacea, unguento dialthææ, lumbricis terrestribus, lixiuio claro, & sapa, aut ex alijs rebus, exiccantibus, discutientibus, ac dolores emulcentibus, vt diffuse hic inferius dicturi sumus, ubi de symptomatum correctione tractabimus.

DE SYMPTOMATVM CORRECTIONE. Cap. XI.

RARO admodum in sauciatis neruis, præsertim in punctura, rationales medici, præterquam apparentibus prauis symptomatibus, conuocantur; ob id omni laude digni sunt, qui opportunè ea corrigunt, & remouent: nec illi indigni, qui omni adhibita diligentia ea præuident, & se tutos reddunt à futuris, quæ a triplici causa produci solent, nempè à natura sedis affectæ, quæ nobilis est,

ac

ac sensus instrumentum, aut a prauo patientis regimine, una interdum cum mala totius corporis habitudine, aut Medici operantis negligentia, aut ignorantia. Illis ergò, qui ab initio conuocantur, duæ principales occurrunt intentiones, quarum prima est, ut magis ad morbum, & eius causam incumbant, quàm ad mala accidentia; & hæc præseruatio dici potest, de qua superius abundè dictum est; & fit, ne morbus augeatur, accidentium causam tollendo sanguinis missione, ventris subductione, inedia, & huiusmodi auxilijs, quibus facile tale opus celebratur; altera, uulneris est curatio, quatenus tale est, secundum eius opportunas indicationes: quòd autem ex uulneris natura, ac sedis affectæ præstantia, symptomata mala prouenire possint docet Galenus [a] his uerbis, Vulnus, quod in articulis acceptum est, ac ubi tendones, & nerui uulnerantur dolores, uigilias, ac conuulsiones causare solet: ideo Auicenna [b] dicebat, & quando uulnus est in loco, in quo oportet vt uehemens fiat dolor, & apostema, sicut sunt capita lacertorum, & eorum posteriora, ac proprie illorum, qui neruosi sunt, ex uulneribus enim quædam sunt de quibus timendum est, sicuti uulnera in neruos cadentia, & extremitates lacertorum, & multoties ea sequuntur accidentia mala de caloris alteratione, & casu pulsus post spissitudinem & paruitatem, & perducunt ad syncopin, & casum uirtutis, & quandoque sequitur spasmus, & similiter ea quæ caduntante genu apud rotulam, quoniam sequuntur ea accidentia mala, a quibus pauci liberantur. Quòd autem mala temperatura totius, praua accidentia inducere potens sit, dictum est a Galeno, [c] nam ex sola acus punctura in corpore succo prauo sca tente superuenire solita sunt: quòd etiam [d] a malo Medico id fiat, quotidiana demonstrat experientia, præsertim in Athletis, & qui crapulæ dediti sunt, ac prauo succo nutriuntur, & multi, dicebat Auicenna, prope salutem dum frigido aeri se exposuerint, atrocissimo dolore correpti, ad deteriorem dispositionem deuenere. quod Galeno euenit, dum uni medelam præstaret, qui, cum bene se haberet, ex frigore, repentinè conuulsus est: Vsus etiam malorum medicaminum id facit, vt in empiricis operationibus videtur, nec dubium est, ex malo victus regimine, vt omnes attestantur medici, in uulneribus compositis, aut membrorum nobilium euenire: a malo etiam medendi modo, aut medicamentorum incompetentia id occurrit, teste Galeno, [e] in casu pueri, quem cum in ludo literario ab altero in domestica brachij parte stylo uulneratus esset, ac Empiricorum quidam medicamento emplastico eum curare aggressus fuit, quo puer ipse inflammatione correptus, repentè sexto die conuulsus periit: de altero adhuc mentionem fecit Galenus & Auicenna, qui in manu ab acuto telo uulneratus læso neruo, ac ab empirica manu ex Thessali secta curatus, superposito emplastro ex farina triticea, oleo, & humidis rebus putredinem inducentibus, maximam inflammationem incurrit. Sed quia uaria sunt accidentia, quæ his uulneribus superuenire solent, quibus omnibus nisi consultum fuerit, uulnus sanari nequit, ea potissimum describere intendimus, quæ secum maiorem adducunt timorem, ueluti est tristis sensus dolor uocitatus, inflammatio, putredo, conuulsio, & arbitrarii motus impedimentum.

[a] ¶3. meth. c. 9.
[b] ¶4. 4. c. 2. & 3.
[c] ¶3. meth. c. 9. 4 meth. 1. & 3. [d] Gal. 3. de cõ po. med. in gen.
[e] ¶3. Katageni.

DE DOLORE.

SI alicui particulæ uulneratæ dolor, pathos siquidem est, præter naturam violenter, & affatim incidès, superuenerit, causa illicò perquiratur, quæ cognita, quamprimum dimouenda: uerum si coniuncta, aut extranea fuerit, ablata quippe cessabit dolor. extranea appellamus non tantùm quæ extrinsecus aduenium, sed quæcunque nostræ naturæ contraria aliquo modo sunt, nec ab ipsa seruari possunt: si autem alicuius medicamenti acuitas, aut acredo hoc fecerit, sæpius diem ac noctem uulnus curetur, medicamentis omninempe mordicatione expoliatis. Si uero succus aliquis prauus, aut acutus mordicauerit, ali-

qua

qua plenitudine apparente, medicamento bilem ducente, corpus denuò euacua re oportet; nam sic præcipit Hippocrates; inedia instituatur, & victus frigidus & humidus sit, mala sedis affectæ temperatura alteretur rosaceo, myrtino, & violaceo, aut vnguento rosaceo ipso adhibito, aut cataplasmate inflammationes arcente superpositō: at si ex angustia vulneris, cruciatus apparuerit, virus, aut ichor alter malus in eo retētus, sic cutis Ferro amplietur, aut ignito cauterio, aut, more Galeni tertio de cōp. med. in genere, orificio duabus sectionibus rectis diuiso, ut prauus ille succus absumi possit, & melius sanies effluat, & cōmodiùs medicamētorū vires ad profundum perueniant; sic. n. egit Galen. [a] in iuuene illo effœminato. cùmque causa abdita, ac absconditа fuerit, calorem sedis vulneratę corrobo rare oportet, vnctionibus, fomentis, ac emplastris exiccantibus, discutientibus, ac putredinem sistentibus, donec dolor ex toto tollatur. nam si is vehemens fuerit, etiam in corpore ab excrementis puro, fluxiones irritat, particula omnis, quæ dolore affligitur, succum copiosiorem, quàm illi sit ex vsu, trahere solet, vnde frequenter inflammationes excitantur. Tolluntur huiusce modi dolores, aut saltem mitigantur adhibito ad particulam fomento vt iubet Galenus, [b] & Auicenna ex pannis calidis, aut ex rosaceo, vel communi oleo calido, diu nēpe vt doloris causa euaporetur, aut discutiatur vetus autem sit tale oleum, aut saltem cùm radice liliorum alborum aut lumbricibus terrestribus bullitum, porrò ex methodo est vt cutis vulnus perpetuò apertum inglutinatumque custodiatur, quò per id ex neruo vulnerato sanies effluat, & totum corpus a superuacuis humoribus liberetur; deinde ne quis dolor vulneratā partem vrgeat, elaborandū est. medicamenta igitur excogitare oportet, quæ vulneri imposita, vtrunq; mirū in modū respiciāt, tū vt dolorē mitigent, tū etiā vt exitū sanici patefaciant. eligatur itaq; oleum vetustrium, aut quatuor annorum, cuius generis sabinum est, id quippe quod recens magis per halitum digerit, quodque magis est antiquum, magis digerere potens est, verum dolores minus sedat; quod crudum est reprobatur, vt omphacinū & quod denique astringendi vim habet, vt myrtinum, & quod crassam obtinet naturam, vt hispanum. nam talia neruos vulneratos nihil iuuant, qui subtilia medicamenta requirunt: at quia sabino oleo, quod in regione Romana exprimitur, carmus, eo vtimur, qđ ex rosis, & oleo maturo fit, aut cōpleto vocato, aut camomellino, aut liliaceo, aut ex semine lini, aut eo mirabili, quod ex terrestribus lumbricis, & oleo antiquo paratur: atque omnia, quæcunque applicanda sunt, calida esse debent, non tamen ut mordeant: quæ frigida enim sunt neruis sunt inimica; ita & quæ calida ualde sunt, eis non prosunt; ob id dicebat Princeps, Noli dolores locorum neruosorum, calida aqua remittere, sed oleis subtilium partium calidis, vsque ad terminum non superfluæ caliditatis: nam calidum aut frigidum in summo [c] non conueniunt: calidum siquidem actu discussorium, ait Hippocrates [c] dolores sedat, ac conuulsiones remouet: in hoc affectu duplici de causa oleo vti conamur, nempe vt medicamenta attenuentur, & vt dolores demulceantur; secus uerò [d] aqua, & oleum his uulneribus aduersantur. possunt hęc longo usu halitum prohibere, & putredines inducere: hac [e] ratione emollientia omnia sectis neruis aduersantur; uerum urgente necessitate, quia oleum dolores sedat, ac mineralium medicamentorum mordicationem minuit, usui seruatur: in oleo, dicebat Galenus [f] duæ simul consistunt facultates, mitigatoria uidelicet, & quę ualida pharmaca obtundunt, siue acri, siue austera sint uirtute prędita: ergo [g] his, quę iuuant bis, terue in die locum fouere competit, quin etiam in nocte, interim, si expedit, abstergatur quàm leuissimè uulnus bombice, aut lana sapa tepida infusa, & expressa, inde aliquod opportunum medicamentum imponatur, ac desuper alterum, quod non tantum ipsum uulnus contegat, sed sanas quoque partes apprehendat, nempe illud celebre barbarum, aut illud probatum diaphinicones, aut argideum, aut de gummi elhemi, aut nostrum sanctum: uerum, si ab his nō quie-

10

a ¶6.meth.c.3.

20

b ¶3. Katageni. ubi de medicamento diabotō, & ubi de medicamento ex rebus humidis.

30

c ¶5.Aph.23.

d ¶Gal. 6. meth c. 3. Auic.2. 3.dist 2.c.1.

e ¶ Gal.6 meth c.2. 3. & 1.ad Glau.dist.3.c.6.

f 5.Katageni.

g ¶3.de comp. med.in gen.ob de neruis sectis in descriptione medicamenti e metallicis.

40

50

10 quieuerit æger, aliquod cataplasma præparare oportet ex his, quæ sedare dolores possunt, anodyna vocata, ex floribus camomillæ, sertulæ campanæ, maluarū, farina hordeacea, ac semine lini, decoctis oībus in brodio capitis veruecis, addi tis ouorū luteis cū rosaceo & sapa; nos verò sæpè experti sumus & utilissimū adinuenimus, linimētū ex vitellis ouorū, vnguēto rosato Mesue, & croco; pariter medullā panis in maluarū decocto ebullitā, ac tritā, addito oui luteo, rosaceo, & aliquātis per vnguenti marciatonā multis [a] probatur vnguentum de ranis, aut tale paretur. Recip. radicum althææ, liliorum, foliorum meliloti, maluarum an. m. j. bulliāt in brodio capitis ueruecis, pistētur oīa, ac per cribrum trāsmittantur, & addita bdelij uino soluti unc. s. uermium terrestrium, unguenti rosati an. unc. j. rob

20 q. s. pro emplastro: postremò his non conferentibus, læsum membrum, antequam superueniat dolor, in calenti oleo communi immergatur, & collum, & nucha, & spina, & axillares partes camomellino, ac liliaceo oleo calido inungantur. Si nero insuperabilis ac timorem incutiat dolor, tale paretur cataplasma. Recip. foliorum iosciami albi, solani hortēsis an. scrup. j. fiat fasciculus. & decoquātur oīa sub prunis, & pistentur subtilissime, & Recip. lactis pinguissimi vaccini unc. vj. medullæ panis triticei tritę unc. iiij. olei rosati unc. ij. bulliant simul usque ad aliqualem spissitudinem, & adde folia prædicta, & fiat cataplasma, quod est mirabile.

a ¶ Actuarius lib. de com. me Nicolaus Flore. cap. de cura dolor. iunctarurū. Petrus de Tusignano c. de podagra, & sciatica.

DE INFLAMMATIONE.

30

INTER accidentia, quæ secto neruo Medico magnum negotium facessunt, ac ægrotanti periculum afferunt, sunt inflammationes [a] quas sequuntur febres, dolores, putredines, & conuulsiones, nec una tantum, aut propè uulnus solum apparere solet, sed quàm plurimæ, ac uarijs in locis, & ut plurimum de calidorum genere producuntur: hæ, ut cæteræ phlegmones, in principio non curantur apocrusticis medicamentis; nam frigidum [b] neruis, ac cerebro aduersatur, & conuulsiones, ac rigores febriles mouet: nec minus emplastrum ex aqua, oleo, & triticea farina constructum, quod triapharmacum uocant, ab antiquis probatur: quod aliis phlegmonibus prodesse solet; multi enim, Galeno teste, [c] huius medicamenti applicatione, manu nempe empirica, in spasmum inciderunt. ob id de hac curatiua methodo agens Auicenna inquit, Cum ex dolore oritur inflammatio, tuto operatur si quis uulnus latius reddiderit, ac totum corpus sanguinis missione inanierit, vtique si ualida fuerit uirtus. at si uitiosis succis scatuerit, protinus purgetur, uictus tenuis instituatur, stare aut deambulare alienum sit, affectum membrum commodè locetur, aer temperatus eligatur, & mane aut uespere plaga curetur; sedes uerò phlegmone laborans bis, terue in die. in nocte etiam, si longa fuerit, soluatur, ac rosaceo calente, uerum ita, ne uulnera tam partem offendat, foueatur; eo etiam moderatè calefacto, addito liliaceo, ceruix, collum totum, uniuersa spina dorsi, ac emunctoria omnia inungantur, & la-

50 na molli rosaceo imbuta tota tumida pars cooperiatur: & quia antiqui sedem uulneri per quatuor digitos superiorem lana quàm mollissima oleo ac aceto madefacta circuuoluebant, ac si pro inhibitiuo præsidio haberetur. recentiores, hoc spreto auxilio, partem iecori propinquiorem tali linimento fouere solēt. Recip. olei rosati, succi plantaginis an. unc. j. ouorum uitellos nume. ij. boliarmeni, sanguinis draconis an. drag. iij. croci scrup. s. misce, & fiat linimentum. Vulnus curetur, ut occasio præcipit, sumpta indicatione ab eius essentia, & symptomatum natura: inflammatio regatur prout eius tempus exposcit, nempe si ad incrementum tendit, duas requirit indicationes, remeare quod perpetuo fluit, & quod iam fluxum est discutere: hac ratione ab antiquis quam plurima comprobantur medicamenta, ueluti fabacea farina, orobi, cicerum, hordei, amarorum lupino-

a ¶ Oribasius Paulus. Auicenna.

b ¶Hipp. lib. 4. de articulis. lib. de humid. usu. 3. reg. acut. 41. & 5. Aphor. 18. Gal. 6. meth. c. 3 Auic. cap. de Apost. ner.

c ¶ 6. meth. c. 2 & 3. Katageni in casu à Principe citato.

rum

rum cum oxyrhodino,aut oxymellite, sed quod magis uenit in usu, Recip. granatorum inter dulcem & acrem saporis medij numero.ij.decoquantur in vino nigro, subtilissimè terantur, ac per cribrum transmittantur, & adde farinæ hordei vnc.ij.pulueris foliorum rosarum,camomillæ an.vnc.j.olei rosati,rob.q.s.pro emplastro;aut Recip.foliorum rosarum,betonicæ,camomillæ an. m.j. decoquantur in vino nigro,& pistentur,& adde farinæ fabarum vnc.ij.hordei vnc.j. olei masticini,rosati completi an.vnc.ij.misce & fiat emplastrum;pars quidē affecta sic corroboratur, ne inde nouas recipiat fluxiones: si verò inflammatio in consistentia fuerit constituta,quanquàm Chirurgus nihil omiserit,non modo quę ad proprij affectus curationem spectant,sed etiam ad symptomatum præuisionem, alterum duorum spectare oportet,aut discussionem,si tenuis fuerit materia, aut suppurationem,si crassa. Si igitur tenuis,Recip.foliorum maluarum,violarum, florum rosarum,meliloti an.m.j.hordei,fabarum detractis corticibus an. m.j. medullæ panis opiri vnc.x.bulliant in sufficienti aquæ quātitate,donec hordeum aperiatur, inde subtilissimè terantur,ac per cribrum transmittantur, & adde olei rosati cōpleti,camomellini an.un.ij.rob.q.s.pro emplastro. Si autem materia eterogenea fuerit,Recip.florum camomillæ,meliloti,stœchados,pulegij an.m.j.farinæ fabarum,hordei an.vnc.iij.decoquantur in brodio capitis castrati,pistentur, & adde olei camomellini, rob. an.q.s. pro emplastro. cùm autem phlegmon discussoriis præsidiis non tollitur,suppurationem expectare oportet,ob id tūc temporis a me dicamentis pus mouentibus auxilium quæratur;ea quippe sunt, quæ calefaciendi addita temperata humectatione vi pollent, glutinandi potentia non expoliata, & glutinis instar cutis poros obstruentia. fiat igitur cataplasma ex farina triticea, communi oleo,& aqua:aut ex farina triticea sapa & oleo rosato.& si hoc, quod triapharmacum vocant,non iuuerit,illud paretur,quod tetrapharmacū, aut enea pharmacum a græcis nuncupatur:sanie iam collecta vbi cutis tenuissima se ostenderit,tumor aperiatur,postmodum quod residet præparetur,& sinus,vt decet,curetur:si vero dolor affectam sedem occupauerit,anodynis vti expedit,non in vulnere,sed in eius cōsortio,veluti emplastrum quod paratur ex medulla panis & lacte,aut ex maluis decoctis & butyro,aut ex vitellis ouorum & rosaceo,aut ex his omnibus,aut aliquibus:ea vero,quæ ex metallis & aceto conficiuntur, probātur ab antiquis,at non in vulnere, quod medicamenta omni mordicatione expoliata expoſcit,sed circa ipsum vulnus:hoc interim negligendum non est,sed requisitis indicationibus curandum. Vnum adhuc aduertendum omnino est, in dignoscendo loco suppurante,præsertim in sedibus cartilagineis,chordis, neruis,& ligamentis scatentibus. nam Medici in his locis ad sectionem venientes sæpe errāt, isque error interdum duplex est,& quòd nullo modo ibi pus inueniatur,cùm hęc loca multò crassiora sint quàm opinentur,& ea videantur suppurare,quæ mucosum humorem in se continent;quod euenire solet, quoniam huiusmodi humor, vbi tangitur,citò elabitur,ac inundare videtur.

DE PVTREDINE.

a ¶ Gale. com. 2.de artic.in fine.Auic. cap.de uul.ner.
b ¶Gal. 2. meth.c.5. 6. meth. cap. 2. & 4. de cap. m.c.3.

NOn rarò in sauciatis neruis occæcato cutis vulnere,ac humiditatum prohibita transpiratione praua symptomata oriuntur, quod etiam medicorum ignorantia,aut insciti euenire solet, nimia nempe producta putredine; quod facile euenit: nam [a] nerui ex humida materia geniti sunt a frigido coagulata,coque magis,si affectus calidis ac humidis medicinis curatur, a quibus [b] putredines gignuntur,quæ,dum apparent,sedem ipsam læsam,aut phlegmone laborare,aut in via corruptionis esse ostendunt; & tunc humiditates in tanta copia a vulnere efluūt,vt ferè incredibile sit a quosa nēpe ac subtilis a græcis ichor, & vulgo virulentia nuncupatur.multoties etiam talis materia crassior, ac glutinosior

nosior est,subalbida,melliq́ue albo subsimilis;fertur hæc ex vulneribus vbi nerui circa articulos læsi sunt, & inter hæc loca maxime ex genibus meliceria vocatur, & sapit pituitæ naturam:siquidem [a] nerui a frigidis, & glutinosis humoribus replentur,ex quibus etiam nutriuntur;porrò soluta eorum vnitate, imbecilles reddūtur,& simile nutrimentum non cōcoquunt.quod inde sub tali forma per vulnus expurgatur,& vehementissimis eget exiccationibus:hac ratione dicebat Auicenna,si in uulnere multa humiditas apparuerit tenuis,& virulenta, nō ab re erit vsus trochiscorum colchotar, aut Andronij, aut prasium vino decoctum: quod etiam Galeni præceptum est, [b] qui dubitare nequit etiam detectis neruis nimia apparente humiditate celebres illos Andronij, aut Poliidæ, aut Pasionis trochischos applicare,præsertim vino solutos vsque ad mellis spissitudinem:asserēs Poliidæ pastillos,quia temperatiori natura præditi sunt,tenuioribus corporibus magis conuenire;Andronij verò siccioribus.nihilominus in hoc symptomate medicamentorum quatuor formas probare videtur,quarum prima ex aridis minerali bus confecta sub triplici modo describitur,quorum alter altero validior est; nam imbecillior sic fit,Misi,chalcitidis adusti,nitri an. drag. j. squammæ æris drag. iij. misce;validior sic paratur,Misi,chalcitidis,æruginis an.drag.j.comburantur omnia ac pistentur,& additis squammę æris drag.iij.ceræ drag. iiij. fiat medicamentum; magis valida recipit chalcitidis crudi drag. j. misi crudi drag. ij. squammæ æris drag.iij.fiat puluis subtilissimus:Secunda ex liquidis medicamentis fabricatur, ac pariter sub duplici compositura congeritur. prima continet opopanacis drag.iij.picis drag.xij.aceti vnc.iij.bulliant simul aliquantisper, & est opportunum messoribus,ac militibus;tenuioribus uero, aceti loco, oleū antiquum imponatur:secunda,medicamentum diaeuphorbiū est,sic fit,Euphorbij recentis vnc.s. ceræ unc.j.s.olei antiqui unc. vj. bulliant parum:tertia,antidotum est ex agrestiū columborum fimo,interdum aceto,interdum oleo antiquo soluto:quarta,medicamentum est mite,quod neruis denudatis,ac corporibus effœminatis saluberrimum est,sic conficitur,Resinæ,terebinthinæ un.iij. calcis uiuæ pluries lotæ dra. j. olei masticini lumbricati q. s. at si materiæ quàm plurimę crassæ, ac a putredine non alienæ apparuerint;ab Auicenna,commendatur,& ualet serapinum cū orobi farina;uerum si fœtor aliquis percipitur,isi medicamento utendum est;& si putredo dignoscitur,non est excusatio ab ægyptiaco,aut per se, aut alteri admixto, nempe regali,aut basilicone,quod mirificè locorum neruosorum ulcera corrosiua,aut putrida corrigit.probat tamen Galenus & Aetius,nisi hac putredine farinā orobi,fabarum,ac eruinam cum lixiuio stillaticio cum oxymellite, aut syrupo acetoso decoctam.si autem substantia nerui detecta,ac putrida exierit, tunc expedit,ait Princeps,eam omni diligentia amputare,inde vulnus,ac si recens esset,curare.

a ¶Gal.1. Aph. com.26.& com. 2.de articulis.
b ¶3. de comp. med. in gen.ubi de medicinis ex metallis, & 6. meth. cap.3.

DE CONVVLSIONE. Cap. XII.

a ¶Gal.4. meth. c.3.& 13.meth. cap.1.

INter affectus præternaturales, qui in soluta continuitate consistunt,& dolorum,inflammationum,uigiliarum,delirij, ac cōuulsionum periculum afferunt,sunt neruorum,ac locorum neruosorum uulnera; siquidem hæc ferè semper huiusce modi comitātur symptomata,atque illud præsertim,quod græci spasmon,& latini conuulsionem appellāt uulnera igitur neruorum,& si minima fuerint,in magnum sępe conuertuntur morbum,ac longe timendum.Hac ratione de spasmo sermonem habituri,quid sit spasmus, quę eius differentię, quibus modis producatur,quę sint eius propria accidentia,qualis prędictio, & quot modis curari possit,declarare primo tenemur, quamuis [a] curatiua methodus ab aliquo symptomate sumenda non est, sed a morbi propria essentia; symptoma nanque interdum

interdum curationem peruertit, non tamen ut tale, sed in eo quod morbus, aut causa fuerit dicimus [a] ita quod spasmus motus deprauatus est uoluntariæ facultati motrici accidēs, & est neruosa ægritudo, qua mouentur lacerti ad suum principium, unde posteà extensioni fiunt inobedientes, & est principalis affectio eorū neruorum, qui uoluntatis imperio obediunt: hac ratione dicamus, quòd conuulsio motus est neque uoluntarius, idest secundum hominis uoluntatem, & arbitriū factus, neque naturalis, idest a natura productus, ad hominis uidelicet utilitatem & conseruationem; sed motus est non uoluntarius, ac præter omnem hominis intentionem, ac eius destructiuus: Sed, ut magis hæc descriptio intelligatur, uidendum est, quid ex anatome apprehenditur; motus omnes iubente anima facti, qui à musculis, ac tendonibus, tanquam ab eorum instrumentis exercentur, fiunt dum musculi uersus eorum extremitatem, ac principium, & radicem contrahuntur; secum nimirum omnia membra illis annexa, & unita ducentes, ut sunt nerui, tendones, & ligamenta. nam motus nullus utiq; fieri posset animalibus uoluntarius absq; musculis. Siquidem musculi propria ipsius instrumenta sunt ob uirtutem eis à cerebro delegatam per neruos, qua etiam sensu præditi sunt. Cum igitur ab affectu aliquo præter naturali lacerti, tendones, aut nerui punguntur, inflammantur, aut altero modo læduntur secundum motum naturæ præter hominis uoluntatem cerebrum uersus tanquam eorum primam radicem & ortum remeant, ac inde motus contractiuus sequitur non uoluntarius earum partium, quæ uoluntatis imperio parent, & spasmus uocatur: hac [b] ratione pasio hæc nec ossibus, nec ligamētis attribuitur, sed musculis, tendonibus, ac neruis ueluti propriis instrumentis artitis motus, qui dum deprauatur, fit non uoluntarius, immobilis, ac tensus. neruorum distētiones, ait Gal. [c] sic fiūt, quum ipsi musculi primo ac præcipue seipsos, deinde partes ad quas perueniunt, ad suum initium contrahunt, per hunc [d] enim affectum actio nequaquā ablata est, ut in paralysi, sed solum immutata, ac uitiata.

a ¶Cels. libr. 4. c. 3. Gal 5. Aph. com 5. 6. Apho. comm. 39. 5. de cauf. symp. ca. 2. com. 4. de fract. Hipp. lib. de trep. rig. & spasmo. Rasis lib. de ægrit. ner. c. 24. Auic. 2. 3. c. 5.

b ¶Gal. 3. de loc. aff. cap. 5.

c ¶Galen. 5. de symptom. causis. Auic. 2. 3. cap. proprio.

d ¶ 3. comm. de fract.

CONVVLSIONVM DIFFERENTIAE.

TRes sunt [a] conuulsionum differentiæ seu species, quarum una quæque a sede affecta, in qua nerui ac lacerti extensioni inobedientes facti sunt, nomē sibi sortitur: porrò si in anteriori hic affectus oritur, conuulsio hęc græca uoce emprosthotonos uocatur, ab hac dictione græca emprosthen, quæ ante significat. tunc siquidem ante & supra pectus suum inclinatur conuulsus. a latinis conuulsio cōsueta, aut domestica, dicitur, si posteriorem occupauerit. opisthotonos dicetur ab ea græca dictione episthen, quæ retrò denotat, ac si conuulsus in collum, & partem posteriorem pendeat, a latinis cōuulsio scapulosa, aut siluestris uocatur. cumq; nec hanc, neque illam læserit, sed tensus, ac rectus permanet conuulsus, græcè tetanos, idest totum extensum, & latine tensio, siue distentio uocatur, & est conuulsio [b] composita ex anteriori ac posteriori motu non uoluntario, in quo [c] nequit uideri in qua parte conuulsio orta fuerit; sed tantum rectus, ac immobilis remanet conuulsus. nullus morbus, inquit Celsus, [d] importunior, acutiorq; est, quàm is, qui quodam rigore neruorum, ac lacertorum modo caput, scapulis, modò mentum, pectori annectit, modò rectam & immobilem ceruicem intendit; Princeps [e] uerò, cum distinctè has conuulsionum differentias declarasset, ait, Si cōuulsus ad posteriorem inclinauerit, tunc pasio in lacertis dorsi gignitur, & cum ad anteriora declinat, thoracis musculi conuulsi sunt, & si rectus ac immobilis permanet, tunc utrobique & anteriores & posteriores musculi æqualiter tensi facti sunt: cæterum ex præfatis conuulsionibus quædam uniuersales sunt, quædam uerò particulares. uniuersales dùm noxa ipsi cerebro communicatur, & ad ipsum peruenit, quod tanquam molestum & iniuriosum aliquid percipiens uehemēti conatu eam expellere nititur, in quo motu & neruos & alia neruosa corpora ad se con-

a ¶Hipp. lib. de diebus iudic. & li. de inter. affec. Gal. 4. Aphorif. com. 57. & libr. de rig. & spasmo.

b ¶Gal. 5. Aph. com. 6.

c ¶Gal. 4. Aph. com. 57.

d ¶Lib. 4. ca. 3.

e ¶2. 3. doctr. 2. cap. 5.

se contrahit & conuellit, & tunc aut anterior, aut posterior pars, aut æqualiter totum corpus fit tensum, & conuulsum: particularis uerò fit quandò cerebrum non affligitur, nec ullam noxam percipit, sed particula aliqua læsa, aut tensa, aut recruata remanet: circa faciem morbus talis innascitur, quem græci cynicum spasmū, idest caninum nominant: lingua pariter interdum aut per se, aut alterius morbi cōsortio conuellitur, ut uel nullo modo uel corruptè loquatur: sæpè manus una interdum ambæ conuelluntur, ut Antonomo [a] euenit, qui ex capitis summa parte uulnerata ambarum manuum conuulsione affectus est. Dantur adhuc alię conuulsionum differentiæ quàm plurimæ, nonnullæ nimirum à causis denominatæ, nam aliquæ materiales, aliquæ sine materia producuntur, aliquę proportionatę, & aliquæ non proportionatę uocantur, alię humidę, alię siccę sunt, multę per se, & multę consortii lege, uel ex affinitate producuntur, de quibus omnibus inferius multa dicturi sumus.

a ¶Hipp. 5. Epidemiarum.

CONVVLSIONVM CAVSAE.

OMnes [a] conuulsionum causę potissimę, seu affectus omnes, qui conuulsiones pariunt, sub duplici ratione à medicis collocantur, nempè sub diuersarum humiditatum nimia copia & plenitudine, qua instrumenta arbitrarii motus replentur, & occupantur, ut à magnis inflāmationibus euenisse cōpertum est, aut earum defectu & inanitione, ut ab ardentissimis febribus, aut nimio sanguinis fluxu: à plenitudine quidem ita fit conuulsio, neruosum genus crassis & glutinosis materiebus nutritur ac repletur, repletū uerò intenditur, & extensione trahitur ac abbreuiatur nō secus quàm fidiculis; idest citharārū chordis euenire cōtingit, quū in loco humido seruātur; quapropter repletis neruis, aut neruosis partibus aliena humiditate, cōuulsio è repletione procreatur; ex inanitione uerò qñ ex humidi penuria exiccātur, & breuiores fiunt: uerū. & si tertiá nō inueniri causam confitetur Galenus, [b] secus tamen credit [c] ad mentem Hippocratis & Platonis; nam & tertia uideri solet, non primò in cerebro, aut membris conuulsionibus destinatis, sed per affinitatem, aut horum membrorum consortii lege cū aliis membris aliquo morbo affectis, ut à lęso [d] uentriculo euenire solet, dum acuto aliquo humore, aut acri medicamento, aut ueneno pungitur, aut mordicatur, aut dùm altera corporis pars ueneno affligitur, & inde cōuulsiones subsequuntur, noxa si quidem cerebro contristanti iam communicata, & hæc conuulsio nō proportionata uocatur.

a ¶Hippo. 6. Aphor. 39. Gal. 6. Aph. comm. 29. 4. Aph. com. 57. 5. Apho. com. 1. 3. inter. c. 5. 6. in ter. c. 5. Act. li. 6 cap. 38. Paul li. 3. ca. 19. Auic. 1. 3. tr. 5. ca. 8. & 2. 3. cap. 5.

b ¶3. de comp. fm loc. ca. 7.

c ¶5. Aph. com. 1. & 5.

d Gal. 5. Aph. com. 1.

CONVVLSIONVM PRODVCTIONES.

SAm dictum est [a] quòd hoc symptoma in uirtute motiua, aut ex repletione, aut compatiendi societate, hoc est cerebro, lege commercij patiente produci solet, præsertim in singulari aliqua parte, dum fortis quis morbus, ut maxima inflammatio est, eam occupauerit; nam si illius sedis lacerti, aut tendones, aut nerui, nimia humiditate aliena repleti fuerint, contrahuntur, & conuulsi fiunt; quod sectis neruis aut tendonibus sępissimè occurrere solet, occęcato nempe uulnere, nullave aut discussa, aut euacuata uirulenta humiditate, qua facillimè nerui ipsi, aut tendones, replentur, quo fit ut tumeant, & breuiores fiant, ac nucham uersus, aut cerebrum, a quibus originem ducunt contrahantur, ducentes nimirum secum imbibitas superfluitates, unde nobilia hęc membra noxam cuitantia contrahuntur, & ad suam recurrunt originem, quærentes interturbantem causam expellere, unde ex tali motu expulsiuo cerebrum in se contra hitur, & hic motus, [b] epileptico assimilatur. cerebrum quippe [c] in se ipso corrugatum, neruos omnes, ac neruosa omnia illi annexa, & alligata, aut secundum

a ¶Gal. 3. de no. loc. aff. c. 1. 5. de symp cau. ca. 4. 5. Aph. cō. 2. & libr. de rig. & spasmo. 11. de usu par. c. 2. 2. de art. com. 2. & 3. de art. com. 100.

b ¶Gal. com. 3. li. de art. Hipp. 3. de not. loc. af. c. 10. Auic. 1. 3. tr. 5. cap. 8.

c ¶Galen. 5. de symp. cau. ca. 8. & com. 3. lib. de art. Hipp.

corum originem, aut nucha mediante, contrahit, & vniuersalis conuulsio produ-
citur, siquidem [a] ob cerebri nocumentum & nerui, qui ab ipso oriuntur, de ne-
cessitate affliguntur: ob id sequitur [b] quod conuulsiones, quæ sauciatis neruis oc
currunt, præcedente aliqua inflammatione perpetuò fiant, in genere quidem sic
neruorum distensiones, cum ipsi musculi primo ac præcipue seipsos, deinde par-
tes ad quas perueniunt, ad suum initium contrahunt, porrò ea membra primò in
tenduntur, quæ è directo inflammatis opponuntur, inde, quamprimum affectus
cerebro communicatur, per totum corpus conuulsio extenditur: sic enim produ-
citur illud symptoma in uulneratis, quod conuulsio ex repletione nunquapatur, ni
mius [c] uini usus, neruos pariter replet, & conuulsionem facit. dictum est enim, si
ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur.
Conuulsio ex inanitione, id est ob humiditatis penuriam, generatur neruis exicca
tis, exiccantur nempe dum proprio alimento priuantur, interdum ex nimio æstu
sub ardentissimo cœlo; porrò dictum est [d] ab æstibus fortibus conuulsio aut di
stensio, malum: verum pro æstibus fortibus aliqui ardentes febres exponunt. nam
[e] febrem conuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionem. alii am
bientis aeris feruorem, & multi cauteria intellexere, & omnes verum dicunt. fri-
gus vehemens & intensum, conuulsos reddit homines. summatim enim dictum est
[f] frigus conuulsiones, distensiones, liuores, ac rigores febriles facit: sicuti enim
non decet neruorum substantiam a nimio calore dissolui, sic nec ultra modum cō
uenientem, refrigerari: post febres etiam combustiuas, nerui exiccantur. nam di-
ctum est [g] in acutis febribus conuulsiones, & circa viscera dolores fortes ma-
lum. febres enim vehementes, veluti ignis, neruos exiccant, atque conuellunt, &,
propter hoc, malas afferunt conuulsiones. conuelluntur nerui dùm propria hu-
miditate priuantur. nam dictum est, [h] vbi sanguis plurimus effluxerit, singultus,
atque conuulsio malum: nec solum in hac, sed in aliis euacuationibus uerificatur
hic aphorismus, ex superflua [i] enim euacuatione conuulsio aut singultus super-
ueniens malum. idem facere solent longæ inediæ, superfluæ vigiliæ, copiosi sudo-
res, multi uomitus, ac quæcunque naturales neruorum humiditates attenuare ac
dissoluere possunt. nam [k] fames corpora siccat, & in vigilia conuulsio mala:
multę vigiliæ ex his sunt, quæ vehementer corpora siccant: sicut [l] enim lora ab
igne exiccata, contrahi uidemus, sic & in neruis aut tendinibus occurrere potest:
in exterioribus lora, aut cithararum chordas extensas inspicimus, vbi vehemen-
tius exiccantur, aut multa madent humiditate; sic & in corporibus animalium fie-
ri par est, & conuelluntur. Fiunt etiam conuulsiones propter compatiendi
societatem, quæ tamen uerę conuulsiones non sunt, sed accidentia conuulsiua,
cū ex[m] acerrimo dolore, ut in Harpali filio ex Liberta Telephone, compertū est.
qui cum luxationem in magno pedis digito acceperit, inflammatus est, & dolore
plenus, & vbi repositus est, dolor remisit, rediens postea lumbis doluit, maxillæ
ad noctem conserebantur, & episthotonos aderat, saliua spumosa per dentes uix
foras prodibat, & tertia die mortuus est; aut [n] acri medicamento, ut Trinoni Da
monis filio occurrit, cui dum haberet circa tibię malleolum vlcus iuxta neruum
sanè iam purum, a pharmaco corrosiuo, contigit ut episthotono moreretur: aut
succo acuto, [o] aut veneno, aut causa simili, quæ noxam neruosis partibus pri-
mo, inde cerebro inferre solet, contingere potest, non tamen illico, aut immedia-
tè, ut in materiali spasmo occurrit. nam in conuulsione consortij lege cerebrum a-
liorum membrorum participatione patitur; aut ab aliqua euaporatione, & mala
temperie, & non à succo diuerso; attamen in hac etiam contrahitur cerebrum, &
fiunt motus aliqui conuulsiui, qui ab Arabibus spasmi non proportionati, & a La-
tinis per consensum vocantur. Sed quia instituti nostri non est de his sermonē ha
bere, sed de ea tantum quæ uulneratis neruis interdùm occurrit, hęc nunc sint
satis.

CON-

a ¶Gal.3. Aph. com.24.
b ¶5.Aph.cō.2.
c ¶Hippo.5.Aphor.5.& 2. de morbis.
d ¶7. Apho.13.
e ¶2.Aph.26.4. Aph.57.libro.1. de morbis. li.de locis in homine.lib.de Coac. prænot.
f ¶ 5. Aph.47. 3.reg. acut. 4.& libr. de humid. usu.
g ¶4. Aph. 66. & lib. de Coac. prænot.
h ¶5.Apho.3& 5 6.7.Apho.9.& libro.de Coac. prænot.
i ¶5. Apho. 4.7. Aph. 3. & 25.li. de Coac.præno. & lib. de usu ue ratri.
K ¶7.Apho.18. Galen.3.de not. loc.aff.c.5.
l ¶ Gal. 5. Aphor. com.8.6. Apho. com.39. 2.de loc.aff.c.2. 3.de loc.aff.c.5. 6.de loc. aff.c.5. com.2.de artic.
m ¶Hipp. 6. Epidemiarum.
n ¶Hipp.ibidē.
o ¶Gal.5. part. Aph. com.1.

CONVVLSIONVM NOTAE.

NONNVLLAE notę, in aliquibus conuulsis, ita dignoscuntur, quòd clarè conuulsionem a plenitudine productam esse, indicium præstant, nempè [a] cum uiolenter ac repentinè apparuerit: præsertim in morbi initio & diu perdurat, aut cum tremor, aut contractio, aut ægra, seu difficilis membri dimotio inchoauerit. nam corporis [b] motus, & vires in neruis musculis & ossibus consistere uidentur: portendit pariter conuulsionem, aliqua colli tensio, dum magna cum difficultate ceruices agitantur, & partes, quæ transglutiendi, ac expuendi operationibus, inseruiunt, affliguntur: sæpe labra contrahuntur, aut perpetuò patientes ridere uidentur, aut vnà cum dentibus ita coeunt, vt cum patiens nutrimētum recipere nequeat, necessario vitam cum morte commutare cogatur: ait Hippocrates [c] si ex vulnere tetanus, aut distensio neruorum introrsum ac retrorsum fiat, ęger hæc patitur, maxillę cōgelantur, ac rigent veluti ligna, os interdùm aperire non potest, oculi frequenter lacrymantur, ac distrahūtur, dorsum induratur, & crura flectere non potest, neque manum, neque spinam: cùm verò letalis fuerit, potus, & cibus, quos prius accepit, per nares quandoque reddūtur, sitis multa hominem opprimit, quem necesse est febre corripi, lingua exasperatur, & sicca fit, color totius primum pallidus est, progressu vero temporis nigrescit: dicunt vulnerati interdum nullum verbum proferre posse, vt *illi* euenit [d] magnę nauis Gubernatori, cui Anchora digitum indicem & infernum os dextrę manus confregit, inflammatio succesit & febris, post septimum diem sanies exibat lenis, postea maxima cum difficultate, lingua dixit se non omnia posse enuntiare, prędictum est episthotonum superuenire, & tertia die totus conuulsus in posteriorem partem, sexta a prędictione cum sudore mortuus est: peruertitur nonnunquam facies, aut os, & oculi strabi fiunt, perpetui adsunt dolores, singultus, & alienationes: at si nonxa membris anhelitus communicatur, & septum patitur, cordis temperamentum cortumpitur, febris oritur, pulsus diuersus extensus & durus percipitur, vrinę turbidę & magna cum difficultate, aut inuoluntariè redduntur, vltimo uulnerati magno cruciatu suffocantur. Potissimum indicium conuulsionis humidę ab Hippocrate [e] sub hoc separato sermone denotatur, quibus tumores in vulneribus apparent, non conuelluntur maximè, neque insaniunt, uerūm his euaneascentibus rēpentè quibusdam a tergo conuulsiones & distensiones fiunt, quibusdam autem in sania, uel dolor lateris acutus, uel suppuratio, uel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicūdi: hac ratione si humor ille, qui tumorem faciebat, ad aliquod principale intestinum remeauerit, in posterioribus neruosis conuulsiones, in anterioribus venosis insaniam, si fertur ad caput: si ad thoracem lateris dolorem, pleuresin uocant, generare solet. sępissimè uerò hi suppurantur non discusso humore. Adhuc dictum est [f] si in uulneribus prauis & fortibus existentibus tumor non apparet, ingens malum; ea nempè uulnera praua dicuntur, quę in capitibus, aut finibus musculorum, & maximè neruosorum occurrunt, nam in eorum initio nerui, & in fine tendones multi oriuntur, ob id sequitur [g] quòd qui uulnere affliguntur propè genu in fine coxę repente moriuntur, ibi nanque in partibus genu anterioribus magnā uidemus chordam, in qua per compatiendi rationem, rationabile est magis fieri conuulsionem, quàm alibi in posterioribus, ubi partes ferè omnes carnosę sunt. Huius symptomatis rationes assignat Galenus [h] dum inquit, uulnera, quę conuulsiones afferunt, non suppurantur omninò, siquidem nihil mali potest aduenire ulceri pus generanti, nam [i] laxa uulnera bona sunt, sicca verò mala, & bonitas hæc penes naturam concoctionis, siccitas penes quantitatem consideratur. nam suspicandum est ne humores ad uulnera defluentes ad partes principaliores transmittantur, præsertim ubi dolor aliquis apparet. maximè autem pa-

Q 2 tiuntur

a ¶Gal.2.Aph. com.26.4.Aph. com.50. Paul li.3.c.19.
b ¶Arist.1.Ethicorum. Gale.6. de util.par.
c ¶Lib.de dieb. iudicat. li.de inter. affec. Celsus lib.4.c. de spasmo cynico.
d ¶Hipp. lib.5. de morb. popu.
e ¶2. Epidemiarum. & 5. Aph. 65.
f ¶2. Epidemiarum, & 5.Apho. 66.
g Gal.5. Apho. com. 65. Auic. 4.4. cap. de ulc.
h ¶5. Aphorism. com.22.
i ¶5. Apho. 67.

tiuntur dolores partes neruosæ. cumque igitur in vulneratis neruis tumor appa- 10
ret, ideſt optimæ ſaniei copia, ſecus de inflammatione credendum eſt, neque con
a ¶Gal. 5. Aph. com. 1. Paul. lib. 3. cap 19. uulſio, nec aliud ſymptoma uerendum eſt. Notæ autem, quæ ſiccam conuulſio-
nem eſſe affirmant, interdum a morbi longitudine ſumuntur, [a] talis repente
non ſit, ſed poſt chronicas paſſiones, aut ardentes & ſiccas ægritudines, quæ tan-
dem patientem tabidum reddere poſſunt, ſubſtantificam humiditatem corporis
abſumentes, vnde alicuius ſedis ſiccus ſpaſmus, aut membri ariditas ſubſequitur,
qui crudelis & acutus, ſicut humidus, non eſt; interdum ab exquiſita euacuatione,
nẽpe copioſo ſudore, nimia alui expurgatione, larga ſanguinis hæmorrhagia, im
modico vomitu, longa inedia, multis vigilijs, & perpetuis laboribus, ab arida æ-
ſtuoſaque febre, aut ambientis calidi actione, aut ignito, & non ignito cauterio, 20
aut ſimilibus cauſis maximas ariditates inducentibus produci ſolet: potiſſimum
verò indicium eius eſſentiæ eſt, ſicciras membri, quod iuſtam non ſeruat naturam,
aut illorum ancyloſitas quibus motus ſecundum electionem perficitur. Indicia
conuulſionis ex affinitate & conſortio in vulneratis, deprehendentur a cauſis pro
catarcticis, nempe atroci dolore, qui crudeliter laborantem excruciat, a medica-
mento rodente, ab acri frigiditate, a nimio æſtu, ab epoto veneno, aut exterius ad
hibito, aut ſimili, vt ſupra explicauimus.

CONVVLSIONVM PRAESAGIA.

2 ¶Li. 3. de morbis. & 5. Aph. 6. Celſ. lib. 4. ca 3. VICVNQVE a diſtenſione corripiuntur, ait Hippocrates [a] in quatuor 30
diebus pereunt, ſi uero has effugerint ſani fiunt: diſtenſio ſiue tetanus
conuulſio eſt ex illa, quam Græci emproſthotonon, id eſt anteriorem
contractionem, & ex illa, quam epiſthotonon, id eſt poſteriorem diſtenſionem,
uocant, compoſita, & morbus peracutus eſt, in quo citius fit iudicatio: non
tolerante natura longius ſpacium, in primo circuitu dierum criticorum paſſio iu-
dicatur: ſi ergo ualidior natura morbus fuerit, patiens ante quartam peribit, ſecus
uero tranſacta quarta, aliqua apparente ſignificatione, ac conſumpta materia. ſi
b ¶Hipp. lib. de flatib lib. de natu. hum. 1. Aph. 22. quidẽ morbi quicũq; [b] ex repletione fiũt, curat euacuatio, & quicũq; ex euacuatio
ne, repletio, & aliorũ cõtrarietas, qđ experimẽto s & ſcriptorũ teſtimoniis cõpro
batur. nã febris [c] q̃ cõuulſioni ſuperuenit, eã ſoluit, qa humores frigidos & glutino 40
c ¶Hipp. 2. Aphor. 26. & Apho. 57. & lib. 1. de morbis. ſos partibus neruoſis inſertos, ex qbus frequẽter cõuulſio, pducitur, calfacit, attẽ
nuat & diſſoluit: hac rõne dicebat Hippocrates [d] qui à conuulſione, aut diſtẽſio
ne neruorum tenentur febre ſuperueniente liberantur; porrò omnis conuulſio ta
lis de repletione cenſetur, quia euacuatione ſanari poteſt, præſertim ſi ſecũ opti
mæ conditiones adfuerint, ut in ſequentibus dicemus: ſecus [e] uerò de ſpaſmo
d ¶Lib. de loc. in homine. lib. de Coac. prænot. lib. de Iudicationibus. 4. Aphor. 57. ſicco credendum eſt. ſiquidem ſpaſmus diſproportionatus ſanari nequit, atque ni
nus ſi maraſmus, ideſt ultima ſiccitas, membrum occupauerit. nõ enim ſicca & ari
da membra nouas humiditates recipiunt, neque opportuni ſpiritus ad ea tranſe-
unt, igitur repleri minimè poſſunt. hac de re [f] conuulſio ex inanitione acutiſſi-
e ¶Gal. 5. Aph. com. 70. 2. Aph. com. 26. lib. de Tabe. 7. & 12. meth. ma & perniciоſiſſima eſt: ſi uerò noxa [g] muſculis thoracem mouentibus com- 50
municatur, mors imminet. nam plures lædit partes reſpirationi obſeruientes; de-
f ¶Gal. 5. Aph. com. 70. plorata [h] eſt illa conuulſio, quæ maxillas occupat, & dentes conſtringit, ita ut os
aperiri non poſſit, & fame perire neceſſe ſit: adhuc [i] quæ in utero gerentes, pue
ros lactantes, & decrepitos detinet: ſpaſmus abſolutus ſiue confirmatus utroque
g ¶Gal. 4. Aph. com. 68. modo curationem non admittit, & ille mortalis eſt, [k] qui ſauciatis partibus mẽ-
h Gal 7. meth. brorum neruoſorum ſuperuenerit. nam dictũ eſt à Galeno, nerui, aut chordæ pun
i ¶Hipp. li. 1. de morbis. 5. Aph. 30. & 3. Aph. 25. ctura, aut uulnus, propter eorum ſenſus uchemẽtiam, & quoniam hæ partes prin
cipio continuantur, promptæ ſunt ad neruorum conuulſionem excitandam, præ-
K ¶Hipp. 5. Apho. 2. & de Coac prænot. ſertim cum nihil extrorſum reſpirat; adde præterea, ſi tumor apparuerit, ac repen
te euanuerit: correlarie ſpaſmus abſolutus & confirmatus, aut humidus, aut ſiccus,

pror-

10 prorſus incurabilis eſt, qui ex ſiccitate non adhuc completa, raro & non facile, cu-
rationem admittit; qui uero ex repletione fit, interdum ſed multis requiſitis indi-
cationibus, ſanari poteſt.

DE CONVVLSIONVM CVRATIO-nibus. Cap. XIII.

20 HAs duas dubitationes diffuſe pertractare decreueramus, quæ nã facilius, an humida, an ſicca conuulſio, neruoſis partibus uulnera tis occurrat, & quale uulnus id ſit, quod patientibus maiorem nõ xam inferat, & uaria excitet ſymptomata; ſed quia ad curationis methodum nihil facere uidẽtur, & longo egent ſermone eas ſic-co pede, ut aiunt, tranſire decreuimus: ſat ſit igitur quòd uniuer-ſalis opinio, humidam conuulſionem poſt aliquam inflammationem, ſectis neruis ſuperuenire concedit, quæ multoties poſt pituitoſorum humorum copiam, qua nerui, aut tendones nutriri, ac repleri ſolent, generatur, & punctura, præſertim occæcatam & anguſtam deteriorem eſſe, & maiorem afferre moleſtiam: quare hu midæ ſiue materialis conuulſionis curationem aggrediamur, cum & faciliorem curationem admittat.

CONVVLSIONIS EX PLENITVDINE CVRATIO.

30 QVEMADMODVM cæteræ paſſiones, quæ à copia humiditatum produci ſolent, opportunis euacuationibus curantur, ſic & humida conuulſio in-terdum ſanari poteſt, adhibito nempe in ſex rebus nõ naturalibus, opti mo uictus regimine, & conuenienti topicorum medicaminum applicatione, qui-bus uis inſita ſit non tantum in uulnere, ſed in tota ſede affecta omnem ſuccum no xium exiccare ac diſcutere. Eſto igitur illud primum, uulneratum in habitatione & aere calido & ſicco, ac molli culcitra collocare, qui ſi talis non fuerit, arte alte-retur, igne ex Lauro, iunipero, ac cypreſſo perpetuo accenſo: aer omnis frigidus, præſertim tempore antelucano, quo præcipue frigus intenditur, aut intemperie, 40
ſiue malo odore affectus euitetur, longus ſomnus malus, longæ uigiliæ peſſimæ, ille namque ualde humectat, & caput multis uaporibus repler, hæ uero corpora exiccant, & uires imbecillas reddunt: at exercitii loco leues frictiones extremis partibus, ac locis uulneri oppoſitis adhibeantur. partes uero, quæ contrahuntur, aut conuulſæ ſunt, immobiles contineantur. ſiquidem inordinatis motibus reſiſte re oportet: uictus ratio tenuis ſit, nam [a] fames corpora ſiccat, & ſi uirtus debilis fuerit, aut ſymptoma aliquod inediam non admiſerit, eſca ſicca ſit, uidelicet panis opirus & bene coctus, montanæ auiculæ, ſylueſtres palumbi, lepores, capreoli, & carnes eiuſdẽ naturę magis aſſatæ, quã elixatæ probantur, à Galeno vndecimo de ſimpl. m. facul. vbi de carne Viperina, quãuis ſecus crediderit Ariſt. quarto meteo 50
rorũ: ſi uero mandendi facultas opprimitur, alimentum ſit ex condro, panico, pa-ne loto, aut ex ouis ſorbilibus, nam cibus quiuis mandendus, uitandus eſt. ſorbi-tionibus vtendum, & ius aliquod aſſumendum, uinum album antiquum, & non va poroſum in quantitate decenter ab antiquis [b] commendatur, nam tale eadem ratione & potentia, qua febris conuulſionem ſanat eam iuuare poterit. nos autem in vulneratis aliter ſentimus, cum caput & neruos facillime repleat, Celſi [c] au-ctoritate moti, qui dicit celerius panis mandendus, quàm uinum guſtandum. ſiqui dem huius vſus periculoſus, ideo in longum tempus diſtrahendus, aliter interdũ concedi poteſt: uinum tamen omnibus dum febris, dum inflammatio adeſt, inter dicendum. vrgente vero neceſsitate, & in morbi deliteſcentia illud iam deſcriptũ concedatur; aliter aqua cocta potus eſto pauca ſaluia, aut iua, aut calamenti, aut

a ¶Hipp. 7. Aphor. com. 60.

b ¶Gal. 5 Aph. com. 5. Auic. 2. 3. cap. de cura ſpaſmi.

c ¶Lib. 4. ca. 3. in fine.

acori radice,aut cinnamomi, aut nucis myristicæ quãtitate addita:breuis cœna imperetur,nam optimum medicamentum est opportune cibus datus:porrò à morbi essentia sumpta indicatione,euacuatio conuenit, morbo è repletione existente.igitur euacuare oportet nempe à toto corpore,& ab ea parte,quæ cõulsa est, à toto corpore bifariam corpore pleno existente,aut sanguinis missione,aut pharmaco pituitam educente: sanguis mittendus est,ubi plurimum abundat,aut inflãmationis initium apparuerit,quæ conuulsionem excitare solet, tunc enim si vulneratus sanguinis redundantiæ expers fuerit, modo nihil obstiterit,secta vena è directo vulneri contraria & situ longinquiori sanguis mittatur,præterquã in morbi consistentia,dum sæuiora accidentia apparuerint.tunc enim phlebotomia euacuatia esse debet à sede propinquiori,& semel tantum;nec in magna copia sanguis mittendus est,ne vires languescant, sed valide contra morbi causam agere possint.dictum est enim à Galeno [a] si quis simul cum febre distentione neruorum laborauerit,& sanguinis missione eguerit, neq, huic tãtum mittere oportet, quantum exigit morbus,sed etiam aliquid accidenti est relinquendum,cuius causa sæpe sudores eueniunt,& vigiliæ molestant,& vires debilitantur:ita etiam si vehementissimæ vigiliæ,aut dolor intensus ægrotum infestauerint,cauendæ sunt subitæ,ac multæ euacuationes:quod à Celso ex antiquorum testimoniis affirmatur,iubentium sanguinis missionem vitandam esse,eo quòd maxime tunc corpus calore egeat,isq; sit in sanguine:attamen hoc aliqui falsum esse credũt, neq; enim natura sanguinis est,vt vtiq; caleat,sed ex his quæ in corpore sunt hic celerrime vel calescit,vel frigescit:attamen Asclepiades mittendum esse sanguinem credit,quod etiam concessit Galenus & Celsus in spasmo cynico,sub his verbis, Sanguinem mittere optimum est:eius vero quantitas sumenda est ex redundantię modo,& reliquis,quæ in venæ sectione considerantur,nempe ex virtute,ætate,consuetudine,regione,sexu,& anni tempore; nam dicebat Galenus [b] ambientis aeris temperatura loco cuiusdam accidentis habenda est, quando exquisite calida ac sicca fuerit,qualis est tempore medio inter Canis ortum & Arcturi, atq; ideo omnes,quibus nihil omnino de temporum statu cogitantes cum sanguinem abstulerint,interierunt:si etiam valde frigida fuerit tempestas,sanguinem mittere est formidandum;verũtamen vbi plurimus sanguis abundauerit mittatur:& si aliqua plethora aut cacochymia apparuerit,& corpus, aut pituita, aut serosis humoribus refertum fuerit,per aluum purgatio emollienda est, solent nimirum conuulsiones magna ex parte,à pituitosis,crassis,& viscosis humoribus prouenire,ergo frequẽti pharmaco educantur,quale est Hierapicra,electuarium Diasenes, de dactylis,agaricum,pilulæ cochiæ,de Agarico,de Hiera,& de Euphorbio, & acrium clysteriorum vsus summopere probatur,nam [c] aluus sæpe educta superiores partes resoluit.sic huiusmodi clysteres parentur.Recip.Camomillæ,saluiæ,stœchados,centaureæ maioris & minoris,althææ,parietariæ an.m.ij.fiat decoctũ in aqua Maris,aut addito sale,& adde Agarici puluerizati drag.ij.Colocynthidis in petia alligatæ drag.j.iterum bulliant,& Recip.prædicti decocti vnc.x.Hierapicræ, electuarii lenitiui an.vnc.s.olei camomillini,mellis crudi an.vnc.ij.ouorum vitellos num.2.misce & fiat clystere:aut Recip.Stœchades,origani,betonicæ,saluiæ,radicum pœoniæ,calami aromatici,an.m.j.folliculorum sennæ,epithimi, cubebarũ an. m.s.pulpæ colocyntidis,agarici,turbith an.drag.j.fœnugræci vnc.j.seminum cartami vnc.s,fiat decoctũ in aqua maris,& facta colatura Recip.prædictæ decoctionis vnc.x.electuarii diasenes,hierapicræ an.vnc.s.mellis crudi,olei sisamini, costini an.vnc.j.salis gemmæ drag.iij.ouorum vitellos nu.ij.misce, & fiat enema; hoc interim die noctuque interpositis tamen quibusdam horis,ceruices,axillæ,spina, inguina,& tota conuulsa sedes calenti oleo communi inungatur,aut liliaceo,aut costino,aut spicato,aut laurino. quibus interdum addimus aut castorei, aut Euphorbii parum:probatur etiam oleum vulpinum,de lateribus seu Philosophorũ,

ac

a ¶t. ad Glauc. vbi de cura febr. continuarũ.

b ¶t. ad Glauconem, & 9. meth.

c ¶Cel.li.4.c.3

ac superposita lana molli ac succida membrum fascia auoluatur: & omnia quouis modo applicanda qualitatibus sint calida: si verò hoc symptoma perseuerando procedit,inter infirmi dentes aliquid seruetur,ne ex toto os claudatur,aut lingua a dentibus laceretur:neque inutile erit,capillos omnes tondere, caputque irino, aut cyprio calido madefacere,& superposito pileo ipsum operire: aliqui uulnera tum nudum inter duos ignes diu seruare,sic tamen ne feruescat,bonum esse opinantur:alij sub ardenti sole cum continent,multi in balneo sicco, stupham id vocant, aut in magno corio nuper excoriato patientem tamdiu inuolutum tenent, aut in sacculo calidis furfuribus pleno,quandiu sudores copiosi,fuerint excitati,& inde extracto medullam spinalem, aut ipsum totum oleo irino completo, aut liliorũ album cum aromatibus, aut oleo terebenthinæ stillaticio, aut unguento alabastrino completo,aut martiaton,aut arragon inungunt: quod opus ab Auicenna similibus præsidijs celebratur,nẽpè pinguedine Lupi,aut Vulpis,aut parui Canis,bulliant hæc animalia a pelle denudata,donec caro ab ossibus segregetur, pinguedo verò quæ supernatat colligatur,& addita pauca cera seruetur: huic decocto addunt nonnulli anethum,betonicam,terrestrem hederam,abrotanum, folia Lauri, calamum aromaticum,& radices iunci odorati marini, aut. Recip. olei muscellini vnc.j.petrolei vnc.s.styracis,calamitæ,serapini an.drag.ij.mastichis,olibani,gũmi hederæ an.unc.s.butyri recẽtis vnc.3.ceræ unc.j.s.liquescant q̃ liquari possunt igne lẽto,& quæ pistãda sunt pistẽtur,& sẽdm artẽ fiat unguẽtũ,quo cõulsæ partes actu calido die nocteq; vngãtur. Ait Celsus nõnunquàm ẽt in calidum oleum totum descendere licet, vel in calidam aquam, quæ vna cũ fœnugræco bullierit, tertia olei parte adiecta,qæ hercle idoneũ, ac præstãtissimũ remedium est à medicis vbique obseruatum.parantur & apophlegmatismata, & quæ caput a pituitæ copia liberare possunt,quæ sub multis formis conduntur,nempè aut gargarismatis,aut sternutatorij, aut odoramenti,aut masticatorij:gargarismata fiunt ex decocto hyssopi,sansuci,pulegij,calamenti, origani,& similium addito syrupo de stœchade,aut oxymelle scilitico:aut fiant cum vino in quo ebullierit sinapis, staphisagria,aut pyretrum addito melle:sternutatoria componuntur ex pipere,castoreo, veratro,pyretro,aut euphorbio in minutum puluerem redactis:odoramenta parantur ex castoreo,doronicis,ben albo & rubeo,condisis, opopanace, abrengi, spica,& sale,ex quibus fiat puluis subtilissimus & muscho aromatizetur, & fiat pomum odoriferum.masticatoria verò formantur ex pipere,pyretro,& mastice:non ab re etiam datur summo mane patientibus Theriacæ antiquæ drag. j. cum aqua betonicæ:commendatur pariter Mitridatum, aurea Alexandrina, diamuschum dulce,confectio diaanthos,& anacardina, & quæcunque ventriculum & caput corroborare possunt,ac neruos calfacere,& humiditates in eis congestas absumere;solent nimirum huiusmodi medicamenta febrem inducere, quæ in his affectibus ab Hippocrate probatur, ait [a] quippe, febrem conuulsioni superuenire melius est,quàm febri conuulsionem.& alibi,qui a conuulsione,aut neruorum distentione tenentur febre superueniente liberantur,ob id quia febris calor, pituitosas humiditates, quæ conuulsionem accersunt, discutit ac exiccat, sed ea febris est expectanda,quæ diania est,& non putrida,& ex se oritur,& medicamentis nõ accenditur,castoreo nempe,laserpitio,aut opopanaco addito melle ad duplum: Nos verò nunquam neruorum vulnera conuulsa sine febre inspeximus, nec potest Medicus ad suum arbitrium diariam febrem accendere,nec datur talem morbum,hac methodo curari posse, siquidem inducias ob symptomatum fortitudinem non admittit. Datur [b] alia uia,qua conuulsiones tolluntur, nempè multa aquæ frigidæ profusione,ob id quia talis,calorem reuocat,& calor causam discutit:sed quia conditiones quam plurimæ in hac curandi ratione desiderantur, ut in Aphorismo legitur, Est autem,vbi in distensione sine ulceratione,iuuene bene carnoso,æstate media, aquæ frigidæ multa perfusio calorem reuocat, calor

autem

a ¶Libro 1. de morbis. libr. de Coac. præno. li. de Iudicationibus.2. Aph. 26. & 4. Apho. 57.

b ¶Hipp. lib. de humid. usu & 5 Apho. 21. Auic. 2.3. dist. 2. c. 7.

autem hæc soluit,quæ semper in omnibus non reperiuntur: hac ratione non obseruatur in vulneratis,nam a Galeno dictum est in commento,excipit Hippocrates eas,quæ sunt cum vlcere,conuulsiones,vt quæ nunquam ab aqua frigida sanari queant,nec febrem inducere.plures enim morbos eodem tempore in singulari subiecto vnire non decet,nec febrem vnius diei conuulsionis causas attenuare ac discutere posse credibile est.talis enim calor extraneus est, non naturalis, ac nature inimicus;cumque huiusmodi auxiliorum copia, symptoma non quieuerit, ad illud recurrendum est, quod extremum esse affirmant medici [a] dicentes iam neruum punctum sæpe cogimur transuersum præcidere, & sapientis Medici officium est,quoties vel conuulsiones vel deliria,vel ambo hęc magna, ęgreque sanabilia perseuerare in vulneratione cernimus,neruum incidere, nam si totus præcisus neruus sit, motus preterea nullus instat,debilis tamẽ particula manebit:pariter si puncto musculi capite conuulsio,quę nulla conuenientium medicamentorum vi remittitur,superueniat;quippe præciso per transuersum toto musculo conuulsionem quidem sanabis,aliquem tamen ex particulę motibus vitiabis:opus hoc veteres ignito ferro perficiebant.inde tali medicamento vulnus curabant.Recip.olei hypericonis,masticini an.vnc.j.s.Terebinthinę clarę,resinæ pini an.vnc.iij.sulphuris viui unc.j.croci scr.s.parũ bulliãt,nec tale cataplasma supponere inconuenit.Recip.florum camomillę,sertulę campanę, foliorum betonicę,baccarum lauri an.unc.j.fiat puluis sicut alcohol,farinę fabarum vnc.ij.hordei vnc.j.s.olei liliorum alborum,seminum lini an.vnc.j.s.rob q.s.pro cataplasmate: exiccata omni humiditate,ac quietis symptomatibus,abstergatur vulnus, aut si decet,carne repleatur:si verò ex occæcata nerui punctura conuulsio subsequitur, ac commodata incisione aperiatur,aut secundum lineam rectam, aut orthogonaliter,aut tetragonaliter,ad hoc vt medicamenta topica ad imum vulneris peruenire possint,quod inde tali medicamento curare oportet.Recip. Terebinthinæ clarę unc.ij.euphorbij recentis,clari,& triti drag.ij.ceræ vnc.s.misce, & aliquantisper bulliant.ex hoc vulnus repleatur,ac desuper vnguentum nostrum sanctum applicetur, cuius descriptio in sequenti libro Deo fauente videri poterit: celebre etiam medicamentum est ceratum Philagrij, ex decem rebus paratum. Recip. ceræ citrinæ vnc.ij.olei irini,costini,de ben,de cinamomo an. vnc.iij. styracis liquidæ unc.j.euphorbij,castorei an.vnc.s.hyssopi humidæ vnc.j.pinguedinis vulpinæ vnc.j.s.& secundum artem fiat ceratum.aut Recip. cocleas numero sex, lumbricorum terrestrium vino lotorum unc.iij.fermenti unc.j.myrrhæ,olibani,sarcocollæ an.vnc.s.farinæ volatilis vnc.ij. mellis quod sufficit pro emplastro: probatur pariter emplastrum vocatum vulgo gratia Dei,& illud de gummi elhemi, aut palmeum,aut illud celebre barbarum;residuum verò curæ perficitur, ac si vulnus recens esset,secũdum communem intentionem, hoc perpetuò seruato quòd cuneo ligneo dentes adinuicem distent,ne superior maxilla ita inferiori annectatur, ut tandem conuulsus fame pereat, quare decet maxillarum articulos sæpe euphorbio ardenti aqua soluto fouere.

a ¶Lib.de motu musc.3. meth.c.9.& 6. meth.c. 3. Act. lib. 14.ca. 29. Paul. lib.4.c.54. Aui. 3.4.c.27. & 4.4. cap.30. Rasis 7.ad Alm. c.3.Auer.7.col. cap.35.

CONVVLSIONIS SICCAE CVRA.

CONVVLSIO sicca, id est sine materia, rarò admodum nisi post copiosam sanguinis effusionem,aut post longam, assiduam, & ardentem febrem, aut a causa veneno prædita, vulneratis partibus euenire solet: acutissima passio est,curationem rarò admittens, iccircò pauca de ea sumus dicturi. Eius curatio humectatio est,ac exiccatarum partium humectatio, & repletio:hac ratione nulla competit euacuatio, nulla inedia, nulla sanguinis missio, nec localium medicamentorum exiccatio ac discussio. Porrò si ex sanguinis hæmorrhagia sicca conuulsio oritur,lautè patiens alatur,eo nempè nutrimẽto,quod optimum & copiosum sanguinem procreet,veluti sunt oua sorbilia,ius capi,vitulj,hædi,agni iuuenis,phasianorum,columbarum,& similium: panis optimus sit,& vinum album,tenue,& odoratum.tale enim facillime penetrat,humectat, ac pro corporis nutritione distribuitur;fercula sint ius,aut panis in iure infusus, aut condrum,aut hordeum in iure decoctum,pauco sale addito;lac pariter probatur, & quæcunque humectare possunt.longus somnus,ac quies omnis laudatur. siquidẽ ad virtutis robur,ac totius corporis humectationẽ conferunt.Euacuationes, quæ huic morbo opitulantur,ex lacte,iure,vitellis ouorum,butyro recenti,oleo violaceo,& maluarum decocto parantur,& per clystere imponuntur: prodest adhuc si patiens in labro prædictis oleis & humidis decoctis pleno diu permaserit, aut eum in alueo olei calidi dimittamus.nam sic præcipit Gal. 2.de sim.m.fac. cap.7. crebro etiam membro siccum, decocto extremitatum animalium fouere expedit, additis maluis,violis,nenupharis radicibus & althææ, atque oleo violaceo, amygdalarum dulcium,pinguedine gallinæ,vituli,butyro recenti,sæpe ipsum irrorare cõuenit:præstantissimum etiam remedium est totam spinam, & artus omnes,ac emunctoria tali medicamento linire.Recip.olei violati, amygdalarum dulcium,pinguedinis gallinæ,vituli an.bulliant in decocto maluarum,althææ,& seminum cydoniorum,donec decoctum euanuerit.postmodum coletur, & addita pauca cera,fiat linimentum:si vero febris aliqua patientem molestauerit, nutriatur ptisana,aut panatella,addito seminum melonum lacte:ac in reliquis regatur, quemadmodum in hujusmodi febrium curatione,regi solet.

CONVVLSIONEM EX AFFINITATE CVRANDI METHODVS.

SI CONVVLSIO ex sympathia, aut compatiendi societate oritur, causa statim perquiratur,quæ,si procatarctica fuerit,remoueatur,si acutus quispiam dolor,demulceatur,& si aliqua alia causa vrgeat abdita tollatur medicamẽto aliquo narcotico, quod sedis affectæ sensus acumen labefactet.nam, maius periculum conuulsio minatur,quàm singularis stupor:si vero, vt cõtingit, ex ictu,aut veneno extrinseco conuulsio oborta fuerit,venenum illico aut cucurbitulis,aut psilij ore euacuare oportet, inde membrum ad temperiem reducere: at si expedit medicamento aliquo citra calefactionem vti, quod vehementius ab alto euocet,ac exterius venenum extrahat,illud nempe experiatur;sin autẽ,ignito ferro,vulnus totum aduratur:si vero medicamenti acredo,aut acuitas conuulsionem excitauerit,illo dimisso,alterum temperatioris naturæ,quod magis conueniat,adhibeatur:dum autem acris, aut mordax quis humor vẽtriculi os,aut vtetum,aut sedem aliquam neruosam mordicando conuulsam reddiderit, statim vomitus citandus est,aut totum corpus purgandum,ac victus regimen instituendũ, vt succi illi mali ad benignos permutentur,inde partes languentes corroboretur; caput vero obtonsis capillis,nucha,spina,& emunctoria oleo camomellino,masticino,liliorum alborum,rosato completo,additis lumbricis terrestribus,ac modicũ quid Theriacæ inungantur:& per os aliquid huius medicamenti sumatur.Rec. conserue violarum,buglossæ an.vnc.j.philticorum recentium vnc.s. carnium testudinum præparatarum vnc.ij.specierum,electuarij resumptiui, diamargaritonis frigidi an.drag.ij.sacchari in aqua violarum soluti quod sufficit,& pastilli ad vnciæ medietatem formentur,atque, vt dicam summatim,in omni conuulsionum cura,alijs non conferentibus remedijs,ad duo confugiendum est,vt vel patiens invase oleis pleno diu totus quiescat,vel vt neruus, aut lacertus vulneratus, ex quo conuulsio orta est,transuersim ex toto præcidatur.

DE

DE ANCYLOSITATIS, ID EST DIMINUTI, aut ablati arbitrarij motus curatione. Cap. XIIII.

a Hipp. libr. 2. prædict. Celsli. 5.c.26. Gal.lib. de motu musc 10. de med. comp. ſm loc. Rasis 7.ad Alm. cap.2. Auic.3.4.tra.2. ca.13.&7.4.tra. 4.cap.1.

POst [a] artuum,aut neruoſarum partium vulnera,aut contuſiones,iam contracta cicatrice,membra ſic affecta,aut conuulſa,aut mollia,aut arida & ſicca remanere ſolent, ac eorum peculiaris motus,aut diminutus,aut ablatus ex toto reſidet;diminutus,cum virtus motiua,quæ a cerebro tãquam ab eius fonte & principio, per neruos ad lacertos tanquam ad organa voluntarij motus demandatur,tranſire nequit.ablatus cum membrum ſiccum efficitur ſubſtantificæ humiditatis ac ſpiritus vitalis penuria,ſectis nimirum vnà ſecum neruis, ac arterijs.quare pars læſa opportunum alimentum non recipit,aut in ea durities,quæ tactui ac compreſſioni non cedit,occalluerit,græcè poros,arabicè callus, & latinè tophus vocitatur,vnde fit vt inſtrumentum motus patiatur, & imperio patientis non parit,quod euenit, plerumq; vbi præceſſerit aliqua inflammatio, diſcuſſis tenuioribus partibus & craſſioribus in articulo remorantibus,ac in contumacis ſi mam ſcirrhoſitatem permutatis.quod vbi factum fuerit,articulus in priorem ſtatum exacte reuerti minime poteſt,& inde ſalutis nulla relinquitur ſpes; indicium eſt,quòd vulnerati membra dura vel flectere,vel extendere,vel extollere,vel demittere,vel conuertere ſtatim nequeunt;eodem modo & frigidi abſceſſus, & contuſiones,& calli,& putrefactiones,durities cicatricum efficiunt, præſertim in cubitu & genu:interdum etiam partes aliquæ ob eorum compoſitionem, & quia nimio ſenſu præditæ ſunt,facillime tumore aliquo vexantur, & ex nimia humiditatum copia,molles ac laxæ redduntur,& eſt ſymptoma,quod græci paralyſin, & latini mollificationem,aut neruorum reſolutionem appellant:Nunc vero de Ancyloſitate,ideſt neruorum contractione,aut articulorum duritie,aliqua dicere expedit.Ancylas,ſeu Ancyloſes græci [b] vocant difficiles artuum motus,& ligationes recenti cicatrice contractas:membra igitur,quæ propriam ac naturalem humiditatem non ſeruant,magis conueniens eſt vt ſicca,quàm dura dicantur. ſicuti dum nimia humiditate pituitoſa replentur,mollia,ac tremula;ſic & tenſio & ſiccitas a validis exercitiis,a ferventi ſole,ab ingenti inedia,à magnis frigoribus,a febre ardenti,a medicamento ſiccante ſine refrigeratione,ab inflammationibus male regulatis,a ſcirrhoſis tumoribus,à nimia vaſorum nutritionis obſtructione ortum ducit;porrò in articulis iam contracta cicatrice motus difficiles redduntur, non tamen vita priuantur,nec ſenſu deſtituuntur,quod aduenit ex duritie iam cõtracta aut in neruis,aut in muſculis,aut in toto articulo;hac ratione ſumpta indicatione a natura ſymptomatis,quod a ſiccitate induratum eſt,humectari expedit. Poſt accepta vulnera,membra ad arbitrarium motum deſtinata impotentia remanent, quia potiſſimum muſculi,aut nerui,aut tendones,qui ab eis oriuntur, ex toto ſecti fuere,aut quia nimio humore pituitoſo repleti ſunt,qui in eis occalluerũt,aut quia proprium alimentum non recipiunt,quo nutriri poſſint, ob duras iam contractas cicatrices:quæ vero a lento,craſſoq; humore indurata ſunt, calida & ſicca medicamenta expoſcunt,non tamen quæ valida ſint,ac violenta, ſed ea probantur,quæ ſecundum,aut tertium ordinem calefaciendi,& primum ſiccandi nõ trãſgrediuntur;quæ vero valde indurata ſunt malactica medicamenta, ideſt quæ valde molliunt,requirunt;malagmata,ſiue malactica medicamẽta medici græci [c] vocant,quæ partes ſupra modum induratas emolliunt,calido omnia temperamento mediocri prædita,non tamen exiccantia,quemadmodum nec manifeſto humectantia,

b ¶Gal.7.de cõpo.med.ingenere. Paul.li.4.c.55.

c ¶Gal.7.Katageni in princip. Paul.li.7.c.19. & li.3.c.78.

ctantia,nam cum medium quendam ordinem inter has qualitates ſeruant, emolliunt;ſiccitas vero ægritudinem adauget,& humiditas vnà cum caliditate putredinem inducit:ſeruetur igitur ordo quidam in his mediocris,calefaciendo & humectando,nec talia adhiberi debent,vbi humorum multitudo adeſt, quæ obnoxia putredini fuerit,ſed ea iuuare videntur, quæ eorum caliditate occluſos meatus aperiunt,& temperata humectatione ſiccitatem adæquant; communiter autẽ ea,quæ ſcirrhoſis tumoribus opitulantur,articulorum contractionibus, aut ligationibus proſunt.Nunc vero tempeſtiuum eſt habita ſemper conſideratione ætatium,habitudinum,ſexuum, exercitiorum, ac ſedis affectæ natura, vt ſingulatim quæ ſecundum varios gradus a medicis probantur,deſcribamus ex Galeno nempe,Paulo,& Raſi.Primò igitur manus hydræleo calido inungantur, ac diu membrum tenſum fricetur,aut perpetuo de eo guttatim per vas anguſtum ſuper tenſum membrum percoletur,deinde emplaſtretur medicamẽto ex adipe anatina, oleo liliorum alborum,medulla crurum vituli, & cera citrina: ſecundò talis deſtillatio fiat ex decocto radicum althææ,brioniæ,acãthi,& cucumerum agreſtium in oleo antiquo, aut fiat decoctum in hydræleo ex ſeminibus lini,fœnugræci,radicibus althææ, branchæ vrſinæ, & foliorum maluæ, & facta longa fomentatione, aliquod ex Acopis [a] medicamentis applicetur ex his præſertim, quæ ad infarctas articulorum durities conferunt Acopa Azanita vocata, ex Galeno adipis ſuilli vnc. xxiiii. ſebi taurini, reſinæ colophoniæ, hyſſopi humidæ, ceræ recentis an. vnc. xii. galbani vnc. iii. Aliud ex Actio, bdelii iudaici aqua ſoluti vnc.iiij. radicum maluauiſci decocti vnc. ij. liliorum alborum cæpas nume. ij. rob q.s. Aliud ex Raſi immergatur membrum tenſum per horam in decocto, ſiue iure capitis,pedum,ac inteſtinorum veruecis, aut agni, corticum mediorum vlmi, radicum althææ, ſertulæ campanæ, fœnugræci & maluarum,inde linteo abſtergatur, & inungatur vnguento dialthææ, aut agrippæ oleo cyprino, quod liguſtrinum, aut de alchana vocant,ſoluto.huic addunt aliqui butyrum recens, vrſinam adipem,& medullam crurum vituli; Tertiò ex Scribonio fæcis olei liliorum alborum, ſeminum lini an.vnc. ij. pinguedinis vrſi, cerui, anſeris an. vnc. j. bdelij, ſtyracis, galbani, opopanacis, ammoniaci an. vnc. s. gummæ vino ſoluantur,inde in mortario deducantur, & ad lentum ignem ſecundum artem fiat vnguentum ſub tenui forma . Ex Galeno, ceræ, ammoniaci an. vnc. vj. terebinthinæ, bdelii, galbani an. vnc.ij. olibani, myrrhæ an. vnc. s. gummæ vino ſoluantur, & ammoniacum aceto, medullæ crurium vituli, pinguedinis Vrſi, Taxi, Anſeris an. vnc. j. olei cyprini q.s. pro molli vnguento, quod in mortario marmoreo fieri debet piſtillo dicto oleo inuncto, deinde ad lentum ignem fiat medicamentum in bona forma, quo membrum tenſum ſæpe inungatur, & lana oeſipi ſuperpoſita opportuna faſcia auolutum quieſcat . Poſtremò inter approbata ab antiquis [b] medicamenta ſunt emplaſtrum ex vaccino caſeo, acri, & antiquo, in iure ſuillæ carnis ſalitæ decocto , donec emollierit ; aut illud vſui ſeruetur , quod ex pyritide paratur , & diapyrites vocatur , aut illud quod coracon , corax , & coruus dicitur . aut illud celebre , quod diaſmyrnon nuncupatur ; Galenus [c] tamen in tendonibus ac ligamentis duris ſic agebat , & ait, in aceto acerrimo lapidem candentem extinguo,eumque pyriten , ſi haberi poteſt , qui certè in magnis vrbibus rarus non eſt. ſin eius copia non datur , molarem accipio , græci myliten vocant, ex quo molas, quibus molimus , faciunt , deinde aſcendente poſt infuſum lapidi acetum vapore calido,in hoc dimoueri ſcirrhoſum ligamentum , uel tendonem cogo , atque exindè rurſus medicamen,quod molliat,impono , ac oleo quotidie laborantem particulam perfundo;eſto autem id oleum haudquaquam aſtringẽs, ſed plane tenuium partium,cuiuſmodi ſabinum eſt:incoquimus autem interdum in oleo althææ radices,ac ſylueſtris cucumeris,& ſiqua ſunt huius generis alia, &

a ¶Gal. 7. Katageni.

b ¶Gal.7.katageni.Aet. li.12. cap.45. Paul li.3. c. 78.

c ¶14. meth. c. 5.& 2. ad Glau.

hoc

hoc vtor quotidiè: vitio iam adulto, & cum præparata iam sub mollientibus pars affecta fuerit, siquidem aceti vis modò quis modicè & debito tempore vtatur, salutaris eiusmodi affectibus est. sin vel immoderatius, vel in tempore non idoneo, tenuiores partes violenter absumens, id quod reliquum est, lapidescere sinit; ob id igitur nec sæpè ac inter initia, nec longo tempore medicamentis, quæ ex aceto componuntur, ad ligamenta & tendones est vtendum. Nos verò ad inueteratam artuum, aut musculorum duritiem hæc experti sumus præsidia, & est nostra praxis. Recip. vnguenti dialthææ, agrippæ, martiani an. vnc. ij. diachilonis compositi, butyri recentis, hyssopi humidæ, pinguedinis castrati, vrsi, cerui an. vnc. j. olei liliorum alborum, costini, de spica an. vnc. s. specierum diamoschi, scrup. ij. cerę q. s. pro molli vnguento. aut Recip. emplastri diachilonis maioris vnc. iiij. mucilaginum althęę, fœnugreci, seminum lini an. vnc. j. s. pinguedinis cerui, medullę crurum vituli, sebi hircini an. vnc. ij. olei de alchanna, amygdalarum dulcium an. vnc. s. propolidis q. s. pro emplastro sub bona forma: membrum affectum diu detineatur in decocto radicum althææ, cucumerum agrestium & foliorum maluæ, parato in vino albo potenti, & postquàm caluerit, pannis siccis abstergatur, & oleo de cera pinguis inungatur, ac superposito supradicto emplastro super corium hædinum extenso fascia opportuna auoluatur: insuper summoperè aduertendum est, quòd si patiens antea morbo gallico laborauerit, primò adhibitis prædictis in unctionibus tale ceratum applicetur, quod nobis sæpe benè successit. Recip. emplastri diachilonis maioris vnc. ij. ammoniaci aceto soluti, pinguedinis cerui an. vnc. s. hydrargirij saliua optimè extincti, ac per panis medullam transmissi, ac de purati vnc. j. misce ad ignem lentum, & fiat secundum artem emplastrum sub bona forma, & extensum super corium hædinum adhibeatur, & diu conseruetur. His peractis, si ægri conualuerint, sat erit, sin minus in vinaceis, si datur modus, vbi vinum recens & potens bullierit, membrum affectum diu detineatur, ac illico extractum aliquo ex prædictis linimentis inuoluatur: probatur adhuc affectam sedem inter intestina veruecis, aut vituli, aut bouis nuper occisi, aut in eorum vẽtriculis multum continere, & cum fuerit calfacta extrahi debet, & illicò inungi: eodem modo plurimum valet membrum duritie affectum in luto Thermarum Patauinæ Diœcesis quotidiè immergere, & ibi diu conseruare, inde aliquo linimento inungere, præsertim in luto diui Bartholomei, qui bituminosus est, & mirifice emollit. ille verò, qui Sancti Petri nuncupatur, multum in discutiendo probatur. alij autem, quia aut sulphurei, aut ferrei sunt, reprobantur. Quare indicatione sumpta à maiori noxa interdum operationes diuersas adhibere oportet, nempè interdùm magis mollire, interdum magis discutere præmissa semper vniuersali euacuatione, ac adhibito vitæ conuenienti regimine: at si pars affecta vehementi dolore molestetur, inungatur oleo rosato completo, aut vnguento rosato Mesue, si aliqua apparuerit inflammatio, secus verò, oleo illo mirabili de hypericone magistrali, quod sic paratur. Recip. Terebinthinæ claræ vnc. ij. olei de terebinthina drag. vj. olei rosati odorati, vermium terrestrium vino lotorum an. vnc. j. s. rubeæ tinctorum, quam eritrodanum vocant, seminum hypericonis an. m. j. rorismarini, centaureę maioris, millefolij an. m. s. contundantur omnia simul præter lumbricos, & bulliant cum pauco vino albo odorifero, & aqua betonicæ, donec vinum & aqua deliuerint. coletur, & adde florum hypericonis m. ij. & ad solem sub Cane per mensem quiescat, flores semper immutando, donec reperiuntur, & serua: cumque aliqua hemiparalysis, siue debilis quędam mollificatio, membrum alĩ quod occupauerit, eo vtemur præsidio, quod summopere a Mesue commendatur, erat sane secretum magni Guidonis de Cauliaco, formatur hoc modo. Recip. myrrhæ, aloes, spicæ, sanguinis draconis, olibani, mumiæ, opobalsami, bdelij, carpobalsami, ammoniaci, sarcocollæ, croci, masticis, gummi arabici, storacis liquidæ an. drag. ij. laudani, succi castorei an. vnc. ij. s. muschi odo-

a ¶Vbi de passionibus cordis.

odorati drag. s. Terebinthinæ claræ vnc. iiij. puluis fiant quæ puluerizanda sunt, & vnà cum terebinthina fiat mixtio, ac in vase vitreo lento igne secundum artem fiat distillatio, & quod distillauerit, seruetur sic, ne euanescat insensibiliter. Aliud medicamentum incomparabile cunctis, quo diu vsus est Iosephus a Cruce, honestissimus genitor noster, vir iustus, & pius, qui Venetijs non sine summa laude ad annum septuagesimum secundum vsque vixit, & in hac Medicinæ parte diligentissimus experimentator semper habitus est. Recip. Terebinthinæ claræ unc. xij. olei laurini vnc. ij. misce, & iterum Recip. galbani, gummi elhemi an. drag. vj. gummi hederæ, thuris albi, ligni aloes an. drag. ij. masticis drag. j. myrrhæ, aloes, castorei, laudani an. drag. iij. pistentur omnia subtilissimè, ac additis alijs rebus, fiat optima compositio, quę per triduum sic marcescat. inde Recip. galangę, gariophillorum, cinnamomi, nucis myristicę, zedoariæ, cubebarum an. drag. iij. aquę ardentis, aqua vitę nuncupatur, vnc. iiij. ac denuò per triduum fiat noua infusio, postea per vitreum alembicum paulatim oleum sub triplici colore extrahatur. siquidem primum colorem album seruabit, secundum citrinum, tertium nigrum, singulatim in vasculis tribus vitreis colligantur, ac in eis optimè obturatis diligenter conseruentur. nam Deum testamur, quod exiccando, discutiendo, & corroborando mirabiliter operantur. nigrum verò & citrino & albo vehementius auxilium præstare solet, præsertim in doloribus frigidis, tremore, paralysi, & conuulsione: si autem euenerit, quòd membrum aliquod extenuetur, quod dignoscitur ex iusta natura, si alteri comparetur, causa inquiratur, & cognita tollatur: nam si ex vitioso nutrimento euenerit, illud permutetur ad bonum, nempe quod nutriat perfectę, & nihil superflui contineat; si ex viarum obstructione, illę quidem sunt aperiendę medicinis attenuantibus & discutientibus, vt motiua virtus permeare possit: si ex profunda consolidatione, aut concreta cicatrice, qua fere callum contraxerit, vt in ossibus fractis contingit, illa quidem molliatur præsidijs superius enarratis; & sic ad laudem magni Dei, qui perpetuò sit benedictus, huic tertio libro finem imponimus.

CHIRVRGIAE IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI, SECTIONIS PRIMAE,

Liber Quartus.

DE THORACIS VVLNERIBVS, AC eorum differentijs. Cap. I.

RARTIVM [a] ex quibus humanum consistit corpus, alię quidem eam consecutę sunt nobilitatem, vt cum munere suo fungi nequeant, mortem subsequi necessarium sit, quæ vel citò sequitur, vel ad aliquod breue temporis spatium prorogatur: alię verò maximum negotium medicis faciessunt, egreque sanitati restituũtur: quędam etiam, & si timendę sunt, non uehemens tamen periculum secum afferunt: id euenit cùm illę aliquo morbo rum genere corripiuntur, soluta præcipue vnitate, quę [b] cùm ipsis accidit, indicationes ob locorum diuersitatem

b ¶Hipp. lib. 2. prædic. Gale. 3. meth. c. 10.

a ¶Aristo. 3. de part. anim.

R

sitatem variari contingit, rationalique methodo ad eius agglutinationem pro-
gredi oportet: conseruantur autem partes hæ cum à supremo, tum à medio, nec-
non infimo ventre. Verùm cum superius sermo à nobis de vulneribus capitis, &
de soluta cranij vnitate abunde habitus sit, nunc de pectore, seu thorace, vel me-
dio ventre aut clybano vulnerato, ac in eo contentis secundum antiquorum opi-
nionem, qui de partibus his ictu sectis parce locuti sunt, agere intendimus, ac in-
star [a] artificis scientifici, qui subiectum tanquam prius natura passionibus circa
ipsum versantibus mente concipit, deinde ad eas noscendas transit; sic nobis tho-
racem, tanquàm subiectum agnoscere, postmodum illius sectiones in vniuersum,
& singulatim perquirere par est: porrò [b] per thoracem, seu medium ventrem
totam illam accipimus partem, quæ a costis vtrinque circunuoluitur, ac a superio
ri furcula & iugulis, vsque ad septi transuersi, siue diaphragmatis circunferentiam
continetur: eius verò extremitas infimi situs anterioris sedis, bifurcalis illa cartila
go est, quam Græci xiphoidem, Latini ensiformem, & vulgares malum granatum,
aut interiorem furculam appellant. Altissimus ergò thoracis terminus claues
sunt, quem admodum humillimus præcordia, quæ interseptum vocantur, & si per
thoracem Aristoteles [c] eam partem accipiat, quæ a collo ad pudenda vsque ex-
tenditur. Pars [d] quæ in medio locata est septem ossibus fabricatur, septem ve-
ras costas excipientibus, a Græcis thorax, & sthernon, a Latinis pectus, ab Arabi-
bus setasiu vocitatur, cuius fini cartilago illa triangulata adhæret, quæ in mucro
nem gladij modo exacuitur: adsunt & spatia intercostalia vocata, quorũ singula
disseminatam habẽt arteriam & uenam. Diuiditur [e] autem interius secundum
mediam sui longitudinem in duas partes a ualidis quibusdam membranis, quæ an
teriori parte ossi pectoris, posteriori spinæ vertebris inseruntur, a Græcis dia-
phratondes, a Latinis mediastinum nuncupantur, vt si fortè magno vulnere in al-
teram eius partem accepto, respirationis munus illius partis perierit, reliquus
venter incolumis dimidium saltem actionis retineat, nec propter hoc duo ven-
tres, sed vnus tantum est. nam [f] locus, qui inter collum & crura est, in duas ma-
ximas capacitates diuiditur, prior sub thorace, secunda sub membrana, quæ abdo
mini subtenditur, peritoneon Græci, Syphac Arabes nominant, continetur; in eo
medio ventre spiritualia membra conseruantur, COR aliorum rex, eius capsu-
la, pulmones, phrenon siue diaphragma, panniculus, pleura, mediastinum, vena ca
ua ascendens chilis dicta, arteria ahorti, trachea, aspera arteria vocitata, esopha-
gus, siuè meri, ac suspensoria multa. Membra hæc, aut quia primaria sunt, aut pri
mis deseruientia, læsa nempe mortis periculum minantur, præcipue verò si intimè
offenduntur: quæ etiam cauitatem non attigerint potissimum verenda sunt, nam
[g] sedes dorsum constituentes admodum neruosæ, & quæ thoracem componunt
mammis, lacertis, multis neruis, arterijsque quàm plurimis sunt contextæ, maxi-
meque [h] circa thoracem sensus existit. Affliguntur hæ partes diuersimode,
nempe a causa externa, quam Græci procatarcticam, & Latini primitiuam appel-
lant, quales [i] censentur quæ possunt vulnerando perforare, incidere, abrumpe-
re, contundere, ac distendere, veluti ab ense incidente, sagitta perforante, lapide
contundente, globulo abrumpente, & fune distendente: ex vulneribus ad intima
penetrantibus nonnulla nil aliud, nisi penetrationem demonstrant, plurima autẽ
internis ac nobilibus membris noxam inferunt: porrò ex penetrantibus ea magis
timenda sunt, quæ dorsum offendunt. nam ibi nucha, spinalis medulla, & nerui
motiui multi ab ea producti locantur: videntur [k] etiam pulmones eam magis re
plere partem, quàm anteriorem, & venæ ac arteriæ magnæ in eius fundo pertran
seunt: variantur etiam hæ læsiones locorum diuersita te, cum aut anteriores, aut
posteriores, aut laterales situs occupent, aut recte aut oblique, aut sursum, aut de-
orsum tendant, aliaque veneno præditæ, multaque sine veneno reperiantur. Sed
quia dictum est [l] nullam externarum causarum curationis indicem esse, cum a

nulla

a ¶Aristo. 1. de anima com. 3. Auerr. 1. Coll. cap. 2.
b ¶Gal. 8. de ag gr. anat. & 6 de usu par.
c ¶1. de nat. ani mal. cap. 5.
d ¶Gal. 7. de ag gr. anat. & 7. de usu par.
e ¶Gal. 6. de usu part.
f ¶Gal. 4. meth. cap. 6.
g ¶Gal. 5. Aph. com. 65.
h ¶Hipp. lib de nat. hu.
i ¶Galen. lib. ar. par. med. ca. 8o. 5. meth. 2. & 2. de sympt. caus.
K ¶Gal. 8. de a. nat. admin.
l Gal. 4. meth. cap. 3.

nulla earum, quæ adhuc non permanet, indicatio sumi possit, nec accidentia, aut
morbi forma, eius essentiam, quam isti naturam dicunt, minime instituere, sed in-
dicationem ab ipso affectu, & eius essentia initium habere; igitur dicere operæpre
tium est, primariam [a] horum vulnerum differentiam, quæ eis essentiam consti-
tuit, à qua curatiuæ indicationes sumuntur, simplicitatem ac compositionem fo-
re. Verum [b] quia potissima indicatio in his sumitur a penetratione, & ab iis
quę non penetrauerint, cum fere omnia non penetrantia pro simplicibus, & pe-
netrantia pro compositis habeantur, ideo de his, quæ totum non penetrant pe-
ctus, veluti de simplicioribus, in primis oratio habenda est.

a ¶Gal. 3. meth. cap. 3. Auic. 4. 1. cap. 28.
b ¶Gal. 3. meth. cap. 4.

DE THORACIS LEVI AC SIMPLICI *vulneris notitia & cura.* Cap. II.

THoracis uulnera [a] sola ac simplicia sunt, si nec affectus vllus
simul adsit, nec symptoma, nec propria causa vna fuerit, sed per
se stant, nec possunt nisi seipsa demonstrare, ac vna, & communi
tantum indicatione reguntur: erunt nempe talia continui solu-
tiones non tãtum summæ cuticulæ, quam epidermidan Græci vo
cãt, siue cutis totius, sed carnosæ particulæ etiam citra vllius por
tionis amissionem, postulantesque tãtum agglutinari, sic & illæ quę acuto aliquo
telo sunt perforatę. cum igitur pectoris vulnera huius fuerint naturę, nihil pro-
prij in eorum curatione habere medici [b] omnes confitentur, sed maxime com-
munem fore eorum curam affirmant, quę a duobus perficitur, nempe a natura tan
quam a præcipuo agente, & causa effectrice adiuta suis viribus, & conuenienti ali
mento, ac medico ipsius naturę ministro, quatuor intentiones in animo habente,
casque subalternatim, dum opus suum exercet, obseruante, vt tandem curationis
propositum finem assequatur; quarum prima est, si quę extrinsecus inciderint a-
mouere, secunda separatarum partium labra simul coire, tertia partis læsę substan
tiam tueri, caueręque ne quid labris vulneris intercidat, quoniam sæpius euenit
vt pilus, aut oleum, aut humiditas alia interueniens, earum quæ copulandæ sunt
partium, vnitatem impediant. quarta, si qua accidentia succedant, ea propulsare.
Extranea diuelluntur aut manibus tantum, aut opportuno instrumento, aut ali-
quo medicamento attrahente, sed rarò: committuntur partes ad inuicem aut vin
culo ex duobus initijs circundato, aut sutura, aut fibulis, quas Græci ancteras vo-
cant: porrò bifariam simul manent quæ commissa sunt, aut per se, aut aliorum
ope: per se omnia mollia & uiscosa, etiam quæ concrescunt ac coalescere possunt;
talia sane sunt tum caro ipsa, tum quæcunque ex carne consistunt: ope verò alio-
rum, omnia sicca, duraque, ut ossa. Carnosæ igitur pectoris partes si vulnerantur,
& vulnus solum fuerit citra succum vitiosum, aut externam fluxionem, aut intem
periem, aut inflammationem, aut quodlibet aliud vitium, proculdubio rore pro-
prio ac elementari, & sine medio eterogeneo coibunt. nam in corpore boni san-
guinis, ac optimæ temperaturæ, coalescere facit ea, quæ inuicem distant, ac pristi-
nam restituit vnitatem ipsa natura: veruntamen & si communiter hæ indicatio
nes, simplici, vel potius simplicissimo cuidam vulneri opitulantur, nonnunquàm
tamen læso pectore non sufficiunt, cum sæpe corporibus repletis & prauis succis
scatentibus occurrant, & huic sedi lacerti multi cõtinuis motibus dedicati insint,
qui ad sanguinis fluxum, & tardam vulneris agglutinationem faciunt: quare mi-
rum non est, si interdum bono victus regimine, ac topicorum varietate egeant: ic
circò dum nulla agnoscitur penetratio, sanguinem oui albumine, aut pulueribus
ad hoc destinatis sistere oportet, nempè si nimis effundatur immoderatè, tunc ad

a ¶Gal. 3. meth. c. 4.
b Hipp. 5. Epidemiarum. Cel. lib. 5. ca. de glut. uul. Gal. lib. 2. par. med. ca. 90. 3. met. c. 4. 4. meth. c. 1. 9. meth. c. ult. Aet. li. 14. ca. 16. Paul lib. 4. cap. 36. Rasis. 7. ad Alm. ca 3. & lib. diuin. c. 138. Auic. 4. 1. ca. 28. & 3. 4. cap. 3.

mouendus est puluis ex aloe, mastice, boloarmeno, thure, draconis sanguine additis leporum pilis, desuper verò oui candidum aliquantulum agitatum, & leui stupa exceptum admoueatur. deinde fascia membrum circunuoluatur. expedit autem ne mollis nimium sit, quo videlicet tuto contineat, nec dilabatur, neque ita uehemens vt premendo dolorem excitet: porrò eiusmodi medicamenta ante tertium diem amoueri non debent, nam parua vulnera his medijs duorum aut trium dierum spatio, sanari solent: at, si hoc pacto agglutinari nequeunt, curanda erunt ad quartam aut quintam vsque medicaturam, glutine albotin, id est resina terebinthina. expedit enim hanc claram, mollem, & odoriferam esse. siquidem ad omnes requisitas intentiones de melioribus medicinis apud antiquos [a] enumeratur: lichinia, seu linamenta, aut penicilla, vel turundæ, quas Græci taemmata, & vulgares tentas appellant, quibus medicamenta imponuntur, ita mollia, & accommodata sint, vt nullum inferant dolorem: partes verò coadiacentes rosaceo, camomillino, ac masticino oleo tepido inungantur. quibus interdum addi potest bolusarmenus, aut terra samia. & non ab re, cùm & sanguinis profluuium supprimat, dolorem sedet, & phlegmonas fieri prohibeat: cumque in vulnere optima apparuerit concoctio, siccum applicetur medicamentum, quod Græci Sarcoticon, & Latini carnis productiuum vocant, quale est emplastrum barbarum Galeni, aut basilicon Mesue, aut citrinum usuale, vel aliquod siccius, donec vulnus ex toto repletum fuerit. postremò cicatrix inducatur emplastro diasinicone, quod palmulatum, diapalma, diachalciteos, & diacolcothar vocitatur, aut quod de minio, aut triapharmacum dicitur: si vero vulnus tale fuerit, quod eam exigat curationem, quæ per consuitionem fit, & partium agglutinationem, fiat: sed in his cauere oportet, quod plerique chirurgorum faciunt, cum non rectè anatomen calleant, quodcunque thoracis vulnus dilatare, penetrationem sine indicijs & ratione uerentes.

Hactenus de simplici vulnere dictum sit, cui addere non grauati sumus nonnulla, quæ etiam his quæ dicenda ueniunt, conferre possunt.

a ¶Gal. 3. de cõpo. me. Katꝰ. & 6. meth. cap. 2. Aet. lib. 4. c. 27. Paul. lib. 4. c. 54. Auic. 4. 4. tra. 2. cap. 2. Albuc. libro. 2. cap. 85.

DE THORACIS VVLNERE PENEtrante, & de eius dignotione, & prognostico. Cap. III.

PEnetrationes vulnerum pectoris, quas syntresin græci vocant, variis sensibus dignosci solent, tactu præcipue, veluti ex digiti, aut specilli, siue radioli quod instrumẽtum huius ætatis Chirurgi stylum, aut exploratorium vocãt, impositione; ob id in obliquis, aut angustis penetrationibus, vt magis flecti possit, ex plumbo fabricatur: idq; pariter cerea candelula interdum facere solita est, & tuto, sed digitus verus est iudex: in amplis vero visus id præstat: sæpe etiã auditus, dum [a] efflatus aer sufflando per vulnus exierit, & crepitus quidam sentitur, & ampullæ multæ efformantur, præsertim si per lineam rectam ad centrũ vulnus peruenerit; si autem oblique, aut tortuose incesserit, aut angustum fuerit, aut costa aliqua fracta, aut depressa apparuerit, vel panniculus costas intus subcingens, pleura vocitatus, aut uocati intercostales musculi, siue illi, qui exterius pectus circunscribunt, intumuerint, aut coierint, quod medicorum negligentia crebro euenire solet, dum vulnus diu absque lichinis permanserit, talem notitiam non ita facile admittunt, nec plumbeus radius, aut cerea candela quiere ingredi valet, & ĩ hoc operatores sæpe decipiũtur: quapropter ut eã penetrationẽ agnoscãt, telo inspecto, a quo ueritas interdũ sumitur; uariis utũtur experimẽtis, & [b] primò xyli, siue bõbacis optime carpinati, aut lanæ flocculorũ portiũculã accipiunt, illãq; quam

a ¶Gal. com. 1. 3 com. li. Hipp. de off. med. in fine.

b ¶Galen. 1. de not. loc. aff. c. 1.

quã leuissime super vulnus apponũt, & retẽto aere iã ĩspirato, ore & naribus clausis, si patiens sufflare uoluerit, aer per uulnus aggrediẽs, quæ illi opposita sunt mouere solet; hoc idem candela parua accensa, & ex obiecto uulneri applicita facit. nam exeunte aere, flamma uentilat & mouetur. speculũ etiam lucidum, ac ab omni immunditie purgatum, si angusto uulneri obiicitur, proculdubio, si minimus exierit aer, tingitur: uerùm, quia hæc interdum medicos decipere solẽt, tutius est aut a digito, aut a specillo tale auxilium expectare; sin minus aliquantisper uulnus dilatare, inde omnia experiri. Prohibetur [a] inspiratio interdũ in amplis uulneribus thoracis, & sine uoce remanet homo, statimq; obturato uulnere, illico & respiratio, & uox redire solet: quod [b] etiam euenit spinali medulla incisa, & si utrunque latus confossum fuerit, uoce simul tota, ac respiratione planè destituetur animal. Hæc omnia prima die diligenter examinare consentaneum est. siquidem paulo post quàm plurima uera indicia manifestãtur, nempe dum pus, aut sanguis in pectoris cauitate coaceruatur, indubium quòd sit ibi uera penetratio, fidè præstat. nam laterum dolor & grauitas, pondus iuxta falsas costas, sputum purulẽtum, fœtens anhelitus, tussis molesta, & febris assidua patientem infestant: idq; [c] potissimum agnoscitur, si ab uno latere in aliud patiens se conuertens, commeare aliquid sentiat sanici multitudinis ibi contentæ: hi [d] uere in præcipiti sunt, quibus usque ad cauitatem membrorum intus conditorum læsiones peruenerint, tũ [e] quia aer exterius, & nos ambiens non præparatus, per eas ingrediens, internas partes ualde offendit, cum etiam internus per easdem admodum exhalat. quo sic expirante, & euanescente, uirtutis robur insigniter leditur, dissoluitur, multoq; imbecillius redditur. Accedit huc quòd huiusmodi uulnera haud commode detergi possunt, eaque tandem in fistulas degenerant, ac empimata, idest purulentas collectiones, excitant, unde & mors ipsis uulneratis demum accedit. & ut plurimum [f] ille, cui accidit uulnus in uentre, & apparet nausea, aut singultus, aut uentris solutio, moritur, & [g] illi, a quibus dum concutiuntur, pus cœnosum & graue olens prodit, plerunque pereunt; & quibus a sanie specillum coloratur uelut ab igne, moriuntur. Interiora uero, ac nobilia membra, cum læduntur, de eorum affectibus haud dubiam coniecturam præbent; principalium particularum uulneratarum agnitio difficilis non est, ut quæ ex accidentium proprietate, excrementis & particularum sede, ac operationibus intueantur, quorum aliqua inferius percurrere conabimur.

a ¶Gal. 8. de ag gr. anat.

b ¶Gal. 8. de usu part.

c ¶Galen. 4. de not. loc. aff. c. 9. Paul lib. 3. c. 32.

d ¶Albuc. lib. 2. cap. 86.

e ¶Gal. 8. de ag gr. anat.

f ¶ Auic. 4. 4. cap. 2.

g ¶Hipp. lib. de Coac. prænot.

PLEVRAE VVLNERVM NOTAE.

OMne [a] thoracis uulnus, si ad cauitatem peruenerit, subcingentem membranam, quæ toti interno thoracis sinui subtenditur, necessario lacerat. Hæc [b], & si instar telę araneorum quasi prætenuis sit, attamen, quia cordi propinqua, valida, neruosa, diuidi contumax, ac maxime sensibilis est, dolores, inflammationes, febres, & conuulsiones facillimè excitat. &, quia costarum ossa subcingit, pulmoni loco propugnaculi est, ne dum respirat, nudis ossibus incidat: tussis [c] necessario frequentissima ad eius læsionem occurrit, quæ huius partis consolidationem prohibet: febris continua apparet, & [d] efflatus inter respirandum spiritus, per uulnus exhalat; hæc in magnis, aut alteratis pleuræ uulneribus dignoscuntur: porrò sæpe uidimus cassalia uulnera præ nobilium partium nocumentis, absque vllo symptomate sanitati restituta; uidimus etiam conglutinatis exterius aliquibus cruentis uulneribus, in sputo notas quasdam fluentis ex interno uulnere cruoris ad spatium, quod est inter pulmones & thoracem, vnde postea empymatica successit dispositio: si uero [e] tunicula hæc inflammatione tentatur, tunc pleuritidis signa omnia apparent, nempè febris assidua, acuta, & ardens, dolor lateralis pungitiuus, spirandi difficultas, tussis magna, ac pulsus paruus & durus.

a ¶Galen. 1. de not. loc. aff. c. 1.

b ¶Galen. 5. de not. loc. aff. c. 2. & 7. de agg. ana.

c ¶Galen. 5. de not. loc. aff. c. 2. 7. de usu part.

d ¶Galen. 1. de not. loc. aff. c. 1. & 8. de aggr. anat.

e ¶Galen. 5. de not. loc. aff. c. 2.

PERICARDII SECTI INDICIA.

PAnnicvlvs cor ambiens, quem græci pericardian, & latini tunicam, aut inuolucrum, & vulgares cordis capsulam vocant, quomodocunque affectus sit, nisi inflammatione infestetur, ex Galeni sententia, [a] quia inter ignobiles partes reputatur, cum ipse solus afficitur, exemplo reliquarum omnium partium, quæ ad custodiam & tegmentum cæterarum nobilium factæ sunt, nullum affert periculum; admirabatur tamen Galenus [b] Marulum Mimographi filium, qui, quamuis cor denudatum haberet, & pericardium corruptum, sanatus esset: nam, ut attestatur Aristoteles, [c] maxime inter mẽbranas robustissimę sunt, quæ cor & cerebrum ambiunt, idque maxima ratione, nam hæc præcipuam tutelam desiderant. Hæc tunica tanto esse mollior est, quãto pulmone durior; & quia neruosa est, ossi pectoris adnexa, ex basi & uasis ipsius cordis, non tamen ex corde, exorta, necnon paulatim coarctans sese ita ut cor ipsum in quodam marsupio conseruet; interdum sæua adducit accidentia, ueluti febrem, syncopam, cardialgiam, ideſt cordis palpitationem, & non raro mortem, quæ ad cordis læsionẽ cõsortii lege consequitur. Plurimum [d] humoris urinæ speciem referentis in hoc domicilio, siue marsupio cumulari legitur, unde cor humectatur, ac in humore continuo mouetur, qui dum absumitur, animal mori necesse est, ut de Simia, & Gallo mortuo dictum est: attamen de hoc humore nihil in libris de usu partium, aut de anatomicis administrationibus, aut alibi hactenus uidere potuimus.

a ¶ 5. de not. loc. aff. cap. 1.

b ¶ 7. de aggr. anat.

c ¶ 3. de part. ani. cap. 2.

d ¶ 5. de not. loc. aff. cap. 1. circa finem.

CORDIS LAESI SIGNA.

COrde [a] percusso, quod cardian græci uocant, sanguis multus, ater, & crassus præcipuè si dexter locus fuerit uulneratus, florentissimus uero & clarus, si siniſter, effertur: uenæ æqualiter omnes langueſcunt, faciei color pallidus fit, sudores frigidi maliq; odoris tanquam in rorato corpore oriuntur, iuxta mammillam siniſtram uulnus infigitur, telum rei duræ, pulsatili & mobili impactum esse uidetur, pulsus uariant, extrema frigida fiunt, animus deficit, & si ne mora exitium sequitur. Cor [b] ob eius nobilitatem [c] diuortium non patitur, sed moritur. est [d] enim totius uitæ principium, & instrumentum [e] uirtutis uitalis, ac princeps omnium membrorum, & [f] naturalis caliditatis initium. ob id [g] eo patiente cætera languent: quòd [h] autem cor uulneratum necessario mortem afferat, unum ex his est, quæ in confesso habentur, quippe, [i] si ad uentrem cordis uulnus peruenerit, protinus magno cum sanguinis fluxu hominem mori necesse est, id præcipuè siniſtro læso, tunc quidem totus sanguis ita operante natura, affatim ad ipsum, ueluti ad primariam uitæ arcem, confugit, ac ex omnibus partibus ut læsæ sedi suppetias afferat transmittitur. unde maxima statim fit sanguinis profusio, quam & spirituum resolutio mox consequitur, aut tanta fit sanguinis collectio, ac insignis obstructio, ut uitalis spiritus in corpus uniuersum, ut oporteret, amplius diffundi non possit; unde cito homo moritur: porrò [k] si ab extrinseco aere inquinato cor lædatur, sæpè mors fit; multò magis uero offendetur, & mors consequetur, si propè id, aut in eo, uulnus occurret: si uero ad uentrem usque non penetret, sed in cordis substantia consistat, ex ita affectis aliqui non solum ea die, qua uulnerati sunt, sed sequenti quoque, ac nocte uiuere poterunt. Continui ergo solutionem, diu, nec apoſtema, usque ad incrementum, uita permanente, perferre cor potest, idq; [l] recta ratione. cum enim principium corrumpitur, quæ ab eo initium contraxerunt, de necesitate, si unà sunt, destruuntur. Cor [m] omnium uenarum, ac arteriarum principium & radix est, quamuis aliter de uenis sentiant medici [n] in uiuentibus [o] anterius, ac in mèdio positũ, in quo

a ¶ Celſ. libr. 5. cap. 26. Gal. 5 in tern. cap. 1. Paul. lib. 6. cap. 88. Al buc. lib. 2. ca. 56.

b ¶ Hipp. lib. 1. de morbis li. de Coac. prænot. & 6 Aphoriſ. 18. Gal. 2. uir nat. & 7. de aggr. anat. Auic. 2. 1. cap. 4. & 4. 4. cap. 2.

c ¶ Galen. 5. de not. loc. aff. ca. 1.

d ¶ Gal. 13. de uſu part. cap. 10.

e ¶ Gal. libr. de iuuamen. pulſ.

f ¶ Lib. de com pag mẽbr. ca. 8.

g ¶ De aggr. anat. & lib. de dog mat. Hipp. & Plato 5. de not. loc. aff. cap. 1.

h ¶ Gal. 6. Aphoriſ. comm. 18.

i ¶ Gal. 5. intern. cap. 1.

k ¶ Hipp. lib. de aere & aqua.

l ¶ Ariſto. 2. de gen. & corrupt. 3. de part. anim. cap. 4.

m ¶ Ariſto. 3. de par. an. cap. 4.

n ¶ Galen. 6. de aggr. anat. & 4. de uſu part.

o ¶ Ariſto. 3. de part. ani. c. 3. & 4.

principium

principium uitæ, omnis q; motus, & sensus esse censetur: natura quidem nobiliter eum collocauit, & conseruat. Cor solum, dicebat Aristoteles, inter omnia uiscera uitium nullum patitur, cum uitæ principium existat, ac membrum tribuens, & non recipiens, omnibus ve aliis partibus suarum operationum principia donans, & ad uirtutes proprias disponens: in eo etiam irascibilis animæ uis insita est.

VENE CAVAE, AC ARTERIAE AHORTAE PERFORATAE NOTIONES.

EX gibba iecoris parte, omnium totius corporis uenarum maxima illa prodit, quæ ob eius magnitudinem caua dicitur, per totum animalis longitudinem exurit, sursum ad cor tendit, deorsum ad spinam progreditur, in qua sanguis purus colligitur, cumq; hæc uena, quæ etiam magna, & chilim nuncupatur, læsa fuerit, sanguinis nigri & crassi maximum profluuium expectare oportet, uulnus in dextero latere uergit, venæ langueſcũt, facies decoloratur, extrema frigeſcunt, vires deficiunt, & non multum post æger moritur. si autem arteria aborta quæ omnium maxima est, ex siniſtro cordis uentriculo exoriens, spiritum uitalem in totum animantis corpus deferens, natiuumq; calorem per diastolem & sistolem temperans, uulnerata fuerit, sanguinis floridi, ac tenuis, copia, effunditur, uulnus in siniſtrum tendit situm, arteriarũ motus uariant & concidunt, extrema frigida fiunt, animi deliquia crebro succedunt, postea febris assidua, cordis palpitatio, & mors statim subsequitur: occurrit interdum quod arteriæ ramus aliquis uulneretur, & quamprimum uulneris partes coierint, ac sanguis ille spirituosus fuerit retentus, circumiacentes sedes tumore expanso uexantur, qui ad tactum arenulis, aut uitris in minimas partes reductis plenus esse uidetur, quod symptoma, futuram mortem præsagire solet. de eo tamen adhuc ullum uerbum legere potuimus, & multos uidimus vulneratos potissimum circa iugulos, quorum plerique tandem uitam cum morte permutarunt.

SECTORVM PVLMONVM SYMPTOMATA.

PVlmones icti [a] quia [b] spirandi officio delegati sunt, spirandi difficultas oritur, sanguis ex plaga spumans, clarus, rubeus, sine dolore, & nõ ualde calidus, effunditur, ex ore [c] interdum tusiendo subito, multus, spumosus, & rarus emittitur: sæpe etiã ex uulnere spiritus cum sono fertur, in uulnus inclinari iuuat. quidam sine ratione furgunt: multi, si in ipsum uulnus inclinãtur, loquuntur, si in aliam partem, obmutescunt; ceruices conuelluntur; facies modo inflammatur, modo dealbescit; interdum accedit color, denuo recedit. ultimo pallida remanet, si intimè pulmones uulnerentur; lingua alium colorem assumit, ægri [d] crebro inspirant, frequenter tusiunt, uulnus tenue, sed copioſum pus, ex purgat: non dolent [e] qui sic affecti sunt. siquidem pulmones sensu priuãtur: diu [f] interdum uiuunt, sed raro conualescunt; promptissimè [g] quidem secti pulmones malas temperaturas ac inflammationes excitant. quæ [h] si semel eos occuparuerint, uulneris glutinandi exigua spes remanere solet: præterea dum expiratur aut inspiratur perpetuo aliquid aeris, qualiscunque ille fuerit, recipiunt, à quo sectæ eorum partes læduntur: adde quòd ea, quæ sanandis uulneribus idonea medicamenta sunt, attingere pulmones integris uiribus non possunt, accedit [i] insuper, quòd respirãdo mouentur, & tusiendo lacerantur; cumq; igitur cum spirandi difficultate, ac tusi sicca, aut cum sputo sanguinis non multum resonans, anguſtia, & pectoris grauitas coniuncta fuerit, acuta quoque febris accesserit, pulmonum aut ligamenti alicuius, a quibus thoraci connectuntur, inflammationem declarat, aut in eis profundis simum uulnus ineſſe manifestat; ex uulnere penetrante lateris siniſtri. interdum pulmones nocumenta euadere solent, ob id quia a coſtis

a ¶ Celſ. libr. 5. cap. 26. Gal. interp. cap. 6. Paul. lib. 6. cap. 88. Al buc. lib. 2. cc. 56.

b ¶ Ariſt. 3. de par. ani. cap. 6. Galen. 6. de uſu part.

c ¶ Hipp. de Coac. prænot 5. Aphoriſ. 13. Gale. 2. Aphor. com. 24. Aet. libr. 8. cap. 59. Paul. lib. 3. cap. 31.

d ¶ Gal. 4. de no. loc. aff. cap 9.

e ¶ Gal. 2. de loc. aff. ca. 1. & 5. de not. loc. aff. c. 9.

f ¶ Hipp. li. de in ter. affect.

g ¶ Gal 5. meth. cap. 8.

h ¶ Galen. 4. de not. loc. aff. ca. 9. & 5. meth ca. 8.

i ¶ Gal. 5. meth. cap. 11.

stis illius partis aliquantisper distant, quod secus se habet, ex affectu sedis oppositæ.

TRACHEAE VVLNERATAE ACCIDENTIA.

2 ¶Hipp. lib.1. de morbis Arist. 3.de part.ani.ca. 3.Cels.lib.4.ca. 1. Gal. libr. art. part.med.ca.80. 7. de cõp. med. secundum loc. in princ.&7. de usu part.

MAgna arteria, quam græci [a] tracheam, ideſt aſperam, & latini bronchum & guttur uocant, pars eſt ipſius pulmonis ad inſpirationem & reſpirationem neceſſaria, ac tertium eius uas, & proprium inſtrumentum uocis, à pharinga profectum, exterius cartilaginoſum & rotundum, ne facile ab extrinſecis lædatur; qua uero parte interius æſophagum tangit, carnoſum & mẽbranoſum eſt, ne ipſum comprimendo, cibum ingredi prohibeat. Hæc [a] arteria, dum uulneratur, interdum ſenſibus dignoſcitur, ſæpe uero occultatur; Sed quomodocunque ſit, [b] nunquam ab ea aut calidus, aut ruber, aut multus effunditur ſanguis: interdum dolor, ſed paucus, iuxta exulceratum locum percipitur, acutus uero ex pectore ad dorſum: fauces latenter ſanguine, aut ſanie replentur: nõnunquam [c] etiam fœtidus oris odor, uocis raucedo, & faucium ſiccitas cauſatur: huiuſcemodi accidentia raro pulmone uulnerato uideri ſolent; inde ad paucum tẽpus per ſputum purulenta quædam, ac cruenta reiiciuntur, & febris fortior ſit, & in pulmones deſinunt excrementa, & patiens empycus ſit; talia uulnera cum exteriorem & carnoſam lædunt tunicam, potiſſimum quæ ſummæ eius parti eſt uicina, ſanari non inconuenit, & nos, dicunt medici, [d] non paucos eorum, qui ita affecti ſunt, ſanauimus: cum uero effatu digna ſunt uulnera, præſertim, quæ cartilaginem occupant, perraro ſanitati reſtituuntur, ob id quia ſedes hæc dura & exanguis eſt continuo mouetur, ac humiditates frequenter ad eam deſluunt, quę ſanè unà cum aſſidua eius reſpiratione, impedimento ſunt, quominus labra uulneris coaleſcant, & ſi caſu aliquo tumore afficitur, meatus clauditur, & patiens ſuffocatur, aut œſophagus ita comprimitur, quod homo deglutire non poteſt.

b ¶Hipp. lib 2. de morbis Gal. 5.meth.cap.8.& 5.de loc.aff.c.7. Auic.10.3.trac. 4.cap.16.

c ¶Hipp. lib.de inter.affect.Gal. 7.Meyrmir.circa prin.

d ¶Gal.5.meth. cap.12. Act.lib. 8.cap.64.

SEPTI TRANSVERSI OFFENSI INDICIA.

a ¶Galen.7. de usu part.

b ¶Cels.lib.4.c.1. c ¶5.de par.ani. cap.10.

d ¶ 5. de not. loc.aff.cap.5.5. de usu par. in fine 8. de aggr.anat.& lib de uoce & anhel.

HOc membrum a Platone & ſenioribus Philoſophis phrenas, ſiue phrenun, id eſt mens, vocabatur, a Latinis verò, [b] & his, qui Platoni ſucceſſere, ſeptum dicitur, ab Ariſtotele [c] epiriſma id eſt ſuccinctura, a Galeno [d] diaphragma & præcordia; muſculus magnus eſt ac rotundus, qui ſubtenditur interno toti ſpatio thoracis, & terminus, quo inferior thoracis pars finitur, ſeptũ dicitur, quaſi ſepes aut paries, nobiliores partes ab ignobilioribus ſegregans, & animam concupiſcibilem, quam Plato in Hepate permanere dicit, ab iraſcibili, quam in corde ponebat, ſeparans, & vt animæ ſentientis origo inoffenſa ſeruetur, nec exhalatione cibi, & caloris aduentitij copia, facile occupetur. Annectitur hoc ſeptum, ſeu cingulum coſtis, parte ſui altiore, carnoſiore, ac validiore inferna ſummitati peritonęę tunicæ: media autem membrana exiliori conſtat. Ergo cum circa ſpurias coſtas penetratio occurrerit, aut ſi paulò altius ſit, & deſcendendo procedat, huius particulæ laſionem timere oportet: & quia [e] ſpirationis inſtrumentum eſt, ſanguis ſpumoſus fertur, ſpiritus rarus eſt, ſpina dolet, & præcordia ſurſum contrahuntur. at ſi ingens vulnus fuerit, aut membrum inflammatione affligatur, uehemens apparet inſpiratio cum gemitu & dolore per totam humeri partium compagem, magnaque tuſis reſonãs cum dolore & ſtrepitu, ac liuidum ſputum, & vomitus, & ſanguis ſpumans per os fertur, & qui ſic laborant, difficulter comedunt. ubi [f] enim a vicinis partibus excrementitij ſucci, ac variæ humiditates attractæ fuerint, continuo mentem perturbant, unde delirium ſequitur, & vulnerati incompoſitè loquuntur, ob id nullius [g] partis prætèrquam cerebri aut ſepti vitio delirium continuum homines infeſtat: iccircò ueteres [h] hac parte inflammatione affecta, homines phreneticos deuenire putarunt. ob id phrena, ideſt

e ¶Cels. lib. 5. cap.26. Paul.lib. 6.cap.88.

f ¶Gal. lib.4.de præcog. & puls.

g ¶Galen.5.de loc.aff.cap.3.

h ¶Arisso.3. de part.anima cap. 10. Galen. 5. de not.loc.aff.

mentem eam vocarunt tanquàm ſapienti parti quidpiam acciderit: febris etiam acuta ex maximo cordis conſenſu oritur, & ſi quid cibi aſſumptum eſt, id redditur præſertim media eius parte ſecta. Huius [a] viſceris vulnera, niſi intimè peruenerint, interdum, ſed magna cum difficultate ſolidantur, eius motu non obſtante, ſi autem neruoſis & exanguibus hęrent partibus, res abſque ulla ſpe iudicatur: difficilis ſane, grauisque curatio eorum etiam eſt, quę carnoſis inſunt partibus, atque magis ſi has iam phlegmon, occupauerit; porro non in ipſo modò diaphragmate, uerum etiam omnibus, quę intra peritoneũ ſunt contenta: adde etiam hanc curã di difficultatem ob eam rem quòd in his vulneribus ſanies perpetuò defluit, quę ſedem uulneratam agglutinari non ſinit, nec ad ea loca medicamenta, niſi tarde, tranſire valent. Hęc fere ſigna, in ſubcingent is membranę, & mediaſtini magnis ſępe ſionibus apparere ſolent.

a ¶Gal.5.meth. cap.9.

NVCHAE AC SPINAE INCISAE NOTIONES.

a ¶Ariſt. 3. de part. ani. cap.4. Gal. 8. de aggr. anat.

VEmadmodum [a] a corde magna arteria, quę ab orti & ab hepate cauа vena, quę chilis vocitatur, ortũ ducit, ita a cerebro truncus magnus producitur per totam ſpinam extenſus, qui ſpinalis, dorſalis, cerualis, & lũbaris medulla nuncupatur, a vulgo vero nucha dicitur. Hic validorum neruorum principium eſt, ſenſum ac motum omnibus partibus ſub ceruice conſtitutis, præterquàm viſceribus, præſtans. Hac ratione [b] cum nucha, quę cerebri vicaria eſt, aut medulla, quę in ſpina conſeruatur, diſciſſa fuerit, vulnus in media dorſi regione infigitur, nerui reſoluuntur, aut diſtenduntur, ſenſus intercidit, ac vis ſentiendi interdum digitis non influit, dolores, qui affectam particulam comitantur, intenſi admodum ſunt: interpoſito tempore aliquo inferiores partes ſine voluntate uel ſemen, uel lotium, uel aluum excernunt. Alienant [c] interdum qui ſic affecti ſunt ex cerebri conſortio, & [d] ſæpe aliqua mollificantur parte. Talia uulnera ut plurimum ſeruari nequeunt, nam his ſimilia ſunt, quę cerebro occurrunt: porro [e] huic imbecillitas accidere ſolet interdum cerebri uitio, utpote a quo & ſentiendi & mouendi facultatem recipit, interdum ipſa duntaxat ſpina primario affectu laborante, veluti cum eius ſoluitur continuitas, quæ [f] ſi profunda fuerit, ſæua adducit accidentia, & tandem vulneratum perimit. verùm [g] ſi ſpinę principium lædatur, ſolæ partes capitis, quoad vixerit animans, & ſentire, & moueri poſſunt: quòd ſi cerebro quoque noxa acciderit, qui ſic afficiuntur omniũ partium & motum, & ſenſum illicò deperdunt.

b ¶Celſ.libr.5. cap.26.

c ¶Hipp. lib.1. de morbis, & 5. de Coac.præno.

d ¶ 12. de uſu part.& 8. de aggre.anat.

e ¶Gal.4.inter. cap.5.

f ¶Hipp. lib.de Coac. præno. & lib.2.prædictionum.

g ¶Galen.4. de ſympt. cauſis.8. de aggr.anat.

MERI APERTI NOTAE.

IAm [a] partem, quæ inter fauces & os ventriculi media eſt, Græci Eſopha gon, Arabes meri, & Latini gulam vocant, gula [b] enim eſt, qua cibus & potus deuoratur, conſtat ex neruoſa & carnoſa parte. ex neruoſa, vt exté di poſſit, cùm cibus ingreditur. ex carnoſa, vt mollis ſit & cedat, ne lędatur aſperitate cibi deſcendentis: Exitialia ſunt eius vulnera tum quòd cibus ac potus per eã tranſit, qui agglutinationem impedit, tum quòd eiuſmodi vulnera contactu medicamentorum in tranſitu tantùm fruuntur, ſicuti & quę in ore, ſeu ventriculi orificio conſiſtunt. Dignoſcuntur hęc uulnera a ſitu, interdum ſenſu tactus, ſed ut plurimum ab exeuntibus. defertur enim per lineam rectam membrum hoc ad ſpinę longitudinem ſub aſpera arteria. molle eſt, rotundum, & pauciſſimis venulis à meſereo ortis contextum: cumque uulnere tentatur, ſanguis, aut pus uomitur, ac per eum nutrimentum aſſumptum crudum redditur: at cum ſupinus geger decumbit, dolor [c] ibi augetur, & poſterius inter duas ſpatulas, ac in collo uſque ad pectoris initia ſentitur: erecta uerò ceruice mitigatur, neque ullus accedit anguſtię ſenſus:

a ¶Galen.5. de loc.aff. cap.4.4. de uſu part.

b ¶Ariſto.3. de part.anim.ca.3.

c ¶Galen.5. de loc.affect.cap.4. Auic.13.3. tr.4. cap.13.

sensus: ubi uerò tumor aliquis oritur, hanc sedem angustiorem reddit, & cibus per eam serius pertransit, febris augetur ac sitis, & multi caloris sensus irritatur. Porrò Medicus prudens diligenter agnoscat quę omnium horum uulnerum insanabilia sunt, quę difficilem curationem habeant, & quę promptiorē. nam ut Celsus dicebat, prudentis Medici est primum eum, qui seruari non potest, non attingere, nec subire speciem ut occisi, quem sors ipsius peremit. deinde ubi grauis metus, sine certa tamen desperatione est, indicare amicis & familiaribus in difficili rem esse, ne si uicta ars malo fuerit, uel ignorasse, uel fefellisse uideatur. Quàm plurima alia symptomata his uisceribus uulneratis supernascuntur, nempe inquietudines, cibi fastidium, conuulsiones, siderationes & similia, quæ eo quia medicis exercitatę cognitionis innotescunt, nihil de eis amplius dicere decreuimus. Sed prędictarum lęsionum in uniuersum & singulatim curationes aggrediamur.

DE THORACIS PENETRANTIVM vulnerum curatione. Cap. IIII.

INDICATIONES, siue media, aut, ut dicunt, intentiones, quibus secundum temporis opportunitatem thoracis uulnera sanitati restituuntur, a rationali medico sex communiter enumerantur; quarum prima est prohibere ne sanguis aut alia humiditas ad pectus delabatur, ac ibi detineatur; secunda obstare ne ab uniuerso corpore ad affectam sedem succi alieni defluant; tertia extra uenas existentes humores in pectoris clibano coaceruatos, cōmode euacuare: quarta uulnus optime abstergere, siccare, ac topicis medicamētis, ut tempus exigit, opportunè regere; quinta internorum membrorum affectus regulate pertractare; sexta accidentia sęua, si adsunt, profligare.

DE PRIMA INDICATIONE QVAE NE SANGVIS, aut alia humiditas in pectore cadat & retineatur, prohibere docet.

a ¶Hipp. libr. 1. de morbis, & 6. Apho. 10. Cels. lib. 2. cap. 7. Gal. lib de tum. cap. 2. & 1. prædict. com ult.

SANGVIS [a] quisquis ille fuerit qui a proprio uase in aliam cauitatem peruenerit, ut sub ea forma permaneat omnino fieri nequit; quare sanguinem omnem extra uenas existentem, ac in aliquem uentrem, aut thoracis spatium effusum, necesse est suppurari, id est, in saniem uerti, cum [b] ex toto diuersam naturam, & substantiam acquisierit. interdum sit pus ut in abscessibus, quos Græci apostemata, Latini exituras, & Arabes dubelet uocant. quandoquidem per minimas partes dispersus sanguis ad eas, quę uasis circuniacent, ac sub cute residet. sæpe in cumulos uertitur, præsertim accedente calore extraneo, & suppuratur: adhuc cum in cauitatem aliquam, aut ventrem destillauerit, tandem in pus uertitur: per uentrem verò omnem cauitatem & sinum, ait Galenus, intelligere oportet, asserens manifestum [c] esse pectore uulnus perforatum patiente, sanguinem ex uulnere ad spatium, quod est inter pulmones & thoracem, fluxum, tandem suppurari, ac in eo loco pus contineri: iccircò indicatio [d] in similibus uulneribus, dum scimus scissuram interius penetrare, est, vt incarnetur uulnus, & non dimittatur sanguis coagulari in interioribus, & prohibeatur eius fluxio. sic enim iubet diuinus Hippocrates [e] cum dicit, recenti cuiuis uulneri, nisi fuerit in uentre, sanguinem fluere conducit. nam & ipsum uulnus, & quæ iuxta sunt, minus inflammatione premuntur. Methodus hæc uerificatur in casu Billi [f] in dorso

b ¶Galen. 2. de Crisi. cap. 2. de diff. feb. cap. 9.

c ¶ 5. de not. loc. aff. cap. 2.

d Auic. 4. 4. tra. 1. cap. 7.

e ¶lib. de ulceribus. Cels. libr. 5. cap. 26.

f ¶Hipp. 5. & 7. Epidemiarū. Gal. comm. 1. lib. Hipp. de off. Medici com. 2.

dorso uulnerati cum spiritus multus cum strepitu per uulnus exiret, & sanguis flueret, qui, ubi medicamentum protinus cruentis uulneribus accommodatum, adhibitum ac deligatum fuisset, sanatus est. Reiiciatur ergo uulgaris illa dubitatio, nunquid cruenta pectoris uulnera statim agglutinari, aut diu aperta conseruari iustum sit. quippe consentaneum est in eximia sectione, intactis magnis uenis, aut arterijs, & dum nulla sanguinis copia apparuerit, illico conglutinationem tentare, præsertim sine medio eterogeneo, sed rore proprio, ac elementari, aut si decet, sutura, aut ligatura, uel alio ingenio. siquidem hoc modo partes coeunt, innatus calor conseruatur, qui postea vehementius in alicuius collecti sanguinis præparatione operatur, ut facilius per sputum, aut lotium expurgari possit, nec sic pulmones a frigido aere per uulnus attracto afficiuntur, ex quo etiam consolidatio uulneris prohibetur. Verùm si de coagulato sanguine aliqua datur suspicio, uulneris os [a] alicuius Psilli ore & labris apprehendatur, & tota extrahatur materia, quod etiam in uenenatis uulneribus fieri solet; aut [b] cucurbita ad hoc accommodata applicetur, inde si hæc non iuuant, ad cannulum deuenire opus est, quod instrumentum Græci [c] Pyulcum, & Latini sanierum eductorem uocant, cuius imaginem hanc esse opinamur.

a ¶Dioscor. lib. 8. cap. 16. Cel. li. 5. cap. 2. Auic. 6. 4. tra. 3. cap. 1.

b ¶Gal. 4. meth. cap. 4.

c ¶Galen. 2. ad Glau. c. de sinu.

PYVLCA.

EVACVATA materia uulneris partes uniantur, & siccis, ut decet, medicinis regantur, ex his præsertim, quæ cruentis uulneribus protinus injciuntur, veluti illud celebre Barbarum, aut ex bitumine, aut Cizicenicum, aut nostrum Sanctum. At si [d] de conglobato sanguine uerendum sit, uulnus coire non expedit, sed usquequo adamussim pectus ab omni succo diuerso fuerit exinanitum, turundis, quas Græci taemmata, & uulgares tentas appellant, uulnus apertum seruari debet: si uero ita angustum extiterit, ut penetratio inueniri nequeat, cutem aliquantulum secare par est, ita tamen ut nobilia, aut uicina membra ab omni noxa defendantur: inde [e] ægrotus pedibus suspendatur, uel hinc inde concutiatur, donec quod in eo congregatum est exeat: dormiat super uulnus, ac in die quiescat. interdum a pulmonibus clauditur uulnus hac ratione, aut specillo aut fistula, quæ non pungat. interdum uti ausi sumus, sic pulmones propellendo, ut materia libere exeat, peractis aliquibus diebus, si nec creber apparuerit anhelitus, aut cordis tremor, aut febris intensa, aut aliquod malum accidens, & reliquas eius bona snouerimus dispositiones, vulnus illud saluum esse opinamur prestantis igitur medici officium est. sedem vulneratam illicò diligenter considerare, quod ex anato me apprehenditur, an ibi magnæ vel paruæ insitæ sint venæ, & arteriæ. nam statim à magnis multus, à paruis paucus emanare sanguis solitus est. qui, si minimus fuerit, ab innato regulatur calore, & insensibiliter discutitur, aut p porarios meatus, siue per communes canales expurgatur. venæ siquidem quamplurimæ ac arteriæ, per apicem inferiorem musculorum intercostalium, percurrunt. Suppresso igitur sanguine uulneris partes [f] aut fascia duplici modo inuoluta, aut uinculo [g] Sostrati, aut Amynthę, aut ad formam literæ X, quod maximè conuenit vbi pectus,

d ¶Albuc. libr. 2. cap. 86.

e ¶Gal. 5. de loc. aff. cap. 2.

f ¶Gal. 3. meth. cap. 4.

g ¶Gal. libr. de fasciis ca. 81. 82.

pectus,vel dorsum,aut latera deuincire voluerimus,aut futuris, uel fibulis vniantur,& siccis,ac glutinantibus medicinis regantur.

DE SECVNDA INDICATIONE.

Quæ,ne à toto corpore, ad sectum locum succi alieni defluant,inhibere insinuat.

IN magnis & profundis uulneribus, licet uiscera sana fuerint, medendi ratio est,ut primò sanguis cohibeatur,deinde ne a toto corpore ad ipsũ vulnus alienæ defluant humiditates prohibere, quod multis celebratur ingenijs,nempè afflictæ partis substantiam & habitudinem conseruando,eamque à dolore,inflammatione,& ab omni alio symptomate prauo, quod his vulneribus accidere solet,præcusto diendo, quippè sic fluxiones prohibentur. Igitur primis diebus admotis in vulnere linamentis ex oui albumine solo, aut luteo addito,extra verò ex rosaceo,uino nigro,aut rosacea aqua admisto, frequenter immutando sanguis comprimitur; altera die à sede vulneri opposita sanguis mittatur a Iecoraria vena,quam nigram, axillarem, & basilicam vocant,quę bis,terque vulnerari solet: porrò Chirurgi in recentibus & nuper acceptis uulneribus sanguinem detrahunt,nec solum ne pars sfuciata,aut circumpositæ loca phlegmone tententur,sed vt impetum quoque ruentis sanguinis cohibeatur; iccircò in secunda visitatione præmisso enemate leniente,ac deiecta aluo,summo mane, virtute,ac ętate consentiente,vena aperiatur.interdum ẽt [a] quam citius põt, & [b] sanguinis copia pro robore,ætate,consuetudine,ac anni cõstitutionibus metiri conuenit:persæpe quidẽ,aut saltẽ bis in die extremarũ ligaturis,frictionibus, aut cucurbitularũ admotione fluxiones reuellãtur:at si aluus astricta fuerit, ea alternis diebus indita glande,aut clystere iniecto,subducenda est:cum his tenue regimen ac probam uictus rationem instituere oportet,atque magis in iuuenibus, aut si uiosus in toto corpore succus,cacochymiam vocant,vel succorum æqualiter se habentium exuberantia,quam plethoram dicunt, apparuerit: quare septem primis diebus,quibus ut plurimum a febre & inflammatione uulnerati tuti esse solent, aer purissimus eligatur,qui confosso thorace,magis quàm in aliis uulneribus obeius inspirationem considerandus est.tenuissima seruetur diæta.hoc tamen seruato,quòd sicuti uictus ratio in capite uulnerato talis esse debet, ut caput uaporibus & malis humoribus non repleatur;ita in thorace affecto agendum est: quare a principio,si uirium imbecillitas non obstiterit,tenui uictu semper utendum est. sin autem,uirtuti ante omnia consulendum:attamen in thoracis læsionibus ob ni miam spirituum resolutionem liberalius est agendum,præsertim in biliosa habitudine,& uirtutem concoctricem ualidam habentibus:perpetuo tamen tutius est uulnere magno existente,patientes sine uino,carnibus,ouis,caseo, piscibus, oleribus,fructibus,& similibus nutrire.sed sat sit illis panem lotum iure paruæ pullæ infusum concedere,aut hordeaceam ptisanam addito saccharo parare. cibaria uero salsa,acuta,pinguia,acerba,aromatica,aut sanguinem augentia sunt vitanda. utendum quippe est amygdalato,hordeato,passulis,& quæ thoraci conueniunt: cibi astringentes in initio dimittantur,ne difficilem reddant anhelitum,& sanguinem,si quis in cauitatẽ delapsus fuerit,astringant:aqua hordeacea his potus esto, addito zulapio violato,aut saccharo candido,aut decoquatur cum iuiubis & glycirrhiza.& si tussis patientem molestat,addatur syrupus de glycirrhiza,quæ si augetur,melicratum probatur;vt quiescat iubendum.optimum [c] quidem medicamentum, quies est;nec ualde anhelet, sed sileat ac dormiat super latus dimissum,

a ¶Gal.5.meth. cap.6.
b ¶Gal.libr.de cura per sanguis missionem,& 1. ad Glauc.
c ¶Celsi.lib.5. ca.de cur. artic.

nisi

nisi multus emanauerit sanguis in cubiculo iaceat,aeris temperati malorum vapo rum immunis;uenerem deuitet, [a] ac nimium colloquium. & pariter, iram, clamores,ac omnes vehementes animi motus:cæterum vbi vulneratus a phlegmone, febre,tussi,& malis accidentibus fuerit tutus,pleniore victu vti poterit, ac ad pristinam consuetudinem paulatim redire:si verò vitiosi succi abundantia in corpore subsit,vel vulnus præualidum sit,ea quidem lenientibus medicinis tollenda est. sic iubent medici [b] sub his verbis,Purgatio ventris deorsum plurimis ulceribus confert, & in vulneribus, quæ in capite,in ventre, & in articulis fiunt, & in quibus corruptionis periculum imminet,& in his,quæ consuta sunt,idest,valde magnis vulneribus sutura egentibus.valde magna ac præualida vulnera sunt, vel propter afflictæ partis præstantiam,vel propter affectus magnitudinem, vel propter sæua accidentia,quæ ea sequuntur.ægri interdum has euacuationes exposcunt,& si corpus ab excrementis purum fuerit,& citra cacochymiam,vt nõ solum quod noxium educant,sed etiam vt ad diuersum trahant.expedit [c] in hoc, peccantium humorum qualitates considerare,ac opportune eos expurgare: qui verò noxii ac timendi sunt,tenues & calidi esse solent:igitur pro eorum euacuatione & Casia,& Manna,& syrupus violatus solutiuus, & electuarium diasebesten simplex;aut diacatholicon laudatur.quæ ferè omnia medicamenta, antiquis non innotuerunt,qui has purgationes per valida medicamenta, moliebãtur: nos tamen eiusmodi valentibus in recenti vulnere nec vti consueuimus, nec cuiquam vtendum esse consulimus:dũ viscus aliqđ læsum fuerit. Principis tamẽ [d] auctoritate his addunt iuniores & Reubarbarum & Mumiam & Rubiam,vsq; ad dr.j.& si nulla,aut mitis aderit febris,ac crasi humoris copia abundauerit, electuarium lenitiuum,aut de sebesten sine Scammonio,interdum & agaricum probatur: per vomitum etiam euacuationem molimur, prædicta medicamenta patientibus in forma boli cum saccharo,aut cum aqua buglossæ,hyssopi,capilli veneris, aut aliquo pectorali decocto sub tenui forma offerentes:porrò sanguinis fluxu interno apparente,talia pharmaca propinanda non sunt,sed quæ sanguinem cohibent,ve luti syrupus myrtinus,aut rosaceus ex rosis siccis,addito boloarmeno optimo.aut exhibeantur trocisci de spodio,aut de terra sigillata. vltimum verò sint illi de carabe,aut de succino. dum hæc fiunt,vulnus terebinthina actu calida regatur,& loca,quæ in consortio sunt,linimentis moderate repellentibus foueantur, nempe oleo rosaceo,myrtino,ac masticino,cui bolus armenus,aut lutus Dianæ addi potest.aut paretur medicamẽtũ ex oleo masticino,linimento simplici,& vino nigro. postremo optima apparente vulneris concoctione,quę [e] alba,leuis, æqualis, & sine malo odore producetur,illud carne repleatur,& vltimo sigilletur.

a ¶Hipp.lib.de inter.aff.
b ¶Hipp.lib.de ulceribus. Celsi. lib.5.ca.26.Gale.4.meth. ca.6.
c ¶Hipp.lib.de medic.purgant. lib. de humoribus. libr. de usu ueratri, & 1. Apho.2.& 23.
d ¶ 4.4.tract.2. cap.5.
e ¶Hipp. lib.6. præsagiorũ ult. Celsi.lib.5. c.26. ca.de curat. art. Gal.7. Aphorisc. com.4.c. & 1. de diff. feb. c.ap.8 Auic.3.4.ca.23

DE TERTIA INDICATIONE,

Quæ extra uenas existentes humores in pectore coniunctos commode euacuare docet.

VMORES omnes extra venas existentes dum sub saniei, aut sanguinis alterati forma extiterint,ac in thoracis spatio contenti,omnino aut per externas,aut per internas regiones euacuandi sunt: per [a] externas sic ægrum situando,vt vulnus infimas spectet partes,& ore suo circa sedem inferiorem vergat,aut pedibus suspendatur, vel ita concutiatur, vt tota materia libere exire valeat,& sinus a confluentibus humoribus immunis efficiatur, modo lectũ ipsum eleuando,modo deprimendo,modo membrum ipsum attollendo, modo demittendo,prout vulneris orificium consulet.Si verò hæc non iuuant,eo saltem instrumento opus celebratur,quod Græci Argalian [b] Canatiron, [c] Cathæter, rectum

a ¶Gal.5.meth. ca.8.& 5.de no. loc.aff.cap.2.
b ¶Gal. de loc. aff.cap.3.
c ¶Act. lib.16. cap.78.

S

a ¶Gal.5.meth. cap.11.Act.lib. 11.cap.5.
b ¶Gal.5.meth. c.11.Pau.lib.6. 6.cap.59.
c ¶Gal.5.meth. cap.11.
d ¶Galen.2. ad Glau.c. de sinu. & 5.meth.c 7.& 11.Act.lib.13.c 86 Paul.lib.6 c.59.
e ¶ Albuc. lib.2.cap.59.
f ¶ Auic. 13.2.tr.1.cap.5.& tra.2 cap.9.
g ¶Celſ. libr.6 cap.de col. mor.lib.5.cap. de fiſtula & lib.7.ca.26.& 27.
h ¶Gal.5.meth.cap.7.& 11.

rectum Syphonem, [b] Cotenchitam, [c] & Pyulcum [d] vocant, Arabes vero Clapſedran, [e] & catatirus, [f] vel potius alchartir nominant, Latini [g] Syringam, Clyſtere oricularium, & ſanierum eductorem appellant. nam organum eſt quo opus extrahitur. Clyſtere oricularium, a græcis [h] Cortenchitas, & vterinum Metrenchitas, vocitatur. Cum verò ſanguis conglobatus, aut materia craſſa, aut quæuis alia humiditas in pectore cõtenta eximi debet, aut ſinus ablutione egeat, hoc ſemper paratum ſit inſtrumentum, multis etiam aliis paſſionibus accommodatum; argenteum eſſe debet, aut æneum, ſub his imaginibus delineatum.

COTENCHITAS.



METRENCHITAS.



Non raro etiam, & commode has humiditates extrahit Pyulcum ſuperius delineatum, nam fiſtula vel cannulum argenteum, aut æneũ eſt lõgitudinis digiti ex dimidio alicuius curuitatis. Sæpe etiam vt talis materia continue effluat, quæ febrẽ, anhelitus difficultatẽ, & tuſſes cauſare ſolet, cãnulũ talẽ in vulnere tenemus, plurimis locis pforatũ, teretẽ, & aliis q̃busdã munitũ, ac nẽpe ſub variis formis paratũ, ab aliquibus cuneoli cãnulati vocantur, & eorum effigies ſic efformantur.

a ſ.Katag.circa med.
b 2.Katag.circa finem.
c Differen.181
d In Antidot. cap.de medic.in carnan.
e Diſt.11. ubi de emplaſtris.

Imposito quàm leuiſsime cannulo exterius aliquod applicetur medicamẽtum, cui exiccandi potentia aliqua inſita ſit, temperata attractione non expoliatum, quale eſt calcideum Galeni [a] quod corrupta voce, ſed vera ſignificatione Gratiadei vocitatur, aut Barbarum, [b] aut illud de gumma Elenii, quæ falſo elami dicitur, Cõciliatoris, [c] aut illud de Cẽtaurea Gẽtilis, [d] aut illud mirabile de fermento Democriti deſcriptum à Meſue, [e] aut noſtrum Sanctum, vel ſi lubet

bet Recip. reſinæ Pini, viſci quercini, ſordicierum vaſorum Apum, ammoniaci, galbani an. vnc. ij. ceræ vnc. vj. liqueſcat cera, poſtea reſinæ, vltimo omnia miſcenda ſunt, & adde puluerĩs ariſtolochiæ rotundæ, conſolidæ minoris an. vnc. ſ. & ſecundum artem fiat vnguentum in bona forma. aut Recip. fermenti acris, axungiæ ſuillæ an. vnc. ij. paſſularum enucleatarum vnc. j. terebinthinæ claræ vnc. iij. ammoniaci, galbani an. vnc. ſ. ceræ quantum ſufficit pro vnguento. At ſi cannulus nec intromitti, nec intus ſeruari poteſt, linea tenta quotidie imponatur ſic, vt ad cauũ perueniat, nec propter hoc dolorem inferat, ac filo longitudine palmi, iubente Hippocrate, in cuſpide vt facilius exeat, alligare expedit, quod pendeat extra, vt ſi in cauitate pectoris demerſerit, facilius extrahi poſsit, & hæc prius in terebinthina calida infundatur. nam dictum eſt, [a] medicamenta omnia qualitercunque applices, calida actu & qualitatibus afferas: nec audiendi ſunt qui roſacco, aut humido alio medicamento vtuntur. nam [b] oleum, & quæcunque medicamenta lenia ſunt, aut olei vim habent, ab his vulneribus ſunt aliena: nos verò in ſimilibus, & aliis perforatis vulneribus, tale probamus medicamentum ſine cannulo, aut turundarum aliqua forma, ſed exterius tantum adhibitum. quod, Deum teſtor, incomparabile eſt, & ob eius ſanctam operationem, ſanctum vocitatur, anguſta & penetrantia vulnera mirabiliter digerit, & partes, quæ in conſortio ſunt, viriliter corroborat, tuto ab intimis locis immunditiem euacuat, & tandem vulnera omnia ab acuto telo impreſſa, quiete abſtergit, exiccat, & conſolidat: hoc erat de ſecretis honeſtiſsimi Patris noſtri, qui in hac Medicinæ parte diu magnus vixit experimentator. Medicamentum ſic paratur. Recip. reſinæ pini recentis clarę & odoratæ vnc. xii. olei laurini puri, terebinthinæ optimæ an. vnc. ij. gummi elemi tranſparentis, grauis, ac boni odoris vnc. iiij. ponatur primo reſina & gumma in cacciola ænea nitida ſuper ignem debilem & clarum, per pexo rudicula arundinea, aut ſpatula ænea agitetur donec liqueſcãt. inde addatur laurinum & terebinthina, ac iterum parum bulliant, ſemper mouendo: cum verò medicamentum craſsitiẽ acquiſierit, per ſtamineam, aut tamiſium percoletur, & quod ſtillauerit, ac percolatum eſt, in terreo vaſe intus vitreato ac bene cooperto conſeruetur. cumque ipſo vti volueris, ſuper neruea hędini corii partem, qua chyrothecæ parantur, quia admodum tenax eſt, extendatur, ſicq; corium ita amplum, vt vulnus non ſolum, ſed vulneris proximas partes trium digitorum latitudine contegat. prius verò ex panno lineo ſubtili ac duplicato oualis formetur figura, cuius medium inane ſit, ad vulneris latitudinem, quæ in propatulo eſt. reliquũ verò auricularis digiti magnitudinẽ ſequatur, vt in hac figura videri põt.

in primis petia applicetur, ac deſuper medicamentũ, quod Aeſtate bis mutari debet, donec uulnus cicatricem contraxerit. Porrò euenire ſolet, quòd congloba tus ſanguis, aut materia diuerſa craſſa in pectore contenta per anguſtũ callem exire nequeat. quare expedit ut attenuetur, & præparetur aliquod iniiciendo decoctum, quod nempe dupliciter fit, a natura per eliquationem, & a medicamento per attenuationem, quale eſt illud, quod græci anomeli, & meliceraton uocant, & a Galeno [c] ſummopere commendatum, fit ex duabus partibus aquæ fluuiatilis claræ, & una mellis decoquẽdo, donec tertia pars euanuerit: cum verò nulla, aut exigua aderit febris, mulſum, quod latini uinum mellite dicunt, ex uino non admodum potenti opportunum eſt. paratur [d] ex uino ueteri non multum auſtero, & optimo mel le ſine ſale, & differt a Mulſa multorum, quę ex recenti uino, ſale, & melle conficitur: ſed quia aſtrictione opus non eſt, prima deſcriptio uſui magis ſeruatur. Noſtrates uero Chirurgi, quia in rhodomelle ea non reperitur acrimonia, eo libẽtius utuntur, & magis, aut cum uino, aut aqua conſolidę, aut agrimoniæ dimiſſa fluuia li, aut fiat decoctũ tale. Recĩ. hordei mundi, lentiuman. vnc. ij. æ quiſeti, conſolidæ maioris, glycirrhizæ, hyſſopi an. m. ſ. aquæ claræ dulcis q. ſ. pro decocto, cui adde

a ¶Hipp 5. Aph. 22. Gal. 4. katagenĩ.
b ¶Hipp. lib. de Vlceribus.
c ¶ 5. de loc. aff. cap. 2. & 5. meth. cap. 8.
d ¶Dioſc. lib. 5 cap. 9.

mellis rosati,aut uiolati unc.iiij,iterum parum bulliant,& colatur: uerum si uisci-
da,aut tenax fuerit materia contenta, pulmonesq; incolumes, prædicto decocto
oxymelliten,aut syrupum acetosum addere expedit,& cum iniectorio [a] bis,ter-
que lauamentum tepidum,ac donec clarum exierit, in pectus per uulnus iniicia-
tur:si uerò tale defuerit iniectorium,uesica cannulo alligata,quæ in sinibus & cu-
niculosis ulceribus a medicis [b] probatur,uti decet;uel si hæc non habentur, ore
uino prius diluto per fistulam,aut cannulum,quod syringam uocant,imponatur:
postmodum æger se inclinet super latus uulneratum,& tussiat, & pedibus eriga-
tur,ac leuiter concutiatur:cum uerò decoctum clarum exierit, pectus iam inanitũ
esse declarat:uulnus exterius abstergentibus & exiccantibus mederi oportet; &
tempestiuum medicamentum isis epigonos,aut ceraseos,aut damascenum est,ne
in fistulam,quam coriadan græci,& syringam latini appellant,transeat, hoc seruā
to ne constringatur materia,quia illico febris inflammatio, creber anhelitus, &
phtisis subsequi posset:loca uerò,quæ uulneri in consortio habentur, extrinsecus
irrorentur æstate rosaceo & uiolaceo oleo,hyeme uero nardino, idest, de spica
nardi,quod græci hydreleon uocant;aut mellino,nã sic iubet Galenus. Recentio-
res uero ut pectus molliant,oleo camomellino,uiolaceo,amygdalarum dulcium,
ac pinguedine gallinæ inungunt. Confert etiam summo mane serapium aliquod
patienti exhibere,quale est uiolaceum,iuiubinum,de capillo ueneris, de glycir-
rhiza, de bugloſſa,& huiusmodi, additis aquis proportionatis nempe uiolarum,
farfaræ,capilli ueneris,scabiosæ,& simili,aut decocto pectorali, cui transactis ali
quibus diebus,addi potest scrup.j.Mumiæ, & eritrodani,ut exiccentur superfluitates. aut saltem si aliqua inchoauerit corruptio,corrigatur:uulnus hyeme semel,
& æstate bis curetur,diligentia adhibita,ne spirituum ingès copia discutiatur. qua re studere oportet,ut curationis tempus perbreue sit,ne frigidus aer uulnus subintret,aut interni spiritus resoluantur. & hæc potissima ratio est,qua moti nõnulli futuræ necessitatem approbant,præsertim in amplis sectionibus, imis partibus orificium dimittendo ut perpetuo materiæ extrauenatæ percolari possint. Accepto uulnere,si nullus effluxerit sanguis,sed in pectore ne conglobetur timor adsit,ac inde laborioſe expurgari ualeat,ponatur sub lingua patientis granum unũ muschi odorati,nam illico a uulnere sanguis emanare inchoabit,& hoc secretum mirabile est. Ab omni immunditie exinanito thorace,ac uulnere bene expurgato,nulloque prauo apparente symptomate uulnus carne repleatur, & cicatrice includatur.

a ¶Auic.4.4.tr.3.cap.5.
b ¶Hipp. lib.de fistulis. Galen.5. meth.ca.7.2.ad Glauc.cap.de sinu. 2. Katageni, ubi de abster. Paul.li 4. ca.48. Albuc.li.2.c.59.

DE QVARTA INDICATIONE,

Quæ quomodo thoracis uulnera internis medicinis regi debeant apertissime demonstrat.

a ¶Gal.5.de in teri.cap.2.
b ¶Lib. de Coac.prænot.
c ¶Gal. 6. Aph. com.27. 7.Aph. com.45.Aet.lib. 8.cap.65.
d ¶Hipp. lib.2. de morbis, ubi de suppuratis,& lib.2. de inter.affe. in principio. Gal.7.Apho.cõ. 8.Paul. lib.3.ca. 32. Auic. 10. 3. tr.4.cap.7. & 17.

ASSALIA [a] uulnera,idest quæ pectus perforant,sæpenumero ante corũ
cohuentientem abstersionem,& optimam exiccationem exterius uniun
tur,intus uerò aliqua residente humiditate, aut nuper producta, ægri
empici,siue suppurati,fiunt. nam dicebat Hippocrates [b] quicunque uulnerati in
thorace externa uulneris parte sanati,interna uerò non periclitantur, aut uerendum est,ne suppurati fiant;& quibus debilis inducta intus cicatrix est,facile frangi
tur:suppuratos præcipue consueuit Hippocrates [c] nominare,qui pus habent in
spatio inter thoracem,& pulmones. Dignoscitur uerò [d] hæc passio ex tussi continua,quæ eam de necessitate consequitur,febre ardenti,pectoris ac dorsi graue-
dine,sputu purulento,& fœtenti anhelitu. Qui sic laborant,aut nunquam, aut ra-
ro sanitati restituuntur,nisi humor ille diuersus,qui in thoracis spatio continetur,

tur,absumatur;quod fieri solet aut per internas regiones ueluti per sputum,& a-
speram arteriam,aut lotii copiam,uel alui multam eductionem, aut per loca ex-
terna si uulneris orificium in superficiem uenerit,hic pytulcis,& collyriis, suctu,&
suppuratione exorberi potest,cum alia nulla spes relinquatur,ut aliter expurgari
possit. Quod uero [a] tussiendo ex thoracis spatio aliquid interdum expuatur faci
le intelliget is,qui eas dispositiones considerauerit,quibus ab exterioribus ad in-
tima pectoris uulnus penetrauerit,siue id ob uulnus non cõglutinatum eueniat,
siue ob aliquod magnum absessum utrinq; eruptum:quo pacto aũt hoc fieri pos-
sit,atq; per quos thoracis canales materia in asperã arteriam ingrediatur,hoc mo
do ad Erasistrati mentẽ describitur. Ab ea arteria,quæ spinæ adiacet, uasa quædã
iuxta latus tam dextrum, quàm sinistrum similiter procedunt,deinde ad loca ui-
cina multiplici diuisione dispersa,tandẽ adeò exigua euadunt ut sensum lateant:
cum itaque sanguis in huiusmodi arterias inciderit,nonnunquam per concauam
arteriã ad loca,quæ circa pulmones sunt,atq; ad eos nexus,per quos pulmo apud
spinam arterię coniungitur,ascendit,quippe ea,quæ hunc incident,hac uia ad pul
mones ascendere solent:Galenus uero hanc ascendendi ac penetrandi uiã redar-
guit,asserens saniem eo modo per ipsas membranas ad pulmonum canales pene
trare,sicuti mulsam in thorace iniectam,quę illico tussiendo expui solet, atque la
borans ipse,aquam mulsam esse ex sapore deprehendit: uulnerato pulmone, ac
eius tunicis incisis per eas sanies ad magnos canales ascendere potest, uerùm ci-
tra uulnus constitutus thorax humorem,qui in eo spatio,quod inter ipsum & pul
mones est,continetur,uehementer in asperas eius arterias comprimendo cogit,
spongiarum exemplo,quas manibus exprimimus,inde postea laborantes naturali
eo accidente adiuti,quod tussim uocant,quò robustior fieret expressio, materias
purulentas per os expellunt. Pulmonum quoq; uulnera, [b] ac suppuratorũ sanies
per lotium sæpe mundificari solent,ac interdum per egestiones;nec dubiũ est pe-
ctoris saniem ad renes posse deferri eo ꝙ furcula de cauæ uena ad renes descen-
dit,& alia magna arteria ad eos deducitur. proinde nihil mirum, nec impossibi-
le est,ex partibus septo transuerso superioribus pus in uentrem defluere, & ex
his,quæ eisdem supponuntur,ipsum per renes in uesicam peruenire,cũ urina gib-
bę hepatis partes expurgantur,atq; omnes quotquot sunt his superiores: per al-
uum uero pars iecinoris sima,intestina,uentriculus,lien. præter hæc sunt quoque
nonnulla,quę licet rarò per aluum expurgantur,ut partes thoracis, atque pulmo
nis:& nos,dicebat Galenus,uomicam per urinam,thoracis autem per intestina, &
aluum expurgari uidimus: porrò hi effectus & accidentia ex his sunt, quę raro
contingunt, attamen dum occurrunt, Hippocratis [c] methodus seruãda est,quę
ducere iubet quò maximè natura vergit per loca conferẽtia: Expedit igitur, dum
talis materia per sputum mouetur, primò saniei coctionem adiuuare fomentis
per spongias ex decocto althææ,uiolarum,hordei,farfaræ,fœnugræci, & similiũ,
aut emplastris ex caricis pinguibus,farina hordeacea,fœnugræci,seminum lini,bu
tyro recenti,& oleo amygdalarum dulcium: si autem ad urinarios meatus, quos
Græci ureteres vocant, purulenta profusio dirigatur,diuretica medicamenta, id
est quæ urinam cient,exhibere conuenit,qualis radix illa est, quam Arabes raued
seni,& Græci rhabarbarum dicunt,costus,eritrodanum,mumia,centaurea,orista,
lochia,polytricum,radices petroselini,semina carui,dauci, & similia, ex quibus
aut decoctum usque ad unc.iiij.addito oximellite,aut in subtilissimum puluerem
redactis exhibeatur summo mane drag.j.cum mulso,aut syrupo bisantino: nulla
verò apparente febre Recip.cinnamomi electi,corticum casiæ, fauinæ an. drag.
j.croci scrup.j.misce & fiat puluis sicut alchohol,eius dosis sit drag.j. cum iure ci-
cerum,aut cum decocto capilli Veneris:defluente vero materia per aluum, quod
rarissimè aduenit,adhibitis suppositorijs, aut enematibus educatur: at si nullibi
mouetur aut quia crassa, aut quia multa, aut quia illius sedis potentia imbecilla

a ¶Gal.5.de loc. aff.cap.2.
b ¶Gal.6.de loc. aff.cap.4. Auic. 10.3.tr.4.ca.17.
c ¶Lib. de humoribus in principio.& 1. Apho rif.22.

est, & sæua apparent accidentia, & morbus inter extremos enumeratur, pectus ab extra vbi magis apparet opportunitas phlebotomo myrtino, aut alio instru-
a ¶Lib.7.c.15. & 19. b ¶Lib.6. ca.62 c ¶22.3. trac.1. cap.6. d ¶Lib.2. ca.54 & 62.
mento accommodato, aut ignito, aut frigido secetur, ueluti illud est, quod Celsus [a] manubriolum, & Paulus [b] cultellum hydrocelicum vocant, aut eo, quod Auicenna [c] bezel gradatum & Albucasis [d] spatumen latum, & spatumen acutum, aut spinosum appellat, cuius effigies hic intueri possunt.

BEZEL.

SPATVMEN.

e ¶Hip.4. Epid. in Aristemone Phillidis filio. li. de suppuratis li. prædictionum. 6. Apho.27. & 7. Aph.45. Leonidas. Antilus. Cels.li.3. c. 22. Gal.6. Apho.có. 27 Act li.10.ca. 36. Paul.lib. 6. c. 44. Auic. 10.3. tr.5.c.5. f ¶Gal. 2. de interio. c.1.

VARIANT hæc instrumenta, siquidem pectoris partes in crassitie & tenuitate sunt diuersæ: sic enim facere soliti erant antiqui [e] locus verò sectioni opportunus sit inter quartam & quintam, aut quintam & sextam costam ascendendo, dilligentia adhibita ne secando aut venæ, aut arteriæ magnæ in spatijs intercostalibus per apicem inferiorem disseminatæ, diuidantur, nam [f] arteriæ multæ per ea loca extenduntur. ob id aliqui excellentissimi operatores ex Hippocratis sententia libro de internis affectibus, ubi de aqua inter cutem vt costa terebro perforetur, magis approbant, ad quod opus talia instrumenta opportuna sunt & a multis parata seruantur.



CVMQVE igitur materia alibi expurgari nequit ætate ac virtute consentente, fac vt recte fanici locus dignoscatur, ibique signum imprimatur, & fiat sectio, ac talis sit ut cum ea purulenta congeries egrediatur, de qua quotidie parum educatur absque alia sectione subito. nã dictum est ab Hippocrates [g] si pus uniuersum effluxerit omnes moriuntur: uerùm [h] si purum, siue parum destillauerit, ac album extiterit euadere possunt: si autem subcruentum, fœculentum, ac fœtidum, peribunt: igitur postquam materiam extraxeris linamentum crudi lini immittito, & postridie rursus exempto, paulatim pus exhaurito, deinde rursus linamentum indito, & rursus tertia die, & alijs deinceps bis per diem extrahito, donec resiccatum pus fuerit: at cum perforaueris, stude vt virtutis robur temperatis cibarijs conseruetur: nec consideres febrem, quoniam non eradicabitur, sanie in pectore residente, præsertim cum orta non sit ex naturalium membrorum inflammatione, aut

g ¶6.Apho. 27
h ¶7.Apho. 45

ex materia in eis contenta, nec ex obstructionibus putruerit, sed ex suppurato sanguine in loco amplo cum aliqua destillatione admixto. Et si superius diximus inter quintam & sextam costam sectionem faciendam, id quidem non temerè si vulnus spinam versus uergat: sed si anterius inflictum fuerit, ea nempe facienda est inter tertiam & quartam, aut quartam & quintam: quod nonnulli recentiorum dilligentes Chirurgi [a] annotarunt, & ex anatome sensate dignoscitur: nec obstat si huiusce modi sectiones, aut cauteria interdum in fistulas degenerent, siquidem iuuamentum, nocumentum excedit. Expurgata materia, si decet, mellicrato, aut vino mellite cauitas abluatur, & si maiori eget exiccatione, decoquatur agrimonium, centaurium, equisetum, & betonica in vino nigro, & addito rhodomelle fiat lauacrum. Et quia solent hæ lesiones cacoethes, siue cacoethicæ, id est difficilis consolidationis, fieri, uel quia pulmones læsi sunt, vel materiæ diuersæ ad pectus perpetuò concurrunt, aut labrorum ostracositas iam contracta est, aut costa fracta, vel carie affecta extiterit, idcircò cuilibet horum symptomatum propria remedia, vt suo loco dicemus, adhibenda sunt: Sed si fluxionum copia apparuerit, & medicamenta exiccando imbecilla erint, uel tarde ad ipsum uulnus peruenerint, tempestiuum esset potiones, & decocta, quæ a recentioribus pigmenta dicuntur, uulneratis exhibere, eaque magis in diuturnis, fistulosis, & male morigeratis audacter utimur; uerum si ualida apparuerit febris, primis diebus nec ualde calida, nec astringentia esse debent, nec ante decimam quartam propinanda; aliter post septimam interdum ea exhibere non est inconueniens. Porrò multa ad hoc probantur simplicia, quæ siccandi, glutinandi, & astringendi, uim continent, sicuti est Trinitas, Caryophylata, Stellaria, Pilosella, Hyppuris siue equisetum, caudam equinam multi vocant, eritrodanum seu rubiam quam isti rubeam maiorem aut tinctorum uocant, ea geranij species quæ uulgo herba Roberti nuncupatur, geranium quod a nostris herbarijs pes columbinus uocitatur, Symphyton aperta uoce Latini consolidam uocant, Canapes renatę, aut eorum loco semina, Rhaponticum, si adsit, sin autem centaurij magni radices, Centaurea minor, Virga aurea, Brasica rubea, Tormentilla, Peristerion seu Verbena, Fragaria, Pentaphyllon, Cynoglossa, Extremitates rubi, Pimpinella, Millefolium, Mordica, Argimonium os mundi species filicis est, Plantago, Saluia, Stœchas, Iua, Artemisia, Tanacetum, siue Athanasia, Betonica, Phu seu Valeriana, & similia omnia, quæ consolidandi virtute prædita sunt: Hæc diuersimode parari solent. nec sine medicorum auctoritatibus. Siquidem Galenus, [b] tale probat decoctum. Recip. betonicæ, Agrimoniæ, Fragifoliæ, Assari, violarum, Linguæ bouis, Ambrosiæ, Plantaginis minutæ, Pentaphyllonis, Hypericonis, Phillitis, Pimpinellæ an. drag. j. aquę clarę libras iiij. mellis libram. j. bulliant usquequo tertia pars absumatur, & coletur, & adde piperis grana xx. ac iterum parum bulliant, & utere. A Mesue [c] pariter ad uulnera sananda mixtura quædam in hunc modum paratur. Recip. Gariophilatę, radicum Artemisiæ, Pimpinellę, Pentaphillonis, herbæ Violarum, herbę uenti, Caulium rubeorum, canapis renatæ an. unc. j. Rubeæ tinctorum quantum de omnibus, bulliant simul in uino si sanguis nõ fluit usque ad medietatis consumptionem. cola, & utere: Multæ insuper ac diuersæ apud posteriores [d] una cum suis orationibus ac benedictionibus descriptiones leguntur. quæ ab excellentissimis Medicis [e] huius ætatis comendantur.

At quia Teutonici quattuor tantum herbas in his operationibus extollunt, quas summopere Theophrastus commẽdauit, ideo uulgus eas teutonicas herbas appellat, nempe stellariam montanam, quam ipsi sanichel, & sinaul uocant. Nos ue alchimillam & leonis pedem, aut Teutonica uoce corrupta saniculã dicimus: sanicula uere stellariæ species est: Gariophilatam benedictum uurtz & seulem nũ cupant, nos uero sanamundam & diapensiam uocamus. Clematidem quam ipsi singrien, uintegrun & ungrun dicunt, Nos hiemalem, Vincam, & prouincam de-

a Guido de Cauilliaco, & Guielmus de Saliceto.

b ¶Lib. maiori de dinamidiis. ad plagatos.
c ¶Dist. 11. post emplastrum de melioto.
d ¶Guido in sua parua chirurgia. par. 2. c. 9. & ca. de uuln. thora. Theod. li. 1. suæ practc. 29. & Petrus de Argelata li. 2. c. 12. & cap. de modo operã di in fractura cranii. Guglielmus de Saliceto.
e ¶Ioannes Manardus Ferrariẽsis medicus illustrissimus. in suis annotationibus in compositã Mesue. Nicolaus Massa Venetus medicus Clarissimus, ac mihi præceptor obseruandissimus in secũdo Tomo suarũ epistolarum, ubi de uulneribus thoracis. Gabriel Fallopius Mutinensis medicus celeberrimus.

nominamus,quartam,ſpecies Trifolii eſt,Trinitas uocitatur.Hijs Galli addũt Eritrodanum,& nos terreſtrem hederam,ac perariam,quam iſti pirolam uocant. huiuſcemodi ſimplicia ſemper parata Venetiis habentur a diligentiſſimo Aromatario ab Angelo Cecchino Martinello, qui hac tempeſtate,inter ſimpliciſtas excellẽtiſſimus iudicatur.decoctũ in uino albo mõtano,paratur aut aqua,aut uino indicatione ſumpta a patientis habitudine & ſymptomatũ natura,& addito melle claro ſub auroram tepidum per horas quattuor ante cibum, patienti ſelibram, aut unc.iiij.exhibere ſoliti ſunt. Herbæ in montanis locis colliguntur ſub Cane, & ſub umbra exiccantur. Rurarium quendam Chirurgum Feltriæ nouimus anno Domini 1545.in quo tempore has inſtitutiones hirurgicales in unum redegimus,qui mane ac veſperi cyathum uini albi optimi cum drag. iij. pulueris caulium rubeorum in umbra exiccatorum patientibus propinabat.erat quidam iſte in his uulneribus admodum fortunatus. Alium adhuc cognouimus ſenem empiricum, qui in Chronicis & antiquatis uulneribus fiſtuloſis & cacoethicis omnium locorum præterquàm ſub magnis æſtibus,aut dum ardens apparuiſſet febris,hanc potionem exhibere ſolitus erat.Recip.cinnamomi,Gingiberis,Garyophyllorum,Piperis an.unc.iij.aliquantiſper frangantur,inde in ſex menſuris optimi vini albi uſque ad tertiæ partis defectum bulliant,coletur,& quod colatum eſt ſeruetur. & Recip.Caryophyllatæ,Valerianæ,Piloſellæ, Centaureæ maioris, Rubeæ tinctorum,Artemiſiæ,Pimpinellæ an.m.ſ.exiccentur,& fiat puluis ſubtiliſſimus. & Recip.pulueris huius drag. ij. decocti prædicti cyathum vnum aut vnc. vj. & ſummo mane tepidum quotidie, aut alternis diebus dabat, & multi abſque Medicorum opinione ſanabantur. Nos verò hoc puluere ſæpe vſi ſumus, qui profectò mirabiliſſimè eſt operatus.Recip.Caulium rubeorum, ſeminum Canapis, Conſolidæ minoris,Caryophyllatæ,Piloſellæ an.m.j.Rubeæ tinctorum m.ij.miſce,& fiat puluis ſubtiliſſimus.doſis eſt drag.j.cum uino albo. Dum hæc fiunt, uulnus prout eius requirit natura regatur,ſiquidem præparationem, vt dicitur, digeſtionem, medicaméto ex Terebinthina,oui luteo,manna thuris,& croco præparetur. ſi abſterſionem,eam adimplebit mundificatiuum de melle,aut de ſucco apii, aut unguentum Damaſcenum,aut iſis epigonos. ſiqua verò ſubſtantia deperdita fuerit, reſarciatur vnguento Barbaro,aut Aureo,aut Citrino,aut Regali, uel Baſilicone, aut altero eiuſdem generis:poſtmodum cicatricem inducit emplaſtrum Palmulatum,aut Græcum,aut alterum eiuſdem virtutis.

DE QVINTA INDICATIONE,

Quæ viſcerum ſiue internorum membrorum affectus, ſanandi modos declarat.

a ¶Lib. ar. par. med. cap.75. & 80.& 1. de loc. aff.cap.1.

MORBI omnes [a] qui locis extrinſecis occurrunt, ac ſenſibus ſubiiciuntur,ex eorum,quæ ipſis inſunt ſecundum naturam permutatione, nempe magnitudine,figura, numero, ſitu, colore, leuitate, duritie,calore, & frigiditate digneſcuntur:qui vero uiſum effugiunt,præcipue in ſoluta continui tate ex operationum læſionibus,aut his,quæ excernuntur, aut doloribus, aut tumoribus, aut ſitu, aut horum quibuſdam,aut omnibus comprehenduntur. iccirco cum de interioribus uulneratis,quæ ſub thorace conſeruantur, nonnulla dicere decreuimus, prius de pulmonibus ſectis ſermo habendus eſt, quibus accidit ut tantum eorum lobes,ſiue fibræ,aut pennulæ,vel pinnulæ lædantur:nec ob id eorum canales uulnus patiuntur, & tunc non multa ſanguinis expuitio, ſed ſolum ſputum tinctum ſine plurima tuſi apparet. Si uero [b] ſectio ad amplas perue-

b ¶Hipp. lib.de Coac. prænot.& 5.Aph.13. Celſ. lib.2.c.7. Gal.4. de not loc.affec. 5.Aet.lib.8.cap. 59. Paul lib.3. cap.31.

nerit vias,tunc & per vulnus,& per os ſanguis multus fertur,clarus,ſpumoſus, & ſine

ſine dolore;quippe conſentaneum eſt ſanguinem ſubſtantiæ illius membri, a quo educitur,figuram & colorem præ ſe ferre,ideo conueniens eſt ſanguinẽ,qui in pulmone eſt,pulmonis naturam aliquo modo ſapere:eſt autem eius natura & ſubſtantia ſpumoſa,leuis,rara,mollis,aerea,foraminoſa,vaſioſq; quàm plurimis veluti cõtexta:alimentum [a] purum,vaporoſum,ac tenue,à corde præparatum recipiens, aerem,ſeu ſpiritum ab aſpera arteria extrinſecus attractum,Cordi immutans: quare neceſſe eſt ſanguinem a Pulmone venientem,clarum,& ſpumoſum eſſe. cùm ſanè talis aliunde prouenire non poteſt:nam [b] ſpuma ex ſpiritus miſcella cum re humida,aut glutinoſa gignitur, aut ex magno & aſſiduo motu,vt in lebete bulliẽte, aut maritimis vndis inſpicitur:porrò cum Pulmo non exſe, ſed a thorace moueatur,nec graue,nec denſum eſſe oportuit,& quia tenuem,aereum, & purum ſanguinem ſuſcipit,ideo ſanguis ab eo effluens leuis,ſpumoſus,& clarus eſſe debet:at cũ nihil in Pulmone aut thoracis cauitate contentum,expui poſſit,niſi per Pulmonis ſubſtantiam trãſierit,igitur tuſis has ſanguineas expuitiones aſſociat, quæ a Pulmone educũtur,quibuſve [c] citra dolorem ſanguis eſt reiectus,eius proculdubio exitus a Pulmone,fit,qui,cum uulneratur,Medico quidem negotia, ægroto verò periculum non minimum affert:nam [d] ſi eius tardatur conſolidatio,rarò,aut nunquàm ſanitati poſtea reſtituetur:quod [e] experimento,& ratione confirmatur.experimento,quia nemo expertorum quẽquã vnquàm eorum,qui ita ſunt affecti,ſanatũ vidit;ratione,quia inter viſcera Pulmo propter anhelitũ perpetuò mouetur, cum [f] vtique membra quietem requirant,quæ ſanitati idonea ſunt,ac eã poſcãt; præterea Pulmonis vulnera mundari,niſi excreatibus per tuſim mittendis, minimè poſſunt.ſed ſilere,quieſcere,quàm minimum anhelare,& non loqui,in conſolidandis his vulneribus vtile eſt:ergo huiuſcemodi vulnera ægris tuſientibus vniri nequeunt:quocirca anhelitus,ac eius continua motio non erit tantum cauſa vulnerati Pulmonis curationem impediens,ſed & hoc quoque, quoniam putredo & ſanies,quæ in eo generatur,potionibus,ac aliis ingeniis mundari non poteſt. & ſi interdum aduenit, [g] quod rarò contingit,vt per lotij copiam expurgetur,hæc regio non eſt ei condecens.ſiquidem [h] quæ ducere oportet,per loca conuenientia ducere expedit: inſuper epota medicamenta ſerò ad affectam ſedem peruenient, ob id eorum vires minuuntur:præterea [i] nutritur Pulmo ſanguine acuto & ſubtili:ſiccus eſt,vias amplas,ac venas & arterias multas habet, citoque [k] ob aduentias humiditates corrumpitur, & ab acutis læditur, vnde [l] facillimè phlegmone occupatur.His igitur de cauſis Pulmonum vulnera,ſi citò ſolidãtur, & cicatricem inducunt,ſana euadunt,verùm negligentia adhibita tumeſcunt,aut dura fiunt,nec vnquàm ſanantur.Quæ verò [m] uulnera tantum pectus offendũt,his, quæ Pulmonibus occurrunt,ſalubriora exiſtunt,quamuis aſſiduè moueatur.nam pectoris uenę anguſtiores ſunt eis quæ in Pulmone,& pectus carnoſius eo eſt,ac ſanies,quę in pectore creatur,ad imum eius deſcendit; & hinc eſt quòd accidẽtia mitiora fiunt, & eius ſanatio ſecurior.

a ¶Gal.4. de uſu part.

b ¶Gal. 3. reg. acut.com. 12.2. prædict.com.47 2.par.aph.com. 43.

c ¶Galen. 4. de loc.aff.cap.9. & 5.metho. cap.8. Aet.lib.8.ca.59

d ¶Hipp.lib.de inter.aff. Gal 4. de loc.affect.ca. 6.& 5.meth.c.8.

e ¶Gal. libr.ar. par.med. ca.94. & 5.meth.ca. 8. Aet li.8. ca.67.

f ¶Hipp. lib.de ulceribus.Gale. 6.metho.cap.3. Celſ.lib.8. ca.8.

g ¶Gale lib.de loc.aff.cap.3.

h ¶Hipp.lib.de humorib.& pri. Apho.21.

i ¶Gal.4.de uſu part. Zoar. pri. Theiſir trac.11. cap.2.

k ¶Galen. 1.de loc.aff cap.1.

l ¶Gal.5.meth. cap.8.

m ¶Gal. 5. metho.ca.8. Auic. 10.3.tr 4. ca.18.

DE PVLMONVM VVLNERAtorum curatione. Cap. V.

VAMPRIMVM ex ſymptomatibus propriis Pulmonum uulnera digneſcuntur,præmiſſis euacuationibus, ut [a] eſt uenæ internæ, quæ iuxta cubitum eſt,facta protinus ſectione, a qua bis, terque diuertendi occaſione,paulatim ſanguis eſt detrahendus, humorum retractiones cum artuum frictionibus ac deligationibus fiãt, ſed his partibus quæ longius abſunt a uulnere;&,quæ in uiis communibus iam congeſta materia eſt,acri clyſtere euacuetur:crura,manuſque calefacienti

a ¶Gal.5.meth. ca.8. & 13. Aet. lib.8.cap.62.

cienti pharmaco plurimum fricetur: insuper infirmo iubere licet ut caueat ab omni causa, quæ fluxiones commouere possit. nam dictum est, quæ ad Pulmones currunt superfluitates, non nisi tussiendo expurgari, quas [a] triplici præsidio cauere decet, purgatione, victus regimine, & medicamentorum vsu, illius præsertim quod Diaspermaton dicitur, aut eius loco Diacodion, & ipsi capiti prouidendo: iccirco stare [b] oportet in tenuissimo victus regimine. nam si pulmo ex mala nutritione inflammatione affligatur, nulla [c] inde curationis spes relinquitur: porrò in curationis initio de nulla re èquè esse solicitū opus est, quàm q; neque patiès tussiat, & nequid ex capite in Pulmones defluat, neque magna vtatur respiratione: sed semper silentium agat, nam huic conducit ut quàm maxime quietem intus habeat: parce [d] nutriatur, abstinendo ab acidis, acribus, salsis, aromaticis, & pinguibus: vulnere iam inueterato, montanę uolucres, veluti perdices, turtures, palumbi, & paruæ auiculæ concedantur. ex terrestribus Capreoli ac Leporis assa, & paruæ auiculæ concedantur. ex terrestribus Capreoli ac Leporis assa-

a ¶Gal. 5. meth. cap. 14.

b ¶Hipp. lib. de inter. aff.

c ¶Gal. de loc. aff. cap. 9. & 5. meth. cap. 8. & 14. Aet. li. 8. cap. 62. Paul. libr. 3. cap. 32.

d ¶Hipp. lib. 2. de morbis.

tonea, aut pyra, aut folia palmarum, vel symphyti, aut minoris plantaginis: ex piscibus dabat Hippocrates [e] squatinam, pagrum, & galeum magnum album rhodium aut origano conditum; ex ferculis [f] oriza, alica, & chondrum probatur: panis sit opirus, pauco sale admistus, & bene coctus: potus, esto fluuialis aqua, i qua chalybs, ignitus extinguatur, addito sirupo rosato, aut myrtino: uerùm imbecilla apparente virtute, vinum exhibeatur nigrum, clarum, & pauciferum: nec dubium est de vini vsu, quòd cauendum sit, pariter & carnes, oua, & similia, vbi aliqua phlegmonis suspicio adest, aliàs vinum dari nihil verat. nam illud concedit Hippocrates, nisi grum nimirum, vetus, clarum, sed iucundissimum, idque magis aliqua apparente indigentia, multi [g] enim ex profluuio sanguinis intermorientes ante vllam curationem vino reficiendi sunt, quod alioquin inimicissimum uulneri est. Topica vero siue localia medicamenta tum per ea, quæ interius assumuntur, tum per ea, quæ exterius applicantur, fortis exiccationis esse debent: deglutienda [h] eligantur, veluti alimenta, siquidem ad cicatricem perducere, aut glutinare vulnus studeamus, tum austera, tum glutinosa, sed quæ minime mordeant; ob id metallica omnia, aut sal habentia, & si extrinsecus vulneribus opitulantur, internis opportuna non sunt, cum difficillime ab innato regantur calore, atque minus si aliquo fuerint veneno prædita, sicut ærugo, æs vstum, plumbum crematum, cadmia, cerussa, lithargyrium, chalcitis, pompholix, & alia eiusdem naturę: si autem emunda re volueris, quę modice abstergant utaris, quod munus mel non coctum præter cetera præstat: quę uero medicamenta tuto introrsus sumuntur, ac uulneribus opitulantur, sunt veluti hipocistis, balaustium, malicorium, gallæ, citini punicorum, rhois, acacia, sigillum lemnium, bolus armenus, mastix, dragagantum, gummi arabicum, rhabarbarum, maius centaurium, & alia id genus, quę nullam uisceribus noxam inferunt: danda vero hæc sunt ex aliquo astringentium decocto vel mali cidonei, uel lentisci, vel summarum rubi, vel mirti virętium ramorum, vel denique ex uino aliquo austero. Infirmus supinus iaceat, & medicamentum in ore teneat, ac gulæ laccertos latos dimittat, nam aliqua pars ipsius medicinæ ad canales Pulmonum defluit. Nec [i] obliuiscaris in omnibus pectoris, ac Pulmonis medicamentis mel admiscere. nam si hæc sola stiptica dabis, moram in via facient, nec penetrare poterunt, prodestque mel eo quòd est dilectus naturæ cibus, pectus mundificat, sputum facilitat, & nullo modo visceribus noxam præbet: guttatim, ac lambendo talia assumuntur medicamenta ne nodum, aut tussim procreent. Verum quia huiusce modi medicamenta per os sumpta patientibus iniucunda ac odiosa esse solent, non ab re qui huius ætatis has aggrediuntur curationes, eorum loco diadraganto albo, aut rubeo, addito boloarmeno, aut trochiscis de terra sigillata, uti soliti sunt, uel per se, uel cum decocto equiseti, tormentillæ, piloselłæ, consolidæ utriusque, Cariophyllatæ, sanículę, extremarum rubi, pimpinellæ, & similium plantarum,

e ¶Libr. de inter. affect.

f ¶Aet. libr. 8. cap. 63.

g ¶Cels. libr. 5. cap. de ratione victus uulnerator.

h ¶Gal. 4. metho. ca. 7. Auic. 4. 1. cap. 28.

i ¶Hipp. lib. 1. de morbis, & li. de inter. aff. Gal. 4. meth. ca. 7. 5. metho. cap. 8. 9. meimir. ca. 2. 6. 2. de rat. uict. in mor. acut. ca. 11. Auic 10. 3. tr. 5. cap. 6.

tarum, aut omnium, aut aliquarum, aut saltem cum sirupo myrtino, aut rosato de rosis siccis: uel trochleę ipsæ frequenter in ore seruentur. nam emplastica, & quæ ui astringendi prædita sunt, summè in his affectibus celebrantur, inter quæ apprimè opportuna ac idonea esse creduntur, quę propterea quòd ex seminibus fiunt, Diaspermaton Græce dicuntur. Hoc medicamentum apud Galenum [a] celebre semper fuit, ac in pectore uulnerato perpetuo usus est. sed quale id esset medicamentum, aut vbi eius reperiatur descriptio, fatemur nos nunquam hactenus nouisse, præsertim quòd illius exiccatiuę uirtutis, ac potentiæ existeret: quamplurimæ tamen apud antiquos [b] medicamenti ex seminibus descriptiones adsunt, quę pulmonibus sectis, nullius ualoris esse iudicantur, unam tamen in quodam antiquissimo Nicolai manuscripto codice reperimus, quę fortasis his uulneribus præsidium opportunum esse posset, & tale sic formatur medicamentum. Recip. ameos, hyoscyami, seminū anisi, fœniculi, apij an. drag. vj. opii drag. ij. radicū cōsoldę maioris, malicorij, balaustiorum an. dr. iiij. s. maceris, ligni aloes an. drag. iij. boli orientalis, boli armeni an. drag. ij. mirtillorum drag. viij. mellis quantum sufficit pro electuario; datur ad pondus drag. iiij. mane ieroque tribus horis ante cibi assumptionem: sed ut Galeni ac Pauli medicamētum diaspermaton pernoscatur, sic reperitur rescriptum. Recip. seminum apij, ameos an drag. viij. anisi, maratri an. drag. iiij. casię nigrę, opij an. drag. ij. fiat mixtura cum aqua ad pondus drag. j. sub trochiscorum, siue pastillorū forma; formatur hoc medicamētū quēadmodū quamplurima alia, quę ab antiquis parari solita erant, ueluti trochisci diacoralliu, aphrodisiasti, tripherici, & similes, qui eo quia gustui satis ingrati sunt, nullibi sunt in usu, sed illi frequentius, qui ex terra sigillata, ex diadraganto, aut ex dupliciti papauere conduntur, quippe a diacodione non multum uariant, nec sine ratione probantur. nam dabat Galenus [c] in pulmone affecto medicamentum ex seminibus, quod diaspermaton dicitur, & fecunda, & tertia die, ut somnum conciliaret, & sensum doloris leuaret, ac siccandi potestate polleret. quæ actiones, ac potentiæ non immerito in diacodione reperiuntur. non ab re igitur loco electuarii de seminibus diacodione utebatur magnus Guido de Cauliiaco, Iamerius, & alij, qui hac tēpestate Chirurgiam exercent: nam dicebat Galenus [d] usus medicamēti diacodion est in his, qui somno indigent, & potissimū his, quibus a capite in asperam arteriam facilis est defluxus, nō permittēs dormire: quare nō minoris utilitatis asserunt aliqui diacodion fore in hoc affectu, quàm diaspermaton, præsertim [e] cùm papauer tenues destillationes a capite insistet, mel autem humores adpectus iam delapsos, reiectu faciles facit. Sed quia diacodiones ex veterum sententiis diuersimode parantur, & uarii a Galeno describuntur, quorum aliqui simpliciores, aliqui uero copiosiores componuntur, & horum omnium quàm plurimi nullibi parantur, hac de re experimento ducti, hunc magis probamus. Recip. papaueris albi capita num. 20. nigri num. 10. iuiubarum, sebesten an. num. 6. seminum lactucæ, maluæ an. drag. ij. scariolæ drag. iiij. cytoniorum drag. iii. cōtundantur omnia, & infundantur in sextariis quinque, videlicet in lib. xii. s. aquæ pluuialis per diem naturalem, deinde bulliant donec tertia pars cōsumpta fuerit, & adde myrrhæ, croci, hypocistis, succi acaciæ an. drag. j. omnia hæc in petia claudantur, ac in lebete suspendantur, & iterum bulliant, donec tertia pars absumatur, & adde diadraganti albi vnc. vj. glycirrhizæ rasæ drag. ij. mellis lib. j. iterumq; bulliant vsque ad mellis consistentiam, & coletur, cui adde sacchari albi quantū sufficit, & fiat confectio in rotulis, quarum vna aut in forma solida, aut ex posca dilutа patienti mane, seroq; exhibeatur: cum vero tale deest medicamentum, eius loco diadragantum album, aut rubeum, vel trochiscos de terra famia, aut diarrhodion, aut diacoralliu, aut ex cornu ceruino aliquos ex his, qui a Paulo [f] celebrantur, patientibus dare conuenit: citra mordicationem [g] etiā præclare omnino deficcat bolus armenus, vt nihil eo magis hac parte præstet. datur ex eo dra.

j. confi-

a ¶5. meth. cap. 8. & 13.

b ¶Galen. 7. de comp. med. secūdum loc. cap. 2. ubi ad fang. expuit. Aet. li. 10. cap. 9. & libr. 9. cap. 34. Paul. li. 7. ca. 12. de past. Auic. li. 5. tra. 8. summa 1. ubi de Trochiscis de semimb Nicol. Alex. defer. 207. 315. 316.

c ¶5. meth. ca. 13. in fine.

d ¶7. de comp. med. secundum loc. ubi de usu medicamēti Diacodionis secundum propriam opin.

e ¶Aet. libr. 14. cap. 25.

f ¶Libr. 7. ubi de pastillis.

g ¶Aet libr. 8. cap. 6.

j.confidenter cum aqua hyppuris aut symphyti.Diuersis etiam aliis præsidiis recentiores vtuntur,inter quæ rhabarbarum celebratur,variis modis præparatum, veluti Recip.Reubarbari electi,erytrodani,mumiæ an.drag.j.terræ sigillatæ drag.s.fiat puluis subtilissimus,de quo datur vulneratis quotidie summo mane,cum decocto radicis ponticæ,aut maioris consolidæ drag.j.si autem oportuerit exterius lotiones in vulnere iniicere,hęc præstantissima iudicatur.Recip.radicum tormentillæ,symphyti,Cariophyllatæ,Centaureæ maioris,rosarum an.m.s.myrtillorum, foliorum oliuæ an.drag.ij.myrrhæ,aloes,sarcocollæ an.drag. j. aquæ hordeaceæ quantum sufficit pro decocto,& Recip.prædicti decocti lib.j.syrupi myrtini, rosati de rosis siccis an.vnc.j.mellis rosati vnc.ij.misce,& semel tepidum cum iniectorio imponatur,ac sæpe inuerso ęgro educatur. denuo iniiciatur,ac pariter euacuetur,sed ex ipso aliquid intus relinquatur,& vulnus claudatur linamento imbuto aliquo medicamento abstergente, & filo sic deligato, ne introcedat. desuper uerò petia satis lata medicamẽto barbaro cooperta,aut argideo,aut de gummi ellami,aut palmulato,aut nostro sancto incomparabili applicetur. Hic curationis modus seruetur,donec a prauis symptomatibus tuti euaserimus, ac viscera cicatricem contraxerint,& thorax penitus fuerit mundificatum.Hic [a] vbi sanus fuerit,neq; celeriter ad ventum currat,neque equum,aut currum conscendat,atque etiam vociferationes,iracundiam,coitum,ac victus prauum regimen fugiat, periculum enim est ex praua diæta ne reuertatur morbus : abstineat [b] similiter per annum ab ebrietate,& ne nimium impleatur,neque manibus laborioſe laboret.hic [c] enim morbus, qui curatione multa eget,difficilis admodum est, & si quis curatus ac sanus factus,se ipsum non custodierit,plerunque illi reuersus morbus,causa fit interitus:porrò [d] si occurrerit vt pulmonum aliqua pennula è vulnere exierit,& ab extrinsecò aere alterationem acquisierit,illico pars male affecta leui sectione tollatur,statimq; quod de secto remanserit,bis,terq; ignito cauterio aduratur,ac quamprimum intromittatur ; quippe Celsus dicebat [e] in visceribus nihil mouendum est,nisi aut si quid ex iocinore, aut liene, aut pulmone duntaxat extremo pendeat,præcidatur, seruari enim non potest.ait ipse,cui pulmo medius percussus est.De iocinore dicebat Galenus, [f] nõ solum profundum vulnus in eius fibris factum,sed etiam fibram abscissam.aiunt,fuisse sanatam, & verum dicere videntur Rolãdus Parmensis, [g] ac Theodoricus,qui [h] affirmãt,Vgonem Bononię Pulmonis fibram vulneratam sanitati restituisse, postquam exierit, & eam resecasset.Hoc etiam fecisse confitetur egregius nostræ ætatis,ac huius inclitæ ciuitatis Venetiarum Chirurgus Franciscus Strata de Burano, Aloysium de Burano eius Socerum.nec mirum est.nam præclari medici antiqui, [i] dum affecta membra,quæ mortis magnum afferunt periculum,enumerassent,nullum quidem verbum de Pulmone fecerunt;asseruerunt tamen,quòd si Pulmo medius fuerit sectus,aut vulnus amplum,aut inflammatione affectum, qui sic afflicti sunt,de necessitate moriuntur.Decet igitur ex leui vulnere Pulmonis,cum præsertim rationalis adhibita fuerit curatio,salutem interdum promittere.verùm [k] cum intime fuerit vulneratus,maximam sanguinis copiam effundit, & inde vulnus leta le iudicatur:dictum est [l] enim post sanguinis sputum,puris sputum, post puris sputum,phthisis:veruntamen quia multi sine vlla spe ab his & similibus vulneribus superstites permansere,igitur & qui Pulmonis vulnere cruciantur,a curatione de stituendi non sunt.nam interdum magni Dei auxilio,sanitati restituuntur.

DE

a ¶Hipp.lib.de inter.aff.

b ¶Hipp. lib.2. de morbis.

c ¶Hipp.de sup puratis.

d ¶Galen. 5. de loc.aff.cap.2.

e ¶Libr.5. cap. quomodo uulnus ligare conueniat.

f ¶6.Aph.com. 18.

g ¶Libr.3. fuæ præct.cap.25.

h ¶Lib.2 c.17.

i ¶Hipp. lib.1. de morbis & 6. Aph.Gal.18.6. Apho. com.18. Auic.4.4. tra.1. cap. 2. Auer. 7. coll.cap.32.

k ¶Hipp.lib.de Coac.ꝓno.Celsi. lib.5. ca.de uul. insanab.

l ¶7.Apho.15. 16.

DE TRACHEAE INCISAE CVRA. Cap. V.

VIa Trachea,siue aspera arteria pars [a] est ipsorum Pulmonum ad respirationem,& inspirationem necessaria,iccirco de sectionibus huic parti occurrentibus hic sermo sit.vulnera huiusce modi periculo non vacant,& quia diu quiera permanere non possunt,curatu difficillima sunt,& si inflammatione molestantur,patiens nec commode deglutire nec opportune respirare potest, ob id sæpe suffocatur:Tunica eius interior acutissimi sensus est,& eius substantia, dura,ac chartilaginea existit.Earum curationis modus sic fit,vniuersalibus indicationibus,vt de sectis pulmonibus dictum est,præmissis, infirmo iubendum est,ut vitam silentio agat,nec tussiat,nec moueatur,diuq; eum in hac quiete conseruari oportet,supinum tamẽ reclinatum,sed quę eius capiti subiiciuntur sublimius sint instrata:Medicus [b] omnibus modis operam det,vt quàm citissime vulnus ad cicatricem perueniat,foris loco affecto agglutinantia medicamenta imponẽdo,arteriacas Græci vocãt, quale est illud celebre barbarum,aut illud ex salicibus, siue loliis appellatum,vel ex altero ei simili : vulnerato cubanti supino, aut reclinato, humidum aliquod ex his medicamentis idoneum, quę ad huiusmodi vulnera faciunt,exhibeto,iubendo id in ore aliquantulum conseruare , paulatimq; permittere,vt in asperam arteriam defluat.nonnunquam etiam [c] illud sub lingua conseruare,quod hypoglotti græcè vocatur,vt paulatim liquefactum in tracheam ipsam delabatur,ac sensim,& sensim distillet dum detinetur in faucibus:cauendo ne largius influat,vtpote quòd tussim excitabit.nam quo ad humor vndiq; iuxta tunicas arterię,ceu iuxta murum aqua descendit,tussim vtique non ciet, si quidem per mediam spiritus viam incidit,tussim statim excitabit. Talia igitur tenuia esse debent,qualia sunt rhodomel,ac lac nuper mulctum,siue aliquod magistrale decoctum in aqua chalibeata,nempe equiseti cõsolidę maioris vel centaurii,aut centinodii,vel morsus gallinę.in quod colliquatur,aut diadragantum, aut diasymphyton,aut diacodion,aut quid simile ex iam dictis,aut si opus fuerit tenuiori ac liquidiori præsidio,Eclegma aliquod,ideſt lambitiuum sub hac forma præparare oportet,radicum consolidę maioris,sub prunis coctarum vnc.iij. puluerisꝛ tragaganti,gummi arabici an.drag.ij.boliarmeni orientalis drag.j.specierum dragagãti frigidi drag.j.s.syrupi rosati de rosis siccis,mirthini an. quantum sat est, misce. & decoquantur ad consumptionem tertię partis.deinde colentur.& ex hoc lambitiuo crebro abluat ęger sibi fauces.siquidem ex his quę bibuntur,aut in ore detinentur semper aliquid in asperam arteriam labitur.porrò si sectio ampla fuerit, sutura angusta & profunda vniatur,& ut partes coeant unà conseruentur,adhibi to barbaro simplicioris temperaturæ. verũ,si opus fuerit,præparentur medicamẽ to ex terebinthina clara, aqua consolidę lota,uitello oui,mastice , thuris cortice, & croco:& optimo pure iam confecto,vulneri impositò sarcotico puluere , ideſt carnem producliuo,vulnus carne repleatur . & [d] sciendum quòd inter ea, quę interius assumuntur,maiori centaureo,& terrę sigillatę ineſt curatio magna:ultimo cerato diachalciteos,aut miniato ad sigillationem perducatur . Si autem tota trachea secta fuerit,cum sit membrum ad hominis uitam ualde commodum,unde spiritus aereus ad pulmones,& cor deducitur,ex quo uitales refocillẽtur, aut difficulter,aut tarde,aut ut plurimum nunquam ad sanitatem peruenire potest , sed qui sic affecti sunt moriuntur.præsertim ubi circa fauces uenæ , uel arterię magnę pręcisę fuerint.

T DE

a ¶Aristo.3. de part.anim.ca.3. Galen.7.de usu par.in fine.

b ¶Gal.4.meth. cap.7.Act.li. 8. capit 64. Auic. 3.tr.5.cap.6.

c ¶Galen.7.de comp.med secũdum loc. circa princ.

d ¶Hipp.lib.de inter. aff. Auic. 4.4.cap.7.

DE MERI SECTO, ET EIVS curatione. Cap. VII.

a ¶Galen.5. de not.loc.aff. cap. 4. in fine.Auic. 13.3.tr.4.ca.13.

VLNERATVR interdum Meri [a] siue Esophagus,aut gula, & est passio letalis, eoque magis si aut transuersale, aut alicuius magnitudinis fuerit uulnus,tum quòd cibus ac potus per eum transit,qui sanè agglutinationem prohibet,tum quòd eiusmodi uulnera tantùm contactu medicamentorum in transitu fruuntur, sicut & quæ in ore,& in uentriculi orificio consistunt: iccirco iubent Medici [b] ut medicamentum nec semel,nec totum simul assumatur,sed paulatim,& assiduè,quando ex transitu,ac contactu uulneribus,quæ in meri sunt, utilitas accedit,non ex continendo,& diutius adhærendo,sicut iis, quæ in uentriculo sunt:hac igitur de causa,quia gula transitus quidam comestorum,bibitorumq; est,remediorum,qualitate eget,quæ adhærere,& undiq; quasi cõcrescere ac agglutinari possint,non autẽ quæ elui ac defluere sint prompta: at circa partes eius concrescunt quæ crassa sunt,agglutinantur quæ lenta existunt. Quare ut patiens supinus iaceat,& quàm diutissimè medicamentum in ore teneat, ac lacertos, qui illic sunt,omnes relaxet,remittatq; summè cõuenit;influit enim paulatim de medicamento aliquid in ipsa gula,& residet. Veruntamen si per initia sanguinem sistere opus fuerit,trochisci de spodio,aut de sigillo Dianæ aqua portulacæ, aut cẽ tinodiæ attenuati interius paulatim exhibeantur,& si non adfuerint, aqua chalybeata,aut decocto radicis consolidæ,aut equiseti cum diadraganto rubeo vtendum est:si verò abstersione aliqua opus fuerit,hydromeliten,aut zulapium rosatum,aut vinum de granatis,aut de cydoniis,aut lac acetosum butyro extracto ad ministrabimus.aut paretur decoctum tale,Recip.hordei mundi m.ij. passularum, iuiubarum,glicirrhizæ an.drag.vj.centaureæ minoris,equiseti an.drag.iij.bulliant omnia in aqua calibeata,& uino,donec consumpta fuerit tertia pars. & adde syrupi rosati drag.iij.mellis rosati vnc.ij.iterum parũ bulliant,& coletur.& scias, ait Auicenna,quòd si sordes tota non mundificatur, non succedit iuuamentum alterius curæ,neque administrationis consolidatiuorum,ac si,vis tota curæ,in optima mũdificatione cõsistat,quod munus,ait Galenus,mel non coctũ præter cætera præstat,& quia raro,trachea arteria,aut æsophagus, vulneratur, quin prius vulnus collũ offendat,vbi lacerti quãplurimi notabiles,interni & externi situãtur,ac nerui multi a sexto pari orti,& arteriæ magnæ,carotides & soporariæ dictæ, in quibus magna pars vitæ cõsistere videtur,hac ratione sedes hæc facillime inflammatione vexatur.siquidem laxa ac mollis est,& fluxiones recipit. ob id exterius ea auxilia adhibeãtur,quæ repellant & corroborarẽt, prout splenia sunt,vino nigro austero & rosaceo,aut mirthino oleo imbuta & madefacta, saltim vsque ad quartam,aut septimam diem,aut quousque ab inflammatione tuti fuerimus. Cũ verò in partibus meri,aut oris stomachi medicamenta carnem facientia administrare voluerimus,tunc in eis glutinantia imponemus, sicut gummi,dragagantũ, & mastix.extra verò eadem adhibebimus medicamenta,quæ tracheæ dissectæ opitulantur,quorum omnium virtutes, Deum testamur,in medicamento nostro sancto reperiri,præsertim dum vulnus angustum fuerit. aut Recip. terebinthinæ clarę,aqua ardenti,aut consolidæ lotæ vnc.iij.pulueris subtilissimi,mirrhæ, thuris,aloes,boli armeni.an.drag.s.misce & fiat vnguentum.aut Recip. thuris optimi,myrrhæ,mali terræ,galbani an.drag.iij.chalcitidis, aluminis rotundi, spumæ argenti an.drag.ij.resinæ terebinthinæ drag.x.olei myrtini vnc.j.ceræ q.s. & fiat vnguentum secundum artem:si enim in his turundæ,siue lychinia non imponuntur,sanatio magis tuta,aut saltem breuior fuerit,quæ summopere quærenda est, & ab omnibus probatur.igitur multi emplastro tantum barbaro minori, aut palmulato,vti ausi sunt exterius.

b ¶Gal. 4. metho. cap.7. & 6. metho. cap. 4. Auic.13.3.tr.1. cap.14.

DE SPINAE VVLNERATAE curatione. Cap. VIII.

VM [a] nucha,aut spina,siue spinalis medulla secta fuerit,vulnus his simile est,quæ cerebro occurrunt: nec seruari possunt,nisi raro, quibus cerebrum,aut spinæ medulla percussa est, aut saltim vox perit,quibus ea spinę pars,quę in ceruice est,fuerit affecta.ipsa verò ex transuerso incisa,si tota fuerit dissecta,omnes quæ sub ipsa sunt corporis partes,sensu motuq; priuari necesse est, vtpote susceipiente spina a cerebro vim tum sentiendi,tum etiam mouendi pro arbitrio: & tandem sic affecti moriuntur.puncta uero,aut perforata interdum sanari potest:nonnunquam etiam relaxantur partes lateris vulnerati.mederi tamen debemus,cum sic afficitur,prima die uitello oui admixto thure,mumia,& mastice, vt sanguis quiescat,& dolor sedetur:tenuissime patiens nutriatur, & corpus nullo modo agitetur:altera die sanguis,si decet,à communi vena mittatur. Aluus fluida sit,& omnia vsque ad inflammationis,aut conuulsionis securitatem,vt de cerebro læso dictum est,canonice regantur. Si autem spina fuerit vulnerata,abluatur terebinthina aqua betonicæ,aut uino albo,& addatur recentis oui luteum sperma te emundatũ,parum thuris minutissime puluerizati,& croci,& vnus tali regatur medicamento vsque ad diem quartam;partes uerò circumiacentes, & emunctoria omnia ac tota spina sæpe rosaceo,masticino,ac camomellino oleo, addita axungia inungantur;& cum quarta pertransierit dies,nec seua appareuerint accidentia, prædicto medicamento addatur aliquid rhodomellis,aut syrupi rosati, myrrhæ & aloes,& quàm leuissime adhibeatur sic,quòd nullo modo dolorẽ,aut molestiam inferat.qui,si supernatus fuerit,remittatur oleo de terebinthina,aut de uitellis ouorum,& Hypericonis pauco,&,si res postulat,vtimini polenta Hippocratis,ex farina hordei,& oleo rosato,aut masticino.vel fiat Emplastrum, & Recip. florum camomillæ,sertulæ campanæ,rosarum,stichados,betonicæ an.m.s. farinæ hordei,seminum lini,lentium an.vnc.j.fiat puluis subtilissimus,olei rosati,masticini an.unc.ij.croci scrup.s.rob quantum sufficit, & secundum artem fiat emplastrum sub bona forma. Sedato dolore,vulnus medicamẽto aureo,aut basilicone minori;ad sanitatem perducatur;sigilletur postmodum cerato de betonica, aut palmulato.scire tamen oportet,quòd modernorum opinio est, vt regio spinę supra duodecimum spondile uulnerata, eandem requirat curationem,quæ cerebro uulnerato competere uidetur. quæ uerò infra eam situantur, similem exposcunt, quæ neruis sauciatis adminiculo sunt. etenim sublimior cerebro multum assimilari uidetur. siquidem mollis & alba est à qua nerui multi sensibus destinati originem ducunt. Inferior uerò neruosa & dura existit,& multam neruorum mouentium propaginem producit.

a ¶Hipp.libr.2. prædict. & li de Coac. prænot Celsi.li.5.cap.de uul.mor.Gal.12 de usu part.

DE NVCHA SECTA, AVT PERFORATA, & sanandi ratione. Cap. IX.

SI Nucha secta, aut perforata fuerit, ea in uniuersum seruanda sunt, quę paulò ante de spina læsa diximus.singulatim postea supresso sanguine,Recip.terebinthinę clarę, aut eius loco olei de terebinthina unc. ij. olei rosati.omphacini unc. j. aquę ardentis unc.s.misce,& guttatim in uulnus tepidum imponatur, desuper uerò petia lata,siue linteolum ita amplum,ut uulnus non solùm, sed uulneri proximas partes in trium digitorum latitudine contegat, cum unguẽ

to diaphinicone aut de betonica applicetur. Si uerò uulneris dispositio sarcoticis & cephalicis eguerit medicinis, ea quidem secundum indigentiam administrãda sunt. Aliqui calcem aqua dulci sæpè elotam hisce uulneribus applicare ausi sunt, quod fortasse in morbis extremis, ac omni spe destitutis felici successu euenire posset.

ADDITIO.

a ¶Lib. 1. prædict.

MEDVLLA spinæ, ait Hippocrates [a] si aliquo modo malè affecta fuerit, homo sæpe cruribus impotens fit, vt neque, si tangatur, percipiat, & uentre, & uesica, vt circa prima tempora neque stercus, neque urinam egerat: cum autem uetustior factus fuerit morbus, & stercus, & urinam prodit: moritur autem postea non multo interposito tempore: præterea, ait Galenus, [b] vbi per transuersas spinæ incisiones ad medium vsque secundum longitudinem seca retur, non omnes suppositas corporis partes, sed eas duntaxat, quæ e regione sectionis erant, resolui, dexteras quidem dextera spinæ parte dissecta, sinistras uerò vbi reliqua pars esset incisa: ubi uerò media eius processus pars, fuerit affecta, non omnes inferiores partes resoluuntur, sed uel sinistra duntaxat, vel dextera: si uerò ex toto dissecta fuerit spina, aut moritur æger, aut omnes inferiores partes resoluuntur.

b ¶3. de loc. aff. cap. 10.

DE SEXTA INDICATIONE,

Quæ modum corrigendi accidentia manifestat.
Cap. X.

VARIA sunt ea symptomata, quæ thoraci post accepta uulnera euenire solent, quibus secundum temporis institutum subuenire oportet: quare hanc sextam indicationem, quæ est accidentium correctio seu profligatio, assequimur remedia cuique propria, prout res desiderat admouendo. Porrò hæc fieri solent vel ratione sedis affectæ, vel uulneris magnitudine, uel patientis inobedientia, & prauo uictus regimine, siue medici imperitia. Sunt hæc denique, copiosa sanguinis emanatio, vulneris angustia, sputum sanguinolentum, conglobatus in pectore sanguis, tussis assidua, destillatio, dolor crudelis, loci manifesta inflammatio, & vulneris ostracosa dispositio. Et sciendum [a] quod ille cui occurrit uulnus in uentre suo, & accidit ei nausea, aut singultus, aut uentris solutio, aut aliqua conuulsionis species, moritur. Et [b] quia nihil adeo omnem manuum operationem in corpore hominis turbare solet, sicut sanguinis fluxus, ideo de hoc symptomate tanquam de eo, quod inducias non admittit, nonnulla in primis dicere aggrediamur.

a ¶Auic. 4. 4. tr.

b ¶Cels. libr. 5. cap. de fiu. sang. Gal. 7. de aggr. anat.

DE COPIOSO SANGVINIS fluxu. *Cap. XI.*

OPIOSVM sanguinis profluuium contingit aut a uena secta, aut ab arteria diuisa, aut ab utroque uase simul uulnerato, nonnunquam verò ex pluribus, aut maioribus, aut minoribus. sanguinis eruptio etiam interdum accidit ex eo uulnere, quod cum amissione substantiæ fit; sæpe etiam ex eo, in quo nihil substantiæ deperditum est, sed solum in eis angustum quoddam uulnus occurrit. adhuc vnusquisque fluxus aut a causa interna, quam Græci proigumenam, aut

aut ab externa, quam procatarcticam vocant prouenire solet; si ab extrinseca, aut apparens est, & vnà cum vulnere resident vt sagitta, telum, globulus, aut quid simile, vnde maior profluuii abundantia sequi solet; aut non apparens vt uulnus, contusio, erosio, sphacelum, & huiusmodi. Hæ quidem sanguinis fluentis causæ, ac præcipuæ differentiæ sunt, à quibus curandi indicationes sumi debent: porrò [a] de interna, siue antecedenti veluti ruptura illa, quam Græci anastomosin uocãt, cùm scilicet uasa imbecilla sint, aut sanguis impetu quodam ruerit, vel aliqua acri qualitate præditus sit, aut illa, quæ ab eisdem diapedesis dicitur, cum sanguis sudoris uice transcolatur, tunica uenæ rarefacta, aut sanguine attenuato, aut gracilibus uasis adapertis. hic nihil sumus dicturi, cum alibi copiosè omnia conscripserimus, sed de exteriori, quæ necessariò in his affectibus occurrit, sermocinari instituimus. Exit interdum sanguis multus a spatiis intercostalibus, in quibus singulatim disseminata est uena, & arteria, interdumve talis adcauitatem descẽdit, & sæuorũ causa est accidentium: multo ties effluit a uenis internis magnis, & causam mortis producit. Supprimitur sanguinis fluxus obturato orificio, à quo emanat, quod fit euulsa primò si qua ibi causa coniuncta aderit, quam Græci synecticam vocant. secundò si vasis orificium adeò vnitur, vt inde diduci nequeat: porrò [b] scire licet, quòd si a vena defluxerit, interdum supprimitur, præsertim si ex magnis uenis non fluxerit; si uerò amplæ fuerint venæ, & maximum profluuium apparuerit, glutinari eas difficile quidem est. in arteria verò non solum difficile, sed etiam quod fieri omninò fortasse nõ possit a multis iudicatum est. nam arteria de illis est, quorum consolidatio non creditur; & si eius partes interdùm unitæ videntur, non ob id uerè coeunt, sed caro eam circundans & continens solidatur, unde sanguinis morrhosagia prohibetur. ex duplici tunica componitur arteria, quarum vna carti laginis naturam quoquomodo sapit, ob id curationi rebellis redditur; in pueris tamen, mulieribus, ac tenuis corporis experimento, ac ratione comprobatum est, uulneratam arteriam consolidationem contraxisse, eius duritie, motu perpetuo, ac sanguinis spirituosi repletione non obstante; experimento, nam id euenisse in fronte, malleolo, brachii articulo, & summæ manus medio compertum habetur: ratione, siquidem arteriæ natura difficultatem quidem durioris naturæ suæ conglutinandæ prorsus indicat, non tamen eiusmodi quæ euinci omninò nequeat, ne que etiam ita ficca est duraque, vt os vel cartilago, immò longe his mollior, ac magis carnosa quo vtique minus de unienda eius sectione est desperandum, vbi tum ipsa sit parua, nec admodum lacerata, tum infirmi corpus natura molle & boni habitus. Dignoscitur arteria adaperta ex sanguinis fluentis colore, substantia, & modo fluendi. siquidem sanguis arterialis in colore, rubicundus, aut floridus, & clarus est, in substantia feruens, subtilis, rarus, & spumosus: in modo fluendi, quia cum saltu, impetu, & pulsu effluit, interdumve per circuitum, ac interpollate mouetur; qui verò à vena emanat, quietus, crassus, ac ingredinem declinans, & multus est. Omnis [c] sanguinis euacuatio præsertim arterialis verenda est, & magis si delirium, singultus, aut conuulsio aliqua subsequitur: vbi verò fluentis sanguinis effectrix causa desierit, primum sistere sanguinem expedit, postea laceratum vulnus secundum eius opportunitatem regere. Sistitur sanguis, ait Hippocrates, [d] animi deliquio, figura alterata, interceptione, linamentis intortis, oppositione, & deligationibus; quod etiam innuit Galenus [e] sub duplici modo, & primus localis dicitur, nempe obturato, scilicet quod perruptum erat, & clauso vulnere, aut eius labris, quæ disident, in idem adductis, præsertim opera, manu medici, vbi vulnus ad manum se exhibet, aut conuenienti deligatione, aut ijs remedijs, quæ refrigerant, & astringunt, aut osculo vulneris obturato & obstructo, sanguine ipso concreto, qui thrombos Græcè dicitur, aut iis quę foris illi imponuntur: veluti carnosæ partes circa vulnus ortæ, aut in nonnullis ipsa cutis. uel his medica mentis, quæ comminiscimur, sicuti linamenta, aut medicamenta emplastica, quæ

a ¶ Gal. 5. meth. cap. 2.

b ¶Galen. 5. meth. ca. 7. Auic. 4. 4. tr. 1. cap. 1. & tr. 2. cap. 16.

c ¶Hipp. 5. Aphor. 3. & 4.

d ¶ 6. de morb. popul. sec. 7. Gal. 5. meth. cap. 5.

e ¶ 5. meth. c. 3.

ex lenta, crassaque substantia consistunt, quare meatus obstruunt, aut crustam faciunt, quam Græci escharam dicunt, sicuti ignis, aut ea medicamẽta, quibus ignea vis inest; porrò his præsidijs ac ingenijs uti soliti sumus in contusis ac laceratis uenis, aut arteriis, præsertim carne attrita, ac diuisa existente: secundus modus diuersus vocitatur, & hic duplex est. nam auertunt nonnulla, & ad contrarium trahunt, circa ullam extra corpus euacuationem, vt sunt cucurbitulę siccę, aut cum flãma admotæ, frictiones & ligaturæ, primum in propinquioribus partibus factę, deinde in remotioribus, balnea denique, & oppositus vulneratę sedis situs. Auertunt quippe alia cum manifesta euacuatione, atque ad alia membra conuertunt, tum ad proxima deriuando, tum ad contraria reuellendo, vt venę incisę, quę profluuij è directo respondent, ac ipsis partibus sanguinem fundentibus coniunctæ sunt: cucurbitulę pariter scarificatæ, scarificationes interdum leues, interdum profundæ; uomitus etiam, ac alui copiosum profluuium: deriuatio [a] ad latus, & ad proxima loca fit, reuulsio ad contraria & remotiora, illam parocheteusin, hanc antispasin Græci uocant: iccirco non est inconueniens interdum pectore uulnerato saphenam aperire, tenuissimo uictus regimine uti, & semper silere. nam [b] thoracis disrupta vasa, a quibus sanguis expuitur, magna ex parte glutinantur: cohibetur [c] verò extrinseca effusio sola oui parte candida contusa applicata, aut addito aloe, mastice, boloarmeno, farina volatili, ac leporum pilis minutissimè incisis, aut fiat puluis ex minuto thure, aloe, gipso, & colcothar, additis leporinis pilis quàm mollissimis cum oui albumine contuso vsque ad mellis consistentiam. Si verò [d] interius ex thorace manauerit, patienti exhibeatur lapidis hęmatitis scrup. j. cum succo portulacę, aut [e] de semine hyoscyami albi ad pondus granorum duorum hordei cum aqua mellis, aut [f] fiant trochisci ex acacia, rosis siccis, balaustiis, gummi, tragacantha cum aqua pluuiali. aut Recip. radicum consolidæ unc. vj. balaustiorum drag. ij. aquę sextarium vnum, coquito ad tertias, expresso que succo adiicito amili drag. j. gummi splendidi drag. ij. datoque potui cum aqua plantaginis, aut portulacæ ad pondus duarum dragmarum: laudantur trochisci de Karabe, de terra sigillata, & diadragantum cum bolo armeno. Probatur summopere portulaca, centinodia, & super omnia saccharum rosatum antiquũ: foris autem pectori irrigatio adhibenda est, ex uino nigro astringente, aut ex oleo rosato, & myrtino, addito bolo armeno. de ligatura, digiti admotione, sutura, uenæ precisione, de laqueatione & ustione, si in profundo delitescunt venę, nihil dicere expedit, sed ea tantum sufficiunt, quę ore sumuntur: exterius verò, quę loco affecto applicantur.

a ¶Ga. 5. meth. cap. 3.

b ¶Galen. 4. de loc. aff. ca. 6. Auic. 10. 3. tra. 3. cap. 4.

c ¶Gale. 5. metho. cap. 4 & li. de sang. miss.

d ¶Act. lib. 8. c. 63. Paul. libr. 3. cap. 31

e ¶Auicen. 4. 4. cap. 7.

f ¶Galen 7. de comp. med. secundum loc.

DE VVLNERIS ANGVSTIA, Cap. XII.

Sæpe accidit, ut uulnus angustum fiat, aut quia telum lædens acutum & subtile fuerit, aut quia costa aliqua depressa aut fracta reperitur, vel musculi intercostales, aut panniculus ille, qui pectus interius circumscribit pleura vocatus intumuerit, aut vulnus obliquè incesserit, aut caro aliqua supernata fuerit, specillum, aut cerea candelula, aut penicillum, siue aliud instrumentum in vulnus ingredi nequit, igitur vt extra uenas existens sanguis, aut materia alia diuersa in pectoris clibano coaceruata commode extrahi, & medicamenta injici possint, angustum vulneris orificium aut incidente ferro frigido, vel ignito, si decet, aut turundis, siue penicillis, si expedit, aut corrosiuis medicinis, si conuenit, ampliare necesse est, atque magis si alicuius visceris pars aliqua exierit, nec in propriam sedem remitti possit, & læua superuenerint accidentia. Porrò accommodatum instrumentũ ad has sectiones illud est, quod

quòd Græci syringothomũ, Arabes embula, & Latini manubriolum vocant, idq; pariter quia curuum est, ac lunæ effigiem imitatur, scolopomacherion Græci, gamedin Arabes, & spatumen curuum Latini dicũt, quorum effigies capite septimo libri primi delineatas uidistis. sitque nobis memoriæ dum hisce instrumentis secare voluerimus, ne alicui nobilium uiscerum nocumenta præstemus. ob id in eorũ cuspide acuta, ceræ albæ parum applicemus. Turundæ fiunt ex marina spongia filo circumuoluta, & adeo stricta, vt in turundæ formam fuerit redacta. aut ex radice gentianæ, aut aristolochiæ longæ, aut ex medulla surgi compressa, aut alterius rei, quæ recepta humiditate tumeat, & vulnus latius reddat. Hæ succes siuè grandiores fieri possunt, sed prius cerea candelula imponatur, & iter præparetur, & per diẽ intus seruetur, inde turundæ immittantur. Si verò costa aliqua aut fracta, aut depressa fuerit, omni ingenio studẽdum est, ut eleuetur, aut ita situetur, vt callus gigni possit. Si autem caro aliqua aut lacerata, aut superaddita penetrationi obstiterit, aliquo medicamento epirotico, siue corrodente, quale est alumẽ liquidum, aut æris squamma præparata, tollatur. At si patientis timiditas, aut vehemẽs dolor, aut sedis affectę natura has non admiserit operationes, tunc lichinia siue turundę imponantur cum rosaceo & oui luteo, donec uulnus ad conuenientem dilatationem deuenerit.

DE SANGVINE CONGLObato. Cap. XIII.

Si sanguis in caua pectoris parte conglobatus fuerit ita, quòd nullo modo inde euelli possit, & tussis appareat, laterum grauitas, febris, ac spirandi difficultas, dãda est patienti, auctore Galeno, posca, aut oxymellites cũ decocto hyssopi, nec obstat bis, terve mane, ac uesperi hanc potionẽ iterare. aut Recip. ex Guidone & Almerico radicum caudæ equinæ vnc. j. osmundi, species filicis est, drag. iij. dragunti drag. j. coquantur cum vino & melle, & coletur, & da huius decocti, uesperi, patienti cyathum vnum tepidum. fortasis enim copiosè sudabit: ea medicamenta conuenire dictum est a medicis, quæ incidunt, & attenuant, & sudorem, aut lotium cient. Exhibent igitur nonnulli [a] coaguli leporis per se scrup. j. aut drag. s. cum aqua hyssopi, aut aceto & melle: probant etiam interdum drag. j. Theriacæ antiquæ cum aqua scabiosæ. Nostræ ætatis Medici laudant rha barbarum, aut rha ponticum, veluti Recip. reubarbari electi drag. s. erytrodani, mumiæ an. scrup. j. terræ sigillatæ scrup. s. aquæ scabiosæ vnc. ij. misce, & fiat potio, quæ summo mane accipiatur: exterius verò hordeacea aqua cum oxymellite per syringam iniiciatur, aut aliquòd decoctum, quod magis incidat, veluti hoc. Recip. radicum tormentillæ, Caryophyllatæ, consolidæ maioris an. m. s. hordei cum corticibus p. s. bulliant in aqua scabiosæ, & coletur, & adde oxymellis simplicis vn. ij. syrupi rosati s. vn. j. & utere sæpe cũ iniectorio iniiciendo, ac ultimò aliquid intus relinquendo, & uulnus claudendo, donec decoctum ab omni immunditie denudatum exierit, & quòd pectus a superfluitatibus exinanitũ fuerit, certus eris.

a ¶Act. lib. 8. ca. 62. Paul. lib. 3. cap. 45.

DE SPVTO SANGVINEO, Cap. XIIII.

Sequitur interdum quòd uenulæ, quę in profundo pectoris locantur, uulnerentur, nec perfectè cõsolidẽtur, quare paulatim, sed perpetuò sanguinem fundunt, qui postea per sputum tussiẽdo expurgatur, & hinc est, quòd

quòd ſputũ ſanguinolẽtum apparet. Tollitur [a] hoc ſymptoma medicinis ſtipticis & aſtringentibus, quæ ob id pectori noxã nõ inferant, quale eſt diadragantũ rubeum, trochiſci de terra ſigillata, aut de Karabe, aut de ſpodio ad pondus drag. j. cum aqua plantaginis, aut portulacæ. aut Recip. thuris, ſanguinis draconis an. drag. iij. terræ ſigillatæ, raued ſeni an. drag. ij. Karabe, balauſtiorum an. dra. j. opij, drag. s. fiant paſtilli cum ſucco ozymi maioris, aut portulacæ, & quotidiè unus cũ uino nigro auſtero ſumatur, aut cum decocto malorum, uel baccarum myrti, aut alterius eiuſdem aſtringentis, quod [b] mirabiliter etiam facit portulaca comeſa, & ſuccus eius bibitus efficacior exiſtit. Si uerò hęc non proſunt, ad athanaſiam Nicolai, aut ad philonium perſicum Meſues deuenire oportet; recens etiam theriaca prodeſſe ſolet: mittatur ſanguis non multus ſimul, ſed per interualla, ex iecoraria vena modo dextri, modo ſiniſtri cubiti: diuerſiones a longinquioribus fiãt, ac adiutoriorum, & coxarum partes ſublimiores laqueantur: thorax aceto roſato, aqua portulacæ, & oui albumine epithymetur, aut oleo myrtino, roſaceo crudo, & nenupharino inũgatur: patiens ſupinus iaceat, ſileat, & omnino quieſcat: uictus tenuis ſit: auena, aut hordeum cum ſucco amygdalarum ſit eius cibus, ſuperpoſito puluere aliquo aſtringente, nempe nucleorum mali punici acidi, vel rhoi, vel fructuum myrti, qui præ aliis ſummopere laudatur, aut coriãdrorum, & maſticis: fugienda tamen ſunt quæ ingrata ſunt guſtui, ne tuſſim, aut uomitum irritent, uerũ, ſi aliquа adfuerit indigẽtia. nã ut dictum eſt, [c] primũ periculum in ſanguinis ſputo eſt, ne ultra modum eius fiat euacuatio. magna enim pulmonum ac pectoris vaſa exiſtunt, ac arteriarum ſpeciem habentia: pedes ac extrema animalium in chalybeata aqua decocta concedantur, in eaque & ptiſana, & pultes ex amyli farina, aut hordeacea parentur. pariter & condrum, ſiue oriza, & cucurbita exhiberi poteſt. Potus eſto aqua chalybeata, aut in qua aurum fuerit extinctũ, addito zulapio, aut ſaccharo roſato, aut ſyrupo myrtino, aut, urgente neceſſitate, uinum nigrũ & pauciferum concedatur, præſertim ſi ſanguis ab aliqua thoracis uenula prodierit, qui & nigrior, & iam in cumulos coactus cum tuſſi & dolore, nec abſque fœtido aliquo odore, educitur: ſi uerò clarus, ſpumoſus, ac ſine dolore tuſſiendo eijcitur, eius eductio a pulmone fit.

a ¶ Galen. 7. de comp. med ſecũ dum loc. 4. de not. loc. aff. cap. 6. 5. meth. cap. 3. Aet. lib. 8. ca. 59. 62. Paul. lib. 3. c. 31. Auicẽ. 10. 3. tra. 3. cap. 4.

b ¶ Dioſc. lib. 2. cap. 138. Gale. 6. de ſimp. med c. de Andrachne.

c ¶ Galen. 7. de comp. med. ſecũ dum loc.

DE DESTILLATIONE SEV CATARRHALI DEFLUXU, Cap. XV.

[a] DESCENDIT interdum a capite ad pectus materia aliqua ſubtilis aut baurachina, quæ pulmonum uulneris ſanationem impedire ſolet. nam deſtillatio, ſiue catarrhus, ut Græci dicunt, tuſſim commouet, quæ uulnus dilaniat, ſomnum impedit, & digeſtionẽ corrumpit. ob id ut catarrhus ſiſtatur, & ne amplius defluat, diligentem animaduerſionem habere conuenit, eoque magis ſi aut ſuffocationem, aut uiſcerum læſionem timuerimus. Rectè igitur firmabitur ſi prius & cauſa, & humoris natura cognita fuerit; ſed quia in his ut plurimum fluxio calida exiſtit, præmiſſo uictus regimine, quod tenue eſſe debet, ad quandam tenuitatem uergente, ac cephalica uena aperta, niſi acris admodum deſtillatio fuerit, adhibitisque clyſteribus acribus, ac omnibus partibus corporis, capite tantum excepto, confrictis oleo ueteri, aut cicionio manibus inunctis, omnique induſtria retractis fluxionibus extremorum ligaturis, cucurbitulis, & caput purgiis, veluti eſt uiolarum, aut hordei aqua, quæ nares dilatet, & uiam liberam det, ut materia per has effluere poſſit, aut butyrum intra nares dato, cui octaua pars elaterij ſit adiecta. poſtmodum deſtillationem ſiſtere oportet his præcipuè, quæ retinent, & craſſum

a ¶ Galen. 7. de comp. med. ſecũ dum locos. Aet. lib. 8. c 60. Paul. lib. 3. cap. 31.

ſum faciunt, nec uulneri noxam ferãt, ſicuti eſt bolus armenus, ſpica, thus, maſtix, ſuccus glyzyrrhizæ, gummi, tragacantha, diapenidion, diadragãtum, & trochleę bechichæ in ore retentæ; confert etiam ad hoc ſyrupus de glycyrrhiza, myrtinus, uiolaceus, & papauerinus: ultimo uerò huic diſpoſitioni ſuffragantur pilulæ de cynogloſſa uſque ad drag. j. s. quæ non frequenter, ſed raro, exhiberi debent: ubi uerò copioſa ex capite in pulmones defluxio fuerit, præſtat medicamentum diacodion, quod ex melle conficitur. Si autem ex his deſtillatio non ſiſtatur, derafis ſupra coronalem ſuturam capillis ſpargatur puluis et ſandaracha, Arabum maſtice, balauſtiis, et bolo armeno; et, ſi hæc non iuuãt, capiti emplaſtrum applicetur ex thapſia, aut ex ſimo columbino ſylueſtri, aut fiat cauterium ſupra ipſam commiſſuram coronalem.

DE TVSSI MOLESTA. Cap. XVI.

[a] TVSSIS uehementiſſima effatio eſt, & motus, quo natura, cùm plurimo ſpiritu celerrimè foras erumpente, impetu ſuo excremẽta a pectore, & pulmonibus expellit: Tuſſis eſt motus pectoris, ſicut ſternutatio cerebri, ad profligãdum nociua: perficitur pectoris dilatatione, et conſtrictione, ac ſuorum uelaminũ motu, ſiue aut propter materiam pulmonum propriam, aut ex deſtillatione, uel affinitate, & conſortio alterius partis: quare cùm utroque modo potẽs cauſa ſit, uulneris pectoris ſanationes prohibendi, illi accuratiſsimè incumbere licet: quocirca præmiſſo regimine in ſex rebus non naturalibus, ut de catarrho dictum eſt, inungatur pectus, ſi aliqua repletio adeſt, oleo uiolarum, amygdalarum dulcium, butyro recenti, pinguedine gallinæ, & mucillagine althęæ, aut uſitato unguento pectori conferente. Exhibeatur ſummo mane ſyrupus de glycyrrhiza, capillo Veneris, uiolaceus compoſitus, aut ſimilis: ſępe in ore ſaponeam teneat, diadragantum, diapenidion, aut loch de pino, aut de pulmone uulpis. Si autem humorum copia apparuerit, ea euacuanda eſt aut per internas, aut per externas regiones, ut ſupra explicauimus. ſed cùm ab aliqua frigida intemperie originẽ traxerit, regatur medicinis prædictis, quæ breuiori tẽpore quo poteſt dimittantur, & uulnus hoc interim opportunè, ut decet, regatur.

a ¶ Galen. 7. de comp. med. ſecũ dum locos, & 2. de ſympt. cau. Aet. lib. 8. ca. 54. Paul. lib. 3. cap. 28. Auicẽ. 10. 3. tra. 3. cap. 1.

DE DOLORE. Cap. XVII.

[a] MOLESTISSIMVM accidens triſtis ſenſus eſt, qui a Medicis dolor vocitatur. ſiquidem, cùm acutus eſt, inducias non expectat: proinde ſumma cura protinus adhibenda eſt, vt tale accidens demulceatur, aut in totum, ſi fieri poteſt, abſumatur, quod [a] opus tribus ingeniis celebrari ſolet, nempe medicinis anodynis, id eſt, dolores ſedantibus, & temperaturã inęqualem permutantibus, aut doloris cauſam diſcutientibus, ac diſſipantibus, aut membrum ſtupidum, & ſine ſenſu reddentibus. Iccircò ſi cauſa nota fuerit veluti illa, quam iſti coniunctã vocant, tollatur tuto & ſine dolore; ſi autem occulta fuerit, premiſſa, vt decet, euacuatione, anodynis vti primò opus eſt, ſub forma inunctionis, aut fomenti, aut cataplaſmatis; Ergo hyeme, auctore Galeno, locum in orbẽ oleo nardino, aut melli no, aut camomillino madefacito, æſtate vero violaceo, aut roſaceo: fomenta ſiũt adhibita lana oleo communi, aut camomillino calido infuſa, aut ſpongia in decocto acãthi, althææ, violarum, meliloti, & fœnugræci madefacta: porrò ex his, aut

a ¶ Galen. 2. de loc. aff. cap. 1. 2. de comp. med. ſecundum loc. Auic. 4. 1. cap. 30.

similibus

similibus plantis pariter cataplasmata parantur,addito oleo masticino, rosaceo, sapa, farina hordeacea,semine lini,ouorum luteis, & croco. Narcotica verò, seu stupore inducētia,nullo modo probantur:verū,si aliqua de causa fuerint opportuna,non excedant oleum ex nimphea,aut de papauere, aut triturentur folia hyoscyami cum oleo violato,farina hordei & croco. Si autem dolor diu perseuerauerit,ad nouas corporis euacuationes redire expedit,sanguinem, si nihil obstat,mittendo,aut aluum ducendo aut agarico, aut reubarbaro. uulnus uerò secundum indigentiam regatur,& bis aut ter in die mederi oportet.

DE INFLAMMATIONE, Cap. XVIII.

DImensiones prēternaturales in longo,lato,& profundo,quas Græci apostemata,Arabes dubelet,& aldubelati,& Latini tumores non naturales,aut abscessus, siue inflammationes appellant, cum thoracis uulneribus occurrunt, plerunque a materia calida producuntur, & maximum secum afferunt timorem, præsertim si ossa,vel nerui,vel venæ,vel arteriæ, vel lacertorum capita affliguntur,aut vbi parum sanguinis pro uulneris modo fluxerit,aut cum interna, ac primaria membra patiuntur. Ex his,quę exterius nascuntur,sensu uisus ac tactus dignoscuntur;si uerò intimè oriuntur,aliquibus propriis symptomatibus declarātur,quippe dolores interni in principio debiles,deinde fortiores apparent, horripilationes,febres ardētes,uiscerum grauitas,pulsuum durities, difficultates anhelitus,inquietudo maxima,tussis sicca,& vt plurimum vulneratorum pernicies. Quoties ergo de aliqua inflammatione occulta dubitatur, statim sanguis e brachio mitti debet,vtique si corpus iuuenile & robustūm,ac exercitatū fuerit, multoque magis si ebrietas præcesserit;diæta instituatur tenuissima,diuersionū omni genere vtendum,corpus cassia,aut manna, aut syrupo rosato solutiuo purgetur, ac tandem ea omnia,quæ in initio inflammationum sunt opportuna, obseruētur. Si autem inflammatio externas occupauerit partes,& causa humor biliosus fuerit,erysipelas,aut herpes procreabitur,& tunc pariter tenuissimo victu vtendum est,frigiditatem quandam præ se ferente: sanguinem ex talo, aut oppositа parte mittere conuenit.Si autem corpus cacochymum fuerit,aut prauis scateat humoribus,medicamento colagogo,id est, bilem educente, euacuetur:rubor uerò ipse uiolaceo,aut nenupharino oleo,aut rosaceo vnguento sæpius inungatur. Porrò si phlegmon,id est sanguinea inflammatio,incæperit,mittatur sanguis, & fluxio tēperatè inhibeatur rosaceo,myrtino, & masticino oleo,addita boli armeni portiuncula.Si ad statum deuenerit tumor,suppurationi præparetur,superposito emplastro macedonico,quod triapharmacum uocant,ex rodeolo,farina triticea,& decocto radicum althææ,& caricarum pinguium. Sanie concocta in loco oppor tuno fiat sectio, inde præparetur,postea noua carne repleatur,vltimò sigilletur, per uulnere non neglecto,sed diligenter curato.

DE DVRITIE LABRORVM VVLNERI. Cap. XIX.

CVm diu permanserit vulnus,neque ad cicatricem deuenerit,eius labra duritiem quandam,obducunt,inde remanet affectus, quē Græci coriadan,& Latini fistulam vocant. Sinus quidem est profundus,angustus,cuius labra rotunda, & dura fistulę arundineæ formā præ se ferūt:Indicia sūt labra decolorata,sanie penuria,nullus sensus,& durities manifesta:Quare tunc fistularū more curari debent,duritiem primò,aut callositatem remouendo,quę vlcus tale cacoethes id est difficilis curationis,reddunt, & est symptoma, sine quo non celebratur hoc opus,sumpta indicatione a calli natura,& quantitate,& nunquid in labris,an circa ea consistat, vnguentis, pulueribus, humidis liquoribus,interdum etiam scarificatione,& cauteriis. Verùm in hoc ęgri animus consulendus est. Sed a leuioribus initium capiendo, si durities mediocris fuerit, vnguenta, quę magis probantur,& vsui seruantur, sunt damascenum, apostolorum, cerasęos, & Isis, quę omnia cognata sunt;fortius verò in duriori est vnguentum ęgyptiacum, aut cauterij:pulueres parantur ex radice maioris centaurij, asfodelli, spondilij, nigri veratri, hydrargyro prępарato,quod præcipitatum uocant, ex calcanto usto, aut squamma ęris pręparata,& rebus similibus: trochisci etiam de minio, qui celebres admodum sunt,uel radices ipsæ,imponantur,quę mirifice operantur. Si hæc non iuuant,postquam partes circumiacentes propriis defensiuis fuerint munitę, alicuius cauterij potentialis portiunculam cum fermento misce,aut sublimati granum cum butyro,aut unguento cerussato compone,& fiat opus:ex liquidis liquoribus acida muria,aqua aluminis, aqua plātaginis cum pauco arsenico, aqua,qua aurum ab argento separatur,fortis nuncupata,addita aqua rosacea, aut uino malatico:hęc administranda sunt prout calli consulit durities. Absumpto callo,patienti aliquod decoctum,aut pigmentum,ut in capite quarto descripsimus, exhibeatur,ut aduentitię humiditates,quę perpetuo ad sedem affectam defluunt,exiccentur,& partes interne rectificentur,& patiēs ad sanitatem perducatur, quod nobis multoties cū auxilio Dei omnipotentis,& Marię semper uirginis, cum honore,& patientis utilitate,bene successit.

ADDITIO.

SOlent nonnunquam inter costas fistulę subterexire;quod ubi accidit,eo loco costa ab utraque parte decidenda, & eximenda est, ne quid intus corruptum relinquatur. Solent hę ubi costas pertransierint septum id, quod transuersum a superioribus uisceribus intestina discernit,uiolare, quod intelligi & ex loco, & ex magnitudine doloris potest, & quia interdum spiritus eo cum humore quasi bullante prorumpit,maximeque si hunc orc ille continuit, in eo medicaminum locus nullus est, & pinguia omnia inimica sunt; probantur tamen manuum operationes costas & ossa omnia corrupta extrahendo,ceteris postmodum quę uulneribus accommodantur,inde uti licet. ¶Hipp.lib. de fistulis:Cels lib.7. cap 4. Gal.5 de loc. aff. cap 2 & 5.meth.cap.8. & 7. de aggr. anat. Auic.4.4. tra. 3. cap.10.

Occurrit etiam interdum ut ab acuto telo, costa aliqua utrobique perforetur, & ob id materię extra uenas egressę magna cum difficultate euacuari possint, quare non ab re est terebris ad hoc paratis,orificium in osse ampliare, quæ sub formis construuntur superius delineatis,inde omnia habentur,quæ pariter in aliis penetrantibus uulneribus adimpleri solent. Hipp. lib. de in ternis affectibus

CHI-

CHIRVRGIAE IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI, SECTIONIS PRIMAE,

Liber Quintus.

DE CVRATIONE VVLNERVM INFIMI ventris, & suarum partium. Cap. I.

a ¶Hipp. lib. de loc. in homine. Platoi Thimæo. Galen. 1. de not. loc. aff. cap. 1. & 1. de cõp. med. secũdum locos.

b ¶Gal. lib. art. par. med. ca. 75. & de loc. affec. cap. 1. Auic 2. 1. tr. 3. su. 1. ca. 11.

TVMANI corporis partes antiqui [a] locos appellabant, & quàm diligentissimè affectus illis euenire solitos, per propria signa nõscere studuerunt; quippe pro locorum differentia, affectuum curationem variari contingit: iccirco [b] quia partes in superficie sitæ, unà cum suarum passionum natura, quam isti essentiam uocant, facile sensibus deprehenduntur, nec multa egent perscrutatione. quæ uerò in imo corporis delitescunt, ac uisum effugiunt, exercitatæ cognitionis uirum desiderant, cum in partis naturæ, substantiæ, actionis, situs ac eorum cognitione, quæ ex anatome apprehenduntur, tum medendo opportunis indicationibus, & manuum operatione. Hæc de re cum infimi ventris, & suorum locorum uulnera, ac eorum curationes explicare proposuimus, primo quid per uentrem ac in eo contenta intelligendum sit, enarrare decreuimus. Per hanc [c] igitur partem, eam totam accipimus regionem, in qua a diaphragmate infra, usque ad pubis os, naturalia, siue genitalia, aut nutritiua membra, ac his seruientia, conseruãtur. nempe Iecur, Ventriculus, Lien, Renes, Intestina, Vterus, Vesica, Pori Vritides, Seminis Vasa, Mesenterium, Omentum, Venæ, ac Arteriæ multæ, magnæ, ac profundæ, adde & Testes. Membrum, quod hæc omnia continet, cooperit & conseruat, a Græcis epigastrion, a Latinis abdomen, ab Arabibus mirach uocatur: componitur [d] ex duplici cute, exteriori pinguedine copiosa, membraneo musculo, quem isti panniculum carnosum & inuolucrum totius appellant, ac lacertis octo diuersimode procedentibus. huic subiicitur membrana quædam pertenuis, veluti aranea, totum subcingens ventrem, & interiora omnia continens, ac si eorum esset marsupium, aut indumentum, a Græcis peritoneon, a Latinis abdominis membrana, ab Arabibus Siphac dicitur: ob id affectus in soluta continuitate, qui huic occurrunt uentri, non minorem in curatione afferunt difficultatem ac timorem, quam qui thoracem offendunt. & Sostratus eos insanabiles credidit. attamen id non ex toto ita se habere usus ostendit: porrò abdominis continuum soluitur tripliciter, cum uel nulla adsit penetratio, & uulnus fere simplex sit, uel cum usque ad cauitatem siue uiscerum læsionem peruenerit, uel cum interna membra ex accepto uulnere lædantur. Harum læsionum prima sensibus facilè dignoscitur, & eam aliis comparando, leuis admodum passio iudicatur, & nisi timidus æger sit, aut ualde imbecillus, aut Chirurgus imprudens, nullum, aut paruum potest inferre timorem. quæ penetrant, [e] cauitatem attingunt, ob sanguinis maximam copiam, aut internorum alterationem, aut ictum, non nisi uehementè incommodum ac periculum adducunt. Et quia hæ læsiones sensibus non dignoscuntur, opus est, ut aliquibus propriis symptomatibus manifestentur. Prius ergo signa describenda ueniunt, quæ penetrans uulnus ostendere possunt. postea necessariũ est notas subiicere, per quas quid intus factum sit scire possimus, & quæ uiscera patiantur,

c ¶Aristo. 1. de hist. animal. c. 8. Gal. 2. Aphorif. cõ. 25. & 7. aphorif com. 56.

d ¶Gal. 6. meth. cap. 4. 5. de loc. aff. cap. 6. & 5. de usu part.

tiantur dignoscamus: quorum passiones ut rectè pernotentur, eorum situs, magnitudinis, coniunctionis, operationum, ac excrementorum cognitio, admodum necessaria est, ex quibus etiam vel spes vitæ vel desperatio oritur.

DE INFIMI VENTRIS VVLNERVM penetrantium, signis. Cap. II.

LAESIONES, quæ ventris cauitatem non attingunt, inter simplicia uulnera numerantur, & sensibus deprehenduntur, aut minima quadam inquisitione rectè dignoscuntur, sed quæ ad cauitatem peruenium, quattuor mediis diiudicantur, nempe usu, cum sectio satis ampla fuerit, aut si omentum, vel intestina exierint: interdum tactu, dum digitus, aut specillus, aut candelula cerea facillimè intus penetrauerit: sæpenumero coniecturam ab instrumento lædente accipimus, si telum longum, subtile, & acutum fuerit: ac a brachio ualido, in detecto corpore, & tenui abdomine, infixum fuerit: ut plurimum uero ex symptomatum natura, penetratio manifestatur, cum alicuius internæ læsionis nutrientiũ mẽbrorum aliquod proprium symptoma apparuerit, vt infra singulatim clarè demõstrabimus, quæ interdum cito, interdum serò manifestari solent.

DE VENTRICVLI LAESI INDICIJS. Cap. III.

VBI [a] ventriculus, siue stomachus, percussus est, singultus, & bilis vomitus insequitur, & si quid cibi, uel potionis assumptum est, id cito redditur. nam ad cibum destinatus locus cum vulneratur, illum nec conficit, nec continet. est [b] enim promptuarium alimẽta vniuersa excipiens, & necessarium cibi conceptaculum: ab eo non magna sanguinis eruptio emanat, graciles enim sunt stomachi uenæ: dolet, & agitatur, ex quo facile inflammari potest. uenarum motus elanguescunt, sudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigescunt. interdum [c] chilus, siue incoctus cibus, per uulnus emittitur, sputum [d] sanguineum, & dolor crudelis apparet, ita ut cor sibi mordicari videatur, præcordia indurescunt, & uulnus sub sternone, siue bifurcali cartilagine, ac in media regione, imprimitur. hoc discisso, mors citò subsequitur. nam instrumentum primæ concoctionis est. vniuersum cibum recipit, & illum accurate elaborat, & quid in eo inutile reperitur, atque excrementitium deorsum pellit, quod verò benignum ac vtile ad cor poris nutritionem conseruat. rotundus, ac fere oblongus, & cauus est, duabus tunicis contextus, æsophagitunicis similibus, internis membranosior est, uillis rectis quamplurimis deorsum tendentibus intertexta externis carnosior, & uillos transuersos habet: quare syluestris pars vulnerata, redimi potest: domestica verò, quia neruosa, aut raro, aut nunquam consolidatur, idque magis, quia [e] uarijs perpetuò repletur humoribus, unde postea febris, vertigines, syncopa, id est, animi defectus, singultus, nausea, & ea praua accidentia quæ in cordis affectibus apparere solent, oriuntur. Hęc uentriculo grauiter, ac intime uulnerato supernascuntur.

a Cels. lib. 5 cap. 26 1.

b Aristot. 3. de par. ani. cap. 10. Galen. 4. de usu par. circa principium.

c ¶Aristot. 3. de par. ani. c. 3. Gal. 1. de lo. aff. cap. 1. Paul. li. 6. cap 88.

d ¶Gal. 5. de lo. aff. cap. 6.

e ¶Gal. 5. de no. loc. aff. cap. 5.

V DE

DE HEPATIS OFFENSI NOTIS. Cap. IIII.

a ¶Celſ. lib.5.c. 26. Aet.libr.10. cap.5.

LAESO [a] hepate, vt dicunt Græci, ſeu iocinore, vt Latini, multus ſub dextera parte præcordiorum effunditur ſanguis craſſus, nam magna huius membri portio dexteram ſedem occupat: interdum etiam biliosus accedit vomitus, ructus fœtidi conſequuntur, & a ciborum acceptione, præcordiorum grauitas ſubſequitur; pulſus depreſſi ſunt ac denſi, fiuntque ægri triſtes, & iracundi, punctorij dolores vſque ad iugulum extenduntur: vulneratorum color [b] cinericius eſt. tusiſunt, ac febre maxime intenſa cruciantur: lotium [c] ſæpe ſanguineum emittunt: interdum ſeceſſus plurimus apparet, & quæ excernuntur cruenta, putrefacta, ac ſanioſa exiſtunt: vulnus in hypochondrio dextero, & ſub ſpurias coſtas in parte ſumma occurrit. Hoc [d] membrum omnium venarum, quamuis ſecus credat Ariſtoteles, [e] initium, ac nutricis facultatis principium eſt: ad [f] cuius defectum cor patitur: eſt etiam primi ſanguinis generandi inſtrumentum, ac facultatis concupiſcibilis, ait Plato, principium; cumque extrinſecus læditur, & ſi gibba eius pars ſana fuerit, maximum ſanguinis profluuium expectare oportet: & ille, qui ca dit ſuper hepar, aut ſplenem, ait Auicenna [g] deinde currit ex eo ſanguis plurimus, tunc neceſſarium eſt vt apoſtemetur, & moriatur: cùm verò aliqua in eo oritur inflammatio [h] tunc febris aſsidua, & ſingultus patientem inuadit, vrinæ conturbatæ fiunt, & fœces corruptæ, ac variæ apparent.

b ¶Hippo.5. de morb. popul.
c ¶Auic. 14.3. tr.3.c.20.
d ¶Gale.4. & 5. de uſu par.
e ¶5. de part. ani.cap.4.
f ¶Gal.5.de no. loc.aff.
g ¶4.tr.2.c.4.
h ¶Hip.5. Aph. 58.7. Aphor.17. Aet.lib.10.ca.3. Paul.li.3.ca.46.

DE VVLNERATI LIENIS ACCIDENTIBVS. Cap. V.

a ¶Celſ.lib.5.c. 26. Aet.lib.8.ca.59

SPLENE, [a] vt dicũt Græci, aut liene, ut Latini, icto, ſanguis niger a ſiniſtra parte, ſub hypochondriis prorumpit, qui & fœculentus & craſſus eſſe ſolet: præcordia ab eadem parte indurescunt, ſitis ingens oritur, dolor tenuis ad iugulum, ſicut iocinore uulnerato extenditur. Huius viſceris vulnus verendum eſt. nam [b] eius corpus, multis arterijs plenum eſt, ac laxum, inſtar cuiuſdam ſpongiæ, quæ ex ſanguine limoſo, craſſo, & melãcholico, in hepate genito, nutritur. Sima eius pars arteriarum multarum, ac magnarum venarum plantationes continet: ob id cum læditur facile inflammatur. veruntamen, cùm leuiter uulneratur, non tanti eſt momenti, vt ſunt aliæ modo dictæ partes. attamen nec ita leue eſt in eo collatum vulnus, vt nec ullum incommodum, neque laborem afferre poſſit. Tarde quidem ad hoc uiſcus affectum, medicamenta intus ſumpta perueniunt.

b ¶Gal. 4. &5. de uſu par.

DE INTESTINI SECTI SYMPTOMAtibus. Cap. VI.

a ¶Celſ.libr.5. ca.26. Gal.1.de not.loc.aff.ca.1.
b ¶Hipp. lib.1. de morbis lib.de Coac.prænot.6. Apho. 18.& 24. Celſ.li.7.c.16. Gal.6 meth.c.4.
c ¶Gal.5. de lo. aff.c.3.4. & 5.de uſu par. 6. de nat.2dm.

CVM [a] inteſtina vulnerantur, ſtercus attenuatum, aut eius fœtor exire contingit. nonnunquam bilis per os redditur. interdum cibus, aut potus per uulnus emittitur, præcordia denſa fiunt, & febris accedit: communes verò ieiuni inteſtini, & uentriculi uulnerati, notæ ſunt. Scire tamen licet, [b] quòd ſi ex gracilibus fuerint, ſalutis ſpes nulla relinquitur, ea [c] quippe tria ſunt, & ſuperiora, quorum primum deſcendendo, pyloro coniunctum, per duodecim digitorum ſpatium, ad ſpinæ longitudinem rectè protendit, ab Herophilo

philo dodecadactilon, & à vulgo duodenum vocitatur: ſecundum, eo quòd ſemper inane ſit, ieiunum dicitur: tertium illud tenue eſt, quod Græci ileon appellãt: maximè [a] verò inter hæc ieiunum vulneratum inſanabile creditur, tũ quia exangue eſt, tùm propter vaſorum magnitudinem, quæ in eo locata ſunt, tum etiam eius tunica prætenuis, neruoſaque exiſtit. addè, quòd & bilis ſynceræ ex fellis poris recipit portionem, & omnium maximè iocinori vicinum eſſe videtur. Inferiora uerò, quæ pariter tria ſunt, craſſam, ac ſatis carnoſam habent ſubſtantiam, ſicut cæcum, quod vulgus ſaccum, & monoculum vocant. eſt enim, veluti venter craſſus, ac ad excrementa recipienda idoneus. hoc in dextro ilio locum tenet. Colon ſequitur aliis carnoſius, a dextra ad ſiniſtram, ilium attingens, ventriculi fundum ſuperequitat. Vltimum, quia ſpinæ e directo incumbit, rectum appellatur, a vulgo Longanum dicitur. Spatioſum excrementi receptaculum eſt, & ad ſedem vſque porrectum, ac ualde carnoſum. Hæc igitur, quæ in imo ſitu locantur, quia craſſa, ac carne prædita ſunt, & quia medicamenta per ſedem impoſita diu in ipſis retinentur, nonnunquàm ſanitati reſtituuntur: veruntamen, [b] ſi in eis aut magna, aut per tranſuerſum fiat plaga, magnum mortis imminet periculũ; ſi verò parua, aut recta, ſeruari poſſunt: cum autem [c] inflammatione affligũtur, vrinæ ſtillicidium apparet, dolor crudelis oritur, febris augetur, & patiens moritur.

a ¶Gal.6.meth. c.4.Pau. li.6.ca. 52. Albu. lib.2. cap.87.
b ¶Hipp. lib.de corp. fect. lib.de Coac.prænot.
c ¶Hipp. 5. Aphor.58.

DE VESICAE INCISAE COGNITIOnibus, Cap. VII.

VESICA [a] inciſa vrina interdum ſupprimitur, aut pro vrina ſanguis, vel ex vulnere vrina deſcendit; dolent inguina, & quod ſuper pubem eſt, intenditur, ſtomachus afficitur ita, vt bilẽ vomat, aut ſingultiat. vehemens [b] autem dolor, pecten hypogaſtrium, quæ impedit, vrina magna cum anxietate ſæpe redditur, & poſt mictum, pus in fundo matulæ reſidet, ſquammulæque in ipſa tetri coloris, aut lamineæ circunferuntur; frigus, conuulſio, & ex ea mors ſubſequitur, præcipuè [c] ſi tota eius ſubſtantia ſecari contingit: porrò [d] in eis collo non pauca ſalutis relinquitur ſpes, eſt enim [e] veſica vrinæ receptaculum, duabus tunicis contexta: quarum [f] exterior a peritoneo orta, multũ neruoſa, ac ſenſu prædita eſt: interior verò craſſior, & omni fibrarum ſpecie contecta, præſertim obliqua, ne continua vrinæ, intempeſtiuaque excretio fiat. eius collum muſculis plenum, ac carnoſum eſt; quare vulnera in illud illata, ſæpe ſanantur, cum profectò quotidie ſanari videamus, cum lapides a ueſica, ſecto collo, extrahuntur.

a ¶Hippo.4.Apho.80.81.Cel. lib.5.ca. 26.Aet. lib.11. cap.19. Paul. li. 6.c 88.
b ¶Paul.li.3.ca. 45.
c ¶Hippo.lib.1. de morbis. li.de Coac. prænot.& 6.Aphor.18.
d ¶Gal.6. Aph. com.18.
e ¶Hipp. lib.de corp.refec.
f ¶Gal. 1. de facul.anat.5.de uſu par.

DE RENVM LAESIONIS COGNItione, Cap. VIII.

SI vulnus [a] in renes penetrauerit, vrina cruẽta, aut eius loco cruor fertur, nonnunquam penitus ſupprimitur: inde patientes tumidi facti moriuntur: dolor ad inguina, teſticulosque deſcẽdit; ſed vnum ſignum potiſſimum erit nobis, hoc indicans, locus ipſe. nã vulnus in dorſo, raro verò alibi, ſub ſpondylis, & infra coſtas ueras, paululum ſupra ſpurias infigitur. cum verò eorum ſubſtãtia, quæ denſa eſt, ac ex ſolida carne procreatur, ſolum vulnus patiatur, interdum ſanari poteſt, ſed vulnere altius penetrante nõ niſi laborioſe, ac magno cum diſcrimine ad ſanitatem perducitur. ipſis enim [b] vreteres pori, qui meatus vrinarii, & pori uritides vocantur, firme alligantur, ac venæ cauæ bini rami ac inſignes, pariter magnæ arteriæ duo vaſa, quæ emulgentia dicuntur, illis annexa ſunt, per quæ renes [c] vrinam a ſanguine ſecernunt. ſanguine aquoſo nutriuntur, & ferè conti-

a ¶Hippo.4.Apho.75.Cel.li.5. cap.26 Aet. lib. 11.c.16.18.
b ¶Galen.16.de uſu part. 6. de aggr.anat.
c ¶Hipp.lib.de oſſium nat. Ari. 3.de par.ani.c.5. Gale.6. de aggr. anat.

nuo, aut saltem aliquando mouentur. quæ omnia, aut nullam, aut tardam curationem faciunt. & quia prope cauam venam siti sunt, paululum sub iocinore, vulnera penetrantia ac ualde angusta, quæ in dorso & in eorum regione occurrunt, ad modum timenda sunt.

DE LAESI VTERI COGNITIONIBUS, Cap. IX.

a Cel.li.5 c.26.

b ¶Hipp. lib.de mor.mulier.

VM [a] uterus, siue matrix percussa est, dolor in inguinibus, coxis, & fœmoribus suboritur, sanguinis pars per naturalia descendit, febris [b] & uomitus bilios⁹ insequitur: quædam obmutescunt, quædam mente labuntur, & quædam sui compotes sunt; ne ruorum, oculorumque dolore uirgeri se confitentur; uulnus in fundo ventris existit, morientesque tandem eo modo, quo quę corde patiente, moriuntur.

DE CAVAE VENAE, AC ARTERIAE MAGNAE vulneratæ prædictionibus, Cap. X.

SAngvis, qui a magna, siue caua uena, quam Græci chilin uocant, per quam totum corpus nutritur, cū uulneratur, effluit, non valde purus, sed satis niger & copios⁹, cum extremorum frigiditate, & sudore glaciei modo pulsuum imbecillitas, animi defectus, & subita mors subsequitur. Sed, cum magna secatur arteria, sanguis spirituos⁹, floridus, aut ruber, & copios⁹ emanat, quę de necessitate, subita iam sequitur pernities. Has sæpe iudicamus læsiones, si uulnus aut in dorso, aut alibi, pfunde, his apparētibus symptomatibus penetrauerit.

ADDITIO.

a ¶Hipp.2.aphoris.16. Gal.lib.2.par.med. ca.87. & 9.meth. Auic.1.4.tra.2. cap.8.

b ¶Hipp. 1. de morbis pop. 2. aphor.33.

c ¶Hipp.1.præsag. c. ult. Celf. lib.2.ca.8. Gal. 1.de diff. feb.c. 8. Auic.3.4.trac. 1.cap.23. tra.3. cap.1.

d ¶Hipp.2.præsagiorum.

e ¶Hipp.1.præsag.c2.10.Celf. lib.7.ca.3. Gal. 2.de crisi c. 14. Pau.lib.2. ca.3.

PRaedictiones, quæ thorace, ac infimo ventre vulnerato occurrūt, diuersimode sumi possunt, nempe a sede affecta, vt supra explicauimus; interdum [a] a virium robore animalium, vitalium, & naturalium. nam mente constare, ac hilari animo se habere in omni morbo, bonum. vbi verò uirium apparet inopia, laborandum non est. siquidem natura [b] omnium opifex est, medicus uerò minister. excrementa autem omnia in quali & quanto bene disposita, futuram præsagiunt salutem, [c] præcipue uerò pus ipsum: quæ verò [d] contrario modo se habent, pessima iudicantur. In vniuersum [e] dictum est, morbi tępore breuissimo, finem attingentes, facillime dignoscuntur, vtpotè infirmi, qui ad sanitatem tendunt, facilè spirant, dolore non afflīguntur, dormiunt noctu, quietè uiuunt, cibum appetunt, siti non molestantur, si qua febricula est, quiescit, & eorum facies, sibi propriam effigiem seruat: atque etiam scire licet, quòd ille medicus plures sanat, in quo plures confidunt; & sanitas tutius, ac citius euenit, si medici rationales, experti, patientes, & benęuoli fuerint.

DE INFIMI VENTRIS SIMPLICIVM uulnerum curatione, Cap. XI.

a ¶Celf. lib. 7. cap.4. Galen. 3. meth.cap.4.

EFFectvs [a] in soluta continuitate, qui infimo ventri occurrunt, uel alteri morbo, aut diuerso symptomati, vel propriæ causæ minimè associantur; uel quia ad viscera, & cauitatem non pertingunt; sub simplicium vulnerum latitudine a medicis numerantur, vnaque sola, ac simplici in eorum curatione

a ¶Gal.lib.art. par.med.ca.92. 1.aphor.cō. 16. & 4.meth.ca.1.

tione egent indicatione; dictum [a] sane est, quòd in omni uulnere diligenter attendere oportet, & simplices affectus a compositis discernere, cum simplici morbo simplex adhibenda curatio sit, composito uerò non simplex. Continuitatis ergo simplex solutio, quæ huic loco contingit, intentionem quidem vnam tātum requirit, partium uidelicet vnionem, quæ in paruis fascia tantum duplici modo conuoluta fieri solet; in magnis verò vt hæc firma ac stabilis existat, & alligatio cogens in unum, quæ distant, & suturę, & fibulę vtiles sunt; ac prius suppresso sanguine sic uniantur, ac unitæ conseruentur. inde barbaro [b] medicamento, aut aniceto, vel nigro adhibito, conglutinationi studere oportet. Solent enim huiusce modi uulnera, si rectè tractantur, rore proprio, ac elementari sanescere: verùm si in corpore mali habitus, aut vbi uitium confluentis sanguinis abundat, tale vulnus acciderit, non simplex vulnus, sed cacoethes, & difficilis consolidationis iudicabitur, quod [c] etiam ratione læsi situs aduenire solet. nam locus iliorū sectus, minus timendus est, quàm situs albhere, siue aluourati, ut Arabes dicunt, aut sumi-nis ut Latini, quod medium corporis est, utriusque lateris mensura quatuor digitorum ab alborati, id est umbilico: ibi enim lacerti, tendones, & uenæ, ac arteriæ multæ notabiles locantur: communiter uerò ex non penetrante uulnere, nec leue, nec timidum præsagium adducendum est. non graue, quia nullum mortis periculum sequitur, nisi æger, aut puer, aut decrepitus, aut ualde timidus fuerit, uel praua medici curatio subsequatur: non leue, quia abdominis musculi, qui octo sunt, ad [d] thoracis motum, ac ad [e] fœces expellendas continuo mouentur; undè conglutinationis aliqua sequitur difficultas, & inflammationis suspicio, præsertim cum homines crebrò a fœcibus expurgandis stimulentur, & illorum musculorum prætensiones sequantur. Siquidem dictum est, [f] eas sectiones timendas fore, quæ lacertorum capita offendunt, a quibus tendones originem trahunt; quare dolores, febres, inflammationes, & conuulsiones subsequuntur. At uulnera, quæ alicuius magnitudinis sunt, eodem modo regenda sunt, quo & alia carnosa, & simplicia regi debent, nempe sutura, si decet. nam uentris partes ligaturam uix admittunt, in ima parte orificio dimisso, in quo suppresso sanguine, per quatuor dies lichinia mollia medicamento ex terebinthina, thuris cortice, mastice & oui luteo parato imponantur, & puluis super futuram inspergatur ex mastice, bolo armeno, dragantis, & myrrha; & superposito emplastro barbaro, fascia membrum commode auoluatur. & si uulnus hoc pacto non agglutinetur, curandum erit, ut in sequentibus paulo post dicemus.

b ¶Scribon. de fer.207.Gale.2. Katageni in fine Pau.lib.7.c.17.

c ¶Gal.4.meth. cap.4. Aui.4.4. cap.7.

d ¶Gal.5. de anat.admin.

e ¶Galen.2. de motu musc.

f ¶Gal.5.aphorif.c6.66.Auic. 4.4.c.p.2.

DE INFIMI VENTRIS COMPOSITI uulneris cura, Cap. XII.

VM de uulneribus simplicibus, ac eorum curatione, satis abundè dictum sit, nunc de eis, quę composita sunt, tractare instituamus; & hæc talia iudicantur, quæ secundum uariam eorum compositionē uariis etiā egent indicationibus sanatiuis: quippe si cū alio morbo, ueluti inflāmatione cōiugātur, ab inflāmatione ipsa, uulnere non neglecto indicatio curatiua primo sumi dēt: agnoscesb uerò inflāmationis naturā partim colore, partim tactu, & partim laborātis sēsu. partium [c] enim quæ cum aliquo inflammationis genere vulneratæ sunt, eorum prius sananda inflammatio est: si autem [d] cum prauo aliquo symptomate complicantur, prout loci intemperie, aut dolore, symptomati prius diligentiam adhibeto, dyscrasiam ad contrarias qualitates alterando, calidiorem, quàm pars carnis, habitum refrigerabis, & frigiorem calefacies. nam quæ per intemperiem aliquam a naturali habitu recesserunt, eorum sanationem per ea, quæ contraria viribus sunt, fieri omnino est necesse. vbi ergò intemperiei affectū iam sanaueris, de-

a ¶Gal.4.meth. cap.2.

b ¶Gal.14.meth.cap.4.

c ¶Hipp.lib.de Vlceribus. Gal. 4.meth.c.2.8.9. Auic.4.1.c.6.

d ¶Hipp lib.de Vlceribus. Gal. 3. meth. cap.8. Auic.4.1.c.28. 1.4.cap.26.4.4. cap.6.

inde uulnus ipsum sanabis. Si verò cum propria causa complicatur, procatarcti ca nempe, & quæ extrinsecus venit, sicut sagitta, gladius, aut globulus, siue plumbea glans, quę stat sub causa coniuncta, & morbum ponit in actu, tunc quamuis[a] a nullo eorum, quæ adhuc non permanent, indicatio sumi possit, prima medici actio est illico eam tollere, si tolli potest, & id prima die, ut efficiat, suademus. quòd si vel imperitia, vel alia ratione fuerit omissum, non ita facilis deinde illam tollendæ dabitur occasio. siquidem iam erit vulnus sensibilius redditum, & angustius effectum, & inflammationis initium aliquod apparebit. Si verò difficultatis causa fuerit sanguinis fluxus, aut mali succi descendens, huic resistere oportet euacuationibus, remeationibus, ac topicis medicinis. Sic enim ad hunc modum caro, aliave carnosa quępiam pars, quæ fluxu humoris ob imbecillitatem aliquam affligitur, sanari poterit: ad eundem modum, si aut alterius cuiuslibet particulæ occasione, aut etiam totius corporis, cum in eo sanguis, malive succi redundant, vitiosum aliquod vulneratis partibus influxerit, medendum prius est uel ei, quod fluxus est causa, vel etiam toti corpori, deinde non aliter plane vulnus curari debet, quàm si citra accidentia incidisset. porrò[b] dolores, cum sub duplici genere causarum continentur, videlicet subita temperaturæ mutatione, solutioneque continuitatis, tolluntur, malam temperaturam immutando, doloris causam euacuando, aut sensum stupidum reddendo, vt superius copiosè explicauimus; dictum est enim, [c] si simul duo concurrant morbi, ab eo incipiendum est, qui vnum horum trium propriorum habet, vbi non possit secundus curari, nisi curetur ipsemet, ut apostema & vulnus, vbi alter alterius fuerit causa, vt febris & oppilatio; vbi alter altero affectu periculosior, fuerit, vt febris, quæ continens dicitur, & resolutio. Et quia de his indicationibus alibi sermo satis abundè factus est, hæc sufficiant. cum verò vulnus ob eius penetrationem inter compositos morbos enumeratur, solertis medici est, quamprimum indagare, nunquid aliquod uiscerum prolapsum appareat, aut sectum fuerit, propterea quod [d] ad eum effectum noscendum, qui omninò tum rationem, tum sensum lateat, sæpe cogimur de affecta sede & externa causa aliquid inuestigare, aut eorum propria accidentia animaduertere.

a ¶Gal.4.meth.cap.3.

b ¶Gal.lib.art.par.med.ca.80. 2.de nor.loc.aff. cap.5.12.meth. ca.7.2. Meymir cap.9.12.2.prognost.com.1.

c ¶Galen 1.ad Glauc.cap.12. ad Glau.cap.5. 10.meth.cap.1. 11.meth.cap.3. 1.de morbis ca. 7.1. Aphor.có. 16 5.aphor.có. 15.Auic.4.1.c. 1.& ult.

d ¶Gal.4.meth. cap.3.

DE EGRESSO OMENTO. Cap. XIII.

IN TIMÆ abdomine uulnerato, si omentum lædatur, quia[a] mẽbrana est seposa, & adipis naturam continet nullũ habet propriũ symptoma, quo dignosci possit: nam nec dolore afficitur, nec sanguinis copia ab eo emanari solet. sæpe[b] tamen uulnerato peritoneo, subinde excidit Zirbus, quod membrum Græci epipleon, Latini omentum, Arabes Zirbum, & vulgus reticellam uocat, ex duabus tunicis a peritoneo ortis, densis, & tenuibus sibi ipsis incumbentibus, ac quam plurimis venis & arteriis paruis ac pinguedine non pauca conflatum est, a ventriculi fundo originem ducit, & super omnia intestina extensum longissimè protenditur. cùm verò tale membrum è uulnere exierit, album, pingue, venosum, ac prætenue, expedit indagare nunquid aliqua eius portiuncula ferro resecanda sit. nam dictum est, [c] si omentum excidit, necessario putrescit. ergo si nudatum extra peritoneum fuerit, non contingit ipsum sanum in propriam sedem reponi, & saluum fieri, quia [d] si minimo nudetur tempore, putrescit: quare omnes medici [e] partem illam, quæ nudata est, ac alterata, resecare iubent; quippe membrana hæc nec primaria nec ad vitam necessaria est, nec potest ex sanguinis uasorũ, quæ in eo continentur, profusione hominem interimere, atque minus si rectè antesectionem laqueo præcingitur. nam dicebat Galenus, [f] Nos verò, quoniam scimus Zirbi substantiam compositam esse ex pelliculis, siue tenuibus membranis, ac arteriis, venisque quamplurimis, quorum initia ex maximis orta sunt, sanguinis quidem

a ¶Aristo. 4.de par.animal.c.3. Gal. 6. de aggr. nat.

b ¶Gal.6.meth. cap.4.

c ¶Hipp. lib.1. de morbis lib. de Coac. præn. & 6. aphor. 58.

d ¶Gal.6.apho. com.58.

e ¶Celſ. lib.7. cap.16.21.Gal. 6.meth.cap.4. Paul.lib.6.cap. 52. Rasis. 7.ad Al.cap.3. Auic. 4.4. cap.7. Albu c.li. 2. ca 87

f ¶Gal.6.meth. cap.4.in fine.

quidem profluuia cauebimus, proinde id, quod supra nigricans positum est, vinculo excipiemus, quod post vinculum est, amputabimus, curantes vt vinculi fines extra uulnus pendeant, quo nimirum facile eos, cum ex vulnere suppurante euomentur, accipiamus: ergo cùm denigratum aut liuidum factum sit, tunc nulla ratione reponendum est, sed fuscam partem totam vsque ad albam, & synceram amputare decet, sed prius pars syncera & sana, quæ in confinio est alterius denigratæ laqueo, aut lineo, aut serico obducatur, diligentia prius adhibita an parum temporis, vel multum sit, quo omentum egressum fuerit. & si nullam acceperit mutationem, & album apparuerit, illicò ipsum in propriam sedem reponemus, leuiter ac blande manibus propellendo, ac succes siuè paulatim impellendo, donec ingressum fuisse percipiatur. id celeriter fiat, & si manibus fieri nequit, ob vulneris angustiam, cerea candela uti necesse est; verùm, si aliquantisper refrigeratum omentum nouerimus, vino tepido, aut aqua decoctionis camomillæ, & betonicæ foueatur, donec calescat, & molle fiat, tenui spongia sæpius decocto prædicto madefacta, aut syringotomo ad fistulas secandas accommodato, vulnus parumper dilatetur, cautè tamen ne intestina lædantur. multi verò delaqueatam partem prauo colore affectam, resecare solent ferro, aut auro ignito, & sic id, quod de sano remansit, cauterizant, vt tota absumatur corruptio, ac sanguis supprimatur, & affectum membrum corroboretur. alii, Galenum sequentes, cauterium spernunt, asserentes Galenum nullum quidem verbum de eo dixisse, & nos nunquàm cauterio utimur, ob id, quia quod corruptum est vna cum filo, temporis tractu commode educi potest: attamen quomodocunque intro ducto omento, vulnus, si amplum fuerit, suatur, parum foraminis relinquendo, per quod filum extra pendeat, & materiæ continuò expurgentur: vulnus verò perpetuò terebinthina actu calida regatur, donec laqueum putrefactum exierit; inde glutinantia ac abstergentia applicare oportet, quousque vulnus perfectè coierit, & cicatricem induxerit. Quibus uerò[a] viscus hoc extractum fuerit, omnes infeliciter concoquunt, & plurimis egent fomitibus. Nec de abdominis sutura vereri oportet, ne sanguis, aut alter ichor intus seruetur, ex quo postea praua subsequantur symptomata: quemadmodum superius de thorace dubitauimus. nam si in infimo uentre materia aliqua recluditur, ea quidem ad bubones, & inguina, tanquam ad proprium emunctorium, transmittitur, & ibi tumorem excitabit, qui postea in abscessum conuertetur, & talis materia postmodum sub saniei latitudine commode euacuari potest.

a ¶Galen.4. de usu par.

DE PROLAPSIS INTESTINIS. Cap. XIIII.

PLERVNQVE[a] accidit, vt profunde abdomen vulneretur, intestinis illæsis, sed exterius prolapsis: ob id quamprimum manifestatur: si valida fuerint, statim[b] uino albo tepido abluantur, & intus locentur. nam si tumescunt, non facilis eorum erit intromissio: id pariter euenit si multa fuerint, aut diuerso modo alterata, aut vulnus valde angustum. Cum ergo exierint, nisi illis citò auxilium præstetur, & intus reducantur, verẽdum est, ne inflammatione infestentur, aut subortis in eis flatibus tumida reddantur, & per angustum callem ingredi nequeant: si etiam maius uulnus, fuerit, tum plura necesse est intestina excidere, ac difficilius intro mitti: parua quoque vulnera tractatu sunt difficilia, nam nisi quod præcidit illico in locum suum reponas, inflammatur, surgitque in tumorem. Minus igitur graue in huiusmodi uulneribus mediocre foramen est, quo [c] cuenit ut pro huius effectus curatione quattuor requirantur indicationes. prima, ut intestina quæ exciderint, in suam sedem reponantur: Secunda, ut uulnus, aut futura, aut fibulis, aut glutine, aut uinculo duobus capitibus inuoluto, aut alio

a ¶Celſ. lib.7. cap.4.

b ¶Gal.6.meth.c.4. Paul.lib. 6.c.52. Rasis ad Alm.c.3. Auic. 4.4.c.7.

c ¶Gal.6.meth.c.4. Auic.4. 4.c.7.

inge-

ingenio vniatur: tertia, vt vulneri opportuna applicentur medicamenta: quarta, ut quæ præstantior pars est, simul cum vulnere minime afficiatur, aut si affecta est, diligentissimè ei succurratur.

DE PRIMA INDICATIONE, QVAE QVOMODO intestina, quæ exciderint, collocari debeant, declarat. Cap. XV.

EX uulnere prolapsis intestinis, id primò agendum est, ut quæ egressa sunt in suum locum recondantur: iccircò inquirendum est, si manibus leuiter ac blande intromitti possunt. quæ si non possunt, causa perquiratur: & si tumore aliquo id fieri nequeat, alterum [a] ex duobus est necessum, vel vt flatus discutiatur, vel vt vulnus amplietur: porrò operatio, quæ per causæ remotionem fit, magis ab Hippocrate, & Galeno laudatur, ea quippe est ambientis aeris refrigeratio, vnde quamprimum intestina frigiditate alterantur intumescunt, & ingredi non possunt. igitur eorum sanatio calefaciendo paratur, medicamentis scilicet carminantibus, ac flatum discutientibus. Ergo dicebat Galenus, spongia molli, & ex feruenti aqua madenti, ac mox expressa calefacere conuenit: præparetur interea vinum potens calidum, quod magis calefacit, quàm aqua, & robur intestinis acquirit: quod si neutrum iuuerit, fiat decoctum in aqua, aut vino, & aqua, aut mero tantum, vt magis expedit, & fomententur intestina donec ad naturalem dispositionem redeant: confert verò ad hoc camomilla, sertula campana, anethum, absynthii coma, lauri baccæ, semina cimini, anisorum, fœniculi, carui, dauci, ameos, & similia, quæ si non adsunt, fiat sicuti & nos facere soliti sumus, & fecimus, cum Feltriæ ad medicum officium exercendum, publico stipendio mereremus. decoquantur caudæ ueteris allii cum folijs lauri, & camomilla in vino albo optimo: nam ad uota hoc nobis semper successit. Iubent aliqui practici [b] ut paruum aliquod animal scindatur, & statim uisceribus propriis intestino applicetur, donec flatus discutiatur, & intestinum detumescat: sed, quia vnguibus posset patientem illud animal offendere, hoc secretum communiter nō probatur; sed potius columba, aut gallina per medium diuidatur, & intestino tumenti admoueatur, prius aliquo puluere ex discutientibus insperso: cumque intestinum ad naturalem formam redierit, inungatur oleo masticino, & camomillino calido, & infirmo commode situato introponatur: & sic repositio, leuiter homo concutiendus est. quod fit, vt per se singula intestina in sedem propriam quiescāt: si verò [c] locus frigidus, aut tempus hyemale fuerit, æger in balneo calido imponatur, ac manibus & pedibus ita suspendatur, quatenus eius dorsum curuetur, & venter arcuetur; quippe situ tali intestina leuius in proprium locum reducuntur, aut expresse chylo vnum post aliud intromittatur. manibus nempe leuiter cōprimendo. si hoc seruato, vt quæ vulnerata est pars semper eminentiorem locum occupet, atque hoc tum in magnis, tum etiam in mediocribus vulneribus maximè conueniet. porrò si his præsidiis intestina non reponuntur, incidendum tantùm peritonei est, quantum ad reponendum quod excidit, sit satis. Instrumentum verò ad hanc sectionem idoneum illud est, quod ad fistulas secādas summopere à medicis [d] probatur, a Græcis [e] syringotomon, ab Arabibus [f] embula & caiada, & a Latinis [g] manubriolum, aut spatumen spinosum nuncupatur: aut saltē illo vti possumus, quod Græci [h] scolopomacherion, Arabes [i] agamedin, aut agameut, & Latini curuatum ensem, aciculam, aut cultellum fistularem appellant. in quorum acuta extremitate ne operando aliquod viscus lædatur, ceræ albæ parum apponimus: scalpelli verò, quibus acies utrinque habetur, aut quibus cuspis valde acuta est, omnino fugiendi sunt. postquam secaueris, candela cerea imponatur.

quæ

a ¶Gal. 6. meth. cap. 4.

b ¶Rolandus Rogerius Theodoricus.

c ¶ Rasis. 7. ad Al. cap. 3. Hallibas 5. Theo.

d ¶ Cels. lib. 7. cap. 19. Gale. 6. meth. c. 4. Paul. lib. 6. c. 52. Aui. 4. ca. 7. Albuc. lib. 2. ca. 80. 87.

e ¶Gal. 6. meth. cap. 4. Paul. lib. 6. cap. 52.

f ¶Albuc. lib. 2. cap. 87.

g ¶Cels. lib. 7. cap. 19.

h ¶Gal. 14. meth. cap. 17.

i ¶Auic. 3. 4. tr. 2. cap. 5.

quæ extrahenda non est, donec intestina introierint, sectio accommodata sit absque vllo discrimine: & ad ventris musculorum longitudinem. hoc igitur modo sectionem molimur; secus uerò nullo modo eam laudamus. Siquidem nullius erit vtilitatis, sed potius damni. nam quo maius osculum redditur ab extrinseco aere, viscera magis læduntur: rectior uerò figurarum in patiente est, ut si uulnus humiliorem spectauerit partem, figura, & præparatio sit ad eminentiorem, & e cōtra; si autem uulnus fuerit in parte dextera, declinet æger ad sinistram, sitque medici intentio, ut affecta pars perpetuò sublimior permaneat. adhuc diligentia adhibēda est, ut reposita intestina, & fasciis, & spleniis, siue plumaceolis, quos Græci anacratiros uocant, intus conseruentur, adhibito uictus optimo regimine, ne flatus, ac mali uapores denuò producantur; & uulnus eo modo regatur, ut in sequenti tertia indicatione diffuse explicabimus.

DE SVTVRARVM VARIETATE IN sectis intestinis, Cap. XVI.

SInfimus [a] uenter ictu aliquo perforatur, sequitur interdū, vt intestina euoluantur: quod ubi accidit, protinus considerandum est, an integra ea sint, deinde an his color suus maneat; si tenuius intestinū perforatum est, nihil profici posse supra explicauimus: latius intestinum assui potest, nō quòd certa fiducia sit, sed quod dubia spes, certa desperatione sit potior: interdum enim, sed rarò glutinantur. insuper si utrunlibet intestinum luuidum, aut pallidum, aut nigrum fuerit, quibus illud quoq; accedit necessario, ut sensu careat, medicina omnis inanis est: si uerò ea adhuc sui coloris sunt, magna festinatione succurrendum est: momento enim corrumpuntur externo, ac insueto spiritu circundata. porrò cum secta tantùm fuerint, crassiora nempe, & in conspectu uenerint, expressis aliūde fecibus, uariis futuræ modis uniri solent, cū rōne modi, tū rōne materię, & instrumēti, rōne modi, nā aliq; duplicatis intestini labris, p pūctū, qđ aliud sequitur, uulnus cōsuūt. cōpaginatio hic suēdi modus ab aliqbus vocitatur: ab Auicēna vinculū dicitur: minister verò vulneris, oras leuiter digitis, vel ēt hamulis mēbranæ interiori iniectis diducere debet: hic qđē modus, qa difficilis admodū, nec sine periculo iudicatur, non multū a medicis probatur; quare multi per fibulas eo modo, quo cætera carnosa vulnera vniuntur, suunt; nec etiam hic securus creditur. nam fibulæ, quas Græci ancteras vocant, facilè relaxantur, aut marcescunt: nonnulli verò & recte pellionum sutura, id est pellium artificum more, quo pelles ad inuicē iungunt, aut quo sacci, cæteraque similia suuntur, vulnerata intestina consuunt: ratione materiæ, qua id agi debet. aliqui seniorum [b] filo sērico vtebantur. sed quia secat, ac dolores inducit, hoc tempore improbatur. Recētiores verò [c] filo lineo molli, & æquali, aut simplici, aut duplicato, quod optimum, ac in quotidiano vsu seruatur vti soliti erāt. tale multum a Galeno probatur. nempe quod minime pertescibile est. & Romæ vilissimè venditur. & filum Gaietanorum dicitur. quidam verò eorum, qui experti sunt, vt retulit Albucasis, [d] labra vulneris magnarum formicarum capitibus inuicem coniungebant, quæ cum proprio rostro vulneris partes essent amplexæ, ac eas perforassent, amputabant, credentes tali vinculo eorum contiguitatem permanere posse: alii [e] ex tenui alicuius animalis intestino rē filo similē formabant, & cū ea intestinorū vulnera cōsuebāt. Isti profectò futura rum modi non sunt nisi secundum fiduciæ, & spei viam, absque vlla operationis certitudine. Formicarum vsus multis non placet, cùm nec semper, nec vbique reperiantur, ac breuissimo tempore putrescant, & procidant, & cum earum capita amputantur, statim apprehendendi, ac retinendi facultatem amittunt. quare inutilis hic modus est. nec animalium intestina probantur. siquidem, cum ab humido intrin-

a ¶Cels. lib. 6 cap. 16.

b ¶Meges. Antilus. Oribasius.

c ¶Celsus. Galenus. Auicenna. Albucasis.

d ¶Lib. 2. c. 81.

e ¶Guilelmus Iamerius.

intrinseco,ac innato calore fibræ illæ aut relaxantur,aut putrescunt, & rumpuntur,vel saltem vulnus putridum reddunt : præclarissimi verò nostræ ætatis aliqui medici membranulam hædi præparatam accipiunt, in qua publici scriptores, quos notarios vocant,hominum testamenta conscribunt,& ad sili effigiem minutissimè incidunt sic,vt acuum cauitatem ingredi valeat, eamque tepido vino humectant,ac mollem reddunt,& sic eo modo,quo pelliones pelles,huiusmodi vulnera consuunt:quidam [a] vt intestina extensa maneant,& conseruentur,ac interius uulnus exiccetur, & fœces facillime descendãt, sambuci fistulam in intestino locare excogitarunt,ibique relinquere,& desuper suturam facere: alij animalium intestina accipere tẽtarunt moderateque inflare,& exiccare,vt, cum opus fuerit, aliquam eius partem loco fistulæ sambucinæ imponerẽt;multi utriusque loco anserum tracheas more dicto præparant,&,ut prædictæ subsequantur vtilitates, ad ministrant:quas omnes operationes,viris doctis,ac in hac medicinæ parte eruditis,considerandas relinquimus.hi verò qui exercitus insequũtur, ac in maritimis vehuntur classibus,ualde negotiosis,& multũ in chirurgia exercitati,non tantum crassiora,sed & tenuia intestina uulnerata consuunt,asserentes perrarò,nisi in valde latis uulneribus,hoc opus illis feliciter occurrisse.nam per angustum callẽ crassa exire nequeunt;iubent tamen utrunque consuendum fore : crassa nanque cum crassioris naturæ sint,glutinari possunt;tenuia demũ, & si aliter credat Galenus, consui debent,& omnia experiunda.nam si consuta non conglutinantur,quomodo non consuta conglutinabuntur? igitur & gracilia uulnera si extiterint, cõsuenda sunt acu subtili,breui,& rotunda,& filo lineo,forti,subtili,& æquali,non fibulando,sed eo ordine,quo sacci,& alia communiter consui solent, ac breuia fiant puncta.filum verò prope intestinum secari nõ debet, sed vtraque pars eius extra uulnus pendeat,ut cum putruerit extrahi possit. postremò uino albo odorato & tepido intestina abluantur,& super uulnus medicamentum aliquod astringens & glutinans:veluti puluis ex aloe,mastice,draconis sanguine,& mumia,aspergatur; inde commode reponantur, & si difficilis eorum fuerit restitutio ea ad unguem obseruentur,quæ superius explicauimus:exterius uulnus abstergatur vino mellitide nigro, & homo in molli culcitra reponatur, ut dorsum æqualiter gibbũ fiat; interdum etiam coxis erectioribus, ut singula intestina in suum locum deducantur,& resideant,& animaduertendum est ut nullum reliquorum super læsa, quæ intus redierint;ne comprimantur,incidat. Omentum denique consideretur, ex quo si quid iã nigri,aut emortui fuerit,laqueo præcingatur,& forcipe excidatur.

[a] ¶Magnus Guido. Lanfrancus. Iamerius.

DE SECVNDA INDICATIONE,

Quæ quomodo abdominis vulnus aliquo uniri debeat ingenio demonstrat. *Cap. XVII.*

ABdominis suturam,ac rectam eius unionem,quam Græci gastroraphian vocant,multifariam,multisque modis veteres medici [a] exercebant : ueruntamen ante omnem consutionem quinque dubia in medium adducebant: nempe si diuisum abdomẽ tã altè sit,ut intestinum ex eo procidat,& quemadmodum id repone nere conueniat; & si omentum exciderit, abscindendũ ne id sit, an non,& an uinculo id excipiendum,an secus,& an suendum uulnus sit necne.& si suendum sit,qua ratione suendum,postmodum per omnem operationem quinque media ueluti opportuna instrumenta sibi præparabant, quorum primum ministri conditio est,qui operanti medico auxilia præstet.hic enim prudens, expertus,ac audax esse debet:secundum est acuum qualitas in longitudine,crassitie,numero,

[a] ¶ Cels. lib.7. cap.16. Gal.6.meth.c.4 Paul.lib.6.c.52. Rasis 7. ad. Al. cap.3. Auic.4.4.cap.7. Albuc.li.2.c.87.

mero,& forma:tertium est fili conditio,quo partes uniri debent:quartum est suturæ profunditas,numerus,& modus:quintum est punctorum distãtia, ac eorum conseruatio:Ministri nihil agũt, præterquàm q manibus partes uulneris adiũctas conseruant,paulatim illud detegentes,donec gradatim cõsutio cõpleatur: quod verò consuitur,altera manu teneatur,stringaturque perpetuò sic procedẽdo, donec opus finiatur.quod faciendum est,auctore Hippocrate, [a] citò,tutò,lætè, & sine dolore.verùm,si expedit, in ima parte spiraculum dimittatur. Acus verò in affectibus mirach,triangulata esse debet.talis enim ad faciliorem penetrationem magis prona a Celso & Albucasi iudicatur,in grossitie mediocris.nam subtiles in re dura franguntur, & crassæ difficilis introitus, ac laboriosæ penetrationis existunt.in numero,plures sint.nam operando una tantum aut amitti, aut frangi posset.longitudo,saltem sit unius digiti,& forma aliquantisper curua. fili substantia ex lino sit,subtilis,duplicata,& æqualis:quæ, si plus quàm deceat densior fuerit, cutim proculdubio secabit;si mollior,motu ventris frangi posset prius,quàm uulneris extremitates coeant. Suturæ profunditas mediocris probatur. nam si acus in extremo cutis mittatur,profectò scindetur; si in profundo extrema solidari neqeunt:interuallum ergo quod singulis acus traiectionibus interuenit, quod ad compescenda pertinet ea,quæ subsunt,breuissimum esse postulat, quod verò ad firmitudinem ipsius cutis necubi rumpatur,breuitas parum tuta est.Quare utriusque uitiato excessu, eligenda mediocritas est. His omnibus denique præparatis, resupinato homine coxis erectioribus,ubi aer ad temperiem vergat, ac repositis intestinis uulnus abdominis consuendum est.Et quia opus tale multipliciter celebratur,primo quid de eo dicat Celsus audiamus, [b] in duabus acubus fila coniicienda,eaque duabus manibus tenenda,& prius interiori membranæ sutura inijcienda est sic,vt sinistra manus in dexteriore ora,dextra in sinisteriore a principio vulneris orsa,ab interiori parte in exteriorem acum immittat;quo fit,vt ab intestinis ea pars semper acuum longe sit,quæ retusa est, semel utraque parte traiecta. permutandæ acus inter manus sunt,vt ea sit in dextra,quæ fuit in sinistra, ea ueniat in sinistram,quam dextra continuit; iterumque eodem modo per oras immittendæ sunt,atque ita tertio,& quarto,deinceps permutatis inter manus acubus includẽda plaga est.post hæc eadem fila,eædemque acus ad cutem transferendæ;similiq; ratione ei quoque parti utraque futura iniicienda,semper ab interiori parte acubus uenientibus inter manus traiectis.dein glutinantia inijcienda,quibus etiã spõgiam,aut succidam lanam aceto imbutam accedere debere manifestum est;imposítis his leuiter uenter deligari debet.Galenus [c] verò triplicem suendi rationẽ proponit,& cum primam describeret,ait,quoniam coire,coalescereque cum peritoneo oportet abdomen,incipiendum quidem a cute est, atque ab externo introrsus acus inijcienda. ubi verò tum cutem,tum rectum musculum totum transierit,præterito,quod ei subest,peritoneo,per reliquum peritoneum, eam ab interno extrorsus iniicies,atque inde per reliquum abdomen transmittes,vbi hoc penitus transierit, rursus ab externo introrsum idem abdomen est perforandum. Mox ubi peritoneum, quod illi quoque subheret,præterieris,atque ad contrariũ ueneris,hoc quoque ab interno extrorsus perpungẽdum, vnaque cum eo totum ipsi coniunctum abdomen. Deinde ab hoc rursus incipiendum,atque id cum contrario peritoneo consuẽdum,ac rursus uicina quoque cute transmissa,iterũ ab ea parte acus introrsus est iniicienda,consuendumq; abdomen id cum cõtrario peritoneo,etiam inibi vicina cute transmissa. Atque hæc iterum, iterumque facienda, quoad totum vulnus similiter cõsuerimus:sed quia opus hoc difficile admodum est,vix enim cum abdomine peritoneum coalescere potest, vtpote hoc neruosum illud verò carnosum est;præterea quomodo,nisi invalde magnis sectionibus,hoc peregerint antiqui, imaginari non possumus. Secunda suitionis ratio à Galeno descripta illa est, quam multi celebrare soliti sunt, qui quæ cognata naturæ sunt,

[a] 1. Epidem. sect. 2. Galen. 14. meth. cap. 13.

[b] Lib. 7. ca. 16.

[c] 6. meth. ca. 4.

ca

ea committunt,vtique peritoneo peritoneum,& abdomini abdomen; id in hunc modum fieri oportet,à vicino nobis abdomine incipere, atque ab externo introrsum per id tantum acum transmittere.post præteritis vtrisque peritonei labris,ex aduersa parte,ab externo introrsus,per vtrunque eius labrum acum reuocare:deinde rursus hanc reuocare,atque ab interno extrorsum per aduersum abdomen traijcere. Tertia abdominis sutura illa est,quæ ab omnibus communis, & in prõptu iudicatur,& fibulatio dicitur,in qua vno adactu, quattuor margines appræhẽduntur,id est p quattuor labra acus transmittitur;vnde peritoneũ intra abdomen prorsus absconditur,& in hoc tantùm a secunda variare solet. Tres hi suturæ modi describuntur pariter a Paulo & Auicenna,qui vnà cum Albucasi, secundam suẽ di rationem magis approbant. Qui dissidentium partium coniunctionem,ac orarum adductionem diuerso quodammodo assequi videtur,quem in mirach vulnerato,nullibi inueniri adhuc potuimus,sed bene in labris scissis, quæ isti leporina vocant.inquit Albucasis accipias acum,aut numerum acuum secundum quantitatem amplitudinis vulneris,deinde dimitte ab extremitate disruptionis quantitatem digiti anularis, & fige acum vnam,præter quòd intromittas in eam filum in duabus extremitatibus cutis,cum duabus extremitatibus siphac,quod est sub cute ab exterioribus,donec facias eam penetrare ad aliam partem, & hoc pacto iam aggregasti duas extremitates cutis, & duas extremitates siphac, & fiunt quattuor ordines.deinde stringe cum filo duplo in circuitu acus aliquoties a duabus partibus simul quousque sint aggregata duo labra vulneris aggregatione decenti, deinde dimitte crassitiem digiti etiam, & fige in eis acum aliam. postea stringe eam cum filo, sicut fecisti in prima acu,nec cesses facere illud cum eo quo indiges, ex acubus donec compleas constrictionem vulneris totius, & sint acus mediæ inter crassitiem & subtilitatem;quoniam subtiles ualde,carnem velociter secant, crassæ verò sunt difficilis introitus.nec figatur acus in extremo cutis, ne scindatur, & vulnus aperiatur;nec profunde,ne consolidatio prohibeatur.deinde incide extremitates acus,ne lædantur infirmi apud somnum suum, & pone in eis puluillos ex pannis ab omni parte, qui cooperiant extremitates acuum, & dimitte eos donec scias,quod vulnus iam consolidatum fuerit;& hæc species suturæ,ait Albucasis,cõuenientior est in vulneribus paruis,quando sufficit in eorum sutura acus vna, aut duæ, aut tres ad summum. Alterum suturæ modum describit de mente Galeni Albucasis,qui verè nunquam illum excogitauit,& inquit,rectificatur sutura ventris cum duabus acubus,quod est ut intromittas in eis vtrisque filum vnum,& incipe cum intromissione ex eo quod est apud te,& fac eam penetrare vsque ad latus aliud secundum eos, qui coria suunt æqualiter. Recentiorum verò aliqui talia vulnera eo modo fuere consueuerunt,quo sutores caligas, aut alia indumenta cõsuunt,& simul adiungunt. Alij eo communi vtuntur modo, quo omnia, ut sacci & similia suuntur. Nos autem ea sutura semper vti soliti sumus, quæ simul vno tempore quattuor extremitates,duas nempè abdominis,& duas peritonei, si eas habere possumus, aggregat; & is verè modus fibulandi est,& non ille, qui hamulis celebratur:seruamusque in hac fibulandi ratione, ut inter fibulam & fibulam unius minoris digiti distantia relinquatur.Talis postremo sit suturæ profunditas, ut tota abdominis compositio perforetur,& talis unio conseruetur,ut dictum est, ne si rumpatur,inde hernia intestinalis sequatur.

ACVVM

ACVVM IMAGINES.



DE TERTIA INDICATIONE,

Quæ quomodo opportuna medicamenta extrinsecus applicanda sint, manifestat.

Cap. XVIII.

VAM PRIMVM abdominis sectiones æqualiter fuerint aut sutura,aut fibulis,aut uinculo duobus initijs circundato adiuncte, medicamenta,si opus fuerit,quæ sanguinis fluxum constringant,applicentur;si vero non,quæ cruentis vulneribus accommodantur. talia a Græcis enæmata & emplastica,& a Latinis glutinantia uocantur.quorum facultas est,diuisas partes coniungere, & glutinare,qualia sunt [a] emplastra barbara,aut ea,quæ a fuluo colore cirrha,& phæa dicuntur; ea etiam, quæ ex bitumine & aceto constant, enhema barbara a medicis etiam uocitantur,ualent in exercitatis & duris corporibus; uerum si mulieri mederis,puerove,aut denique corpori,quod mollis sit carnis,quod ex chalcite fit, nostri diapalmam uocant,satis idoneũ medicamentum fuerit: si uerò hęc medicamẽta non adsunt,usque ad quartam ad minus gluten albotin, siue resina terebinthina summopere probatur,præsertim si tendines, aut lacertorum extremitates lædantur. expeditque puluere aliquo fibulationem siccando a putredine præserua re;postmodum agglutinantia adhibeantur. Quod uerò inter bubones & axillas est, id totum primis diebus molli lana oleo mediocriter calido imbuta circundare solent,tale uerò si rosaceum,aut masticinum fuerit,magis prodesse poterit. deligatio etiam in his summè est necessaria, quæ uulneris fundum, & ora æqualiter contineat,ac sine dolore arctet,saniem fluere permittens, prodest quippe quod circumijcitur,neque molle nimirum sit,& algæ ritu fragile, quo uidelicet turo cõtineat,neque rursus ita durum,ut premendo offendat; tùm uerò ipsa circunductio nec ita laxa sit,ut nihil efficiat,nec ita uehemens, ut dolorem excitet. Hoc si feceris, fueritque uulnus solum sine uitio so succo,aut aliquo fluxu, aut intemperie,aut inflammatione,aut alio quouis internorum uitio, proculdubio sanabitur: at si ob sui magnitudinem id fieri nequeat,ut disiunctæ ipsæ partes exacte ad imũ usque sibi coniungantur,uidelicet nec sutura,nec fibulis,nec deligatura pertingere ad eas ualente,uel etiam sanies iam illic fuerit collecta, uel dolor quispiam adiunctus;huiusmodi uulnus ex sola partium commissione,& exiccantium applicatione agglutinari omnino non potest,quare id agendum est, quod in compositio uentris uulnere utile fore explicauimus.

[a] Scribon. de fer.207. Celsli. 5.cap.19. Gal.2. Katagenn. Aet.li. 2.c.24.Paul.lib. 7.cap.17.

X DE

DE QVARTA INDICATIONE,

Quæ viscera a nocumentis præseruare, & affecta curare demonstrat.

De sectis intestinis. Cap. XIX.

SI aliquod intestinorum sectum fuerit, quę extrinsecus fieri debent, omnia similiter peragenda sunt, ut supra dictum est; cæterum [a] quod attinet ad sex res non naturales, aer is probatur, qui calidus est, & siccus, uictus tenuis sit: cibaria pinguia, acuta, & flatu plena dimittantur: abstineat patiens ab omni motu, uocis ferationę, ira, & Venere: eligenda uerò alimenta sunt (si quidem ad cicatricem perducere, aut glutinare uulnus studeamus) tum austera, tum glutinantia, tum quæ minime rodant. Sint igitur cibaria paucæ quantitatis, & quę modę ratè nutriant, ne uarij augeantur humores, & fœces multæ ac duræ procreentur. Et quia pharmaca, quę per alui eductionem corpora euacuant, conferre non uidentur, nullum quidem uerbum de eis antiqui dixere; quare purgantibus medicamentis nullus hic relictus est locus, ne excrementa in sedes affectas educantur, & ne a bile uulnus lædatur, & intestinum imbecillius reddatur: uerùm [b] sanguinis missio, cum sit uera ac generalis indicatio, in omnium uulnerum curatione, ac uniuersalis [c] humorum euacuatio, si a basilari oppositi lateris, ac in morbi initio fuerit celebrata, summopere probatur: aliqui tamen per cucurbitulas, frictiones, & extremorum ligaturas reuulsiones laudant; quod opus quantum ualere possit, sapientiori iudicio remittimus. de topicis, siue localibus medicamentis non mediocriter conducit [d] ad opus, cognoscere in qua intestinorum parte uulnus consistat. Siquidem in superioribus & gracilibus, ueluti est duodenum, ieiunum, & ileò ab epotis medicamentis præsidium petendum est, sicuti a reubarbaro infuso, luto armeno, terra samia, dragaganto, diaspermaton, & similibus, quæ ad glutinationem facere videntur. Si verò in humilioribus & crassioribus, vt est colon, cæcum, & rectum, clystere subijcere magis conuenit: ergo [e] si inferiora patiuntur, in eis medicamenta cum argalia imponi debent, quod instrumentum Græci contenchitas, Arabes lapsedram, & Latini clysterem oricularium vocant, cum altè medicamenta conducant, ad ea, quæ in recto intestino sunt, vulnera, etiam [f] per vesicam, cui sit fistula ad finem annexa, aut injcere liquatum medicamentum tepidum licet, idque magis, quia podici propinquum est: at si in intermediis, ab utraque parte, eo quia a superiori, ac inferiori loco æqualiter sunt remota. fiat igitur clystere ex vino nigro austero, & tepido, aut solo, aut decoctionis magni centaurij, aut hyppuris, addito melle crudo, aut rosaceo. nam in affectis interioribus, si emundare volueris, quæ modicè abstergunt, vtaris. quod munus, mel non coctum cæteris præstat; olea verò, ac pinguia, omniaque acuta, & quæ dolorem inferre possent, aliena sunt. Et si aliquis dolor apparuerit, clyster injciatur ex iure intestinorum, ac pedum veruecis, in quo bullierint hordeum, folia oliuarum, minoris centaurij, & mel absque sale. Si verò vehementiori exiccatione opus fuerit, paretur decoctum ex maiori centaurio, tormentilla, pilosella, balaustijs, aloe, & myrrha lotis. neque enim fas est eiusmodi prædictis instrumentis crassiora medicamenta infundere, quamuis humidiora postulèt: iccirco mediocriter sicca medicamenta, plerunque magis sunt idonea, quàm quæ liquabilia vocantur. huiusmodi verò sunt crocum, & pompholix, & aloes, & dragantum

[a] ¶Gal.4.meth. c.7. Rasis. 7. ad Alm. ca. 3. Zar. 1. Theo. trac.4. cap.ult.

[b] ¶Hipp. lib.de Vlceribus. Gal. lib.2.de artic.

[c] ¶Gal. libr. de sang.miss. Auic. 4. 1.ca.20.

[d] ¶Galen.6. de not.loc.aff.ca.2. 4.meth.c.7.& 5. meth.c.11.

[e] ¶Gal.1.de lo. aff.c.2.4. 4.meth. cap.7. 5.meth. cap.11. 6.meth. ca. 1.4.

[f] Hipp. libr. de fistulis. Galen.5. meth.ca. 7.2.ad Glau.cap. de fi. nu. Paul.li.4.ca. 43. Albuc. lib.2. cap.59.& 83.

gantum, & ea quæ cephalica Græce dicuntur; in fine vero lemnia terra, aristolochia, & ireos salubre auxilium esse solent.

DE VENTRICVLO VVLNERATO. Cap. XX.

VEntriculi [a] siue stomachi vulnera perpetuo lethalia iudicantur; verùtamen verbum hoc lethale interdum dicitur de his, qui ex necessitate sunt morturi, aliquando de his, qui plerumque ob tale uulnus perire solent. ob id de ventriculo uulnerato aliqua datur dubitatio, cum nonnullos in eo sauciatos euasisse affirmant. [b] igitur cum uentriculus uulneratur, ex propriis signis diligenter inquiratur an leuiter, an grauiter, an utroque modo, an circa fundum, an circa os eius uulnus consistat. graue uulnus illud quippe est, cùm tota fuerit eius perforata substantia: leue, cùm vel una, uel altera tunica secta fuerit. porrò affectus primus necessario lethalis est, cũ uiscus illud neruosum ppę tui motus, & instrumentum concoctionis sit, sine qua homo viuere nequit. si verò exterior tantum tunica, & ea quidem carnosa, secta fuerit, salus interdum speranda est: interna autem, quia membranosa est, & villis rectis quàm plurimis superne deorsum tendentibus, obliquis uerò paucis intertexta, mortis maximum minatur periculum: externa carnosior villos transuersos habet, quales cõtinent duæ illæ intestinorum tunicæ. igitur, tota [c] eius substantia dissecta perraro sanatur; quæ verò infernæ & carnosæ sunt dissecisiones, curare cum fiducia tentabimus. nã fieri potest, ut & bene cedat, non solum quòd partes hæ crassiores sunt, sed etiam quòd sanantia medicamenta facile hoc loco consistant: at quæ sunt in ore eius cõtactu duntaxat medicamentorum in transitu fruuntur, sensusque eius acumen, sanationi obstat, ac cum primum aut a medicamento, aut alimento pungitur, dolor maximus excitatur, ex quo & inflammatio sequi potest. Quomodocunque [d] igitur uentriculus fuerit vulneratus, ab omnibus acribus, & cibis, & potibus abstinere oportet, sed utatur cibariis, ac medicinis lenientibus ac mollibus, vtpotè sorbitionibus sine oleo, aut pinguedine, & his, quæ ex amilo, terra samia, lemnia sphragide, lacte cocto, vel quæ melle paucissimo conficiuntur: cibi sint euchymi, & coctu faciles, sed victus tenuis instituatur, & flatuosa, acuta, & mordicantia omnia tum intrinsecus, tum extrinsecus remoueantur. ob id patientibus chondrum exhiberi solet, oriza pariter, & panicum in aqua semel chalybeata decoctũ, aut vbi radices consolidæ, aut sumach, aut myrti, aut rubi summitates, aut pimpinella, quæ mirabilis est, bullierint. Sed quia hæc & nauseam, & uomitum concitant, ea exhibere non audemus, at primis diebus panatellam tantum ex pane loto in iure turturum, aut palumborum decoctam, aut in sola aqua chalybeata cum saccharo: verùm cum inflammationis suspitio præterierit, caro aliqua concedatur, uitulorum nempe, aut hædorum ventres, ut ait Auicenna, [e] aceto conditos; & hoc forsitan, quia dictum est a Galeno, [f] communis omnium internarum partium indicatio est, vt ea eligantur, quæ animalis naturæ maximè sunt familiaria, siue ea cibi sint, siue medicamenta. Siquidem ab eo [g] dictum est, quale est unumquodque membrum, tali ipsum nutriri alimento oportet. hinc est quòd Rasis, [h] & Auicenna [i] his, qui cerebri uulnere affliguntur, assata gallinarum cerebella concedebãt: & huius nutrimenti rationem assignans Auerroes [k] dicit, cibaria, & medicinæ confortatiuæ illæ sunt, quæ complexioni membri in tota substantia assimilantur; qua re quodlibet membrum comesum comedentis simile cõfortat & nutrit. Princeps tamen de cerebris aliam reperiri opinionem in fracta caluaria confitetur: neque nos ausi sumus uulnerato cerebro, patientes cerebris, ob nimiam eorum humiditatem, & quia uomitum commouent, nutrire. pariter nec animalium uiscera uen-

[a] ¶Hipp.lib.1. de morbis. li.de Coac. præno.6. Aphorif. 18.24. Celf. lib.5.c.26.

[b] ¶Gal.6. Aph. com.18. Albuc. lib.2.c.87.

[c] ¶Gal.6.meth. cap.4.

[d] ¶Aet.libro.9. cap.17. Paul.li.3.c.37.

[e] ¶13.3 tr.4.ca. 14.

[f] ¶4.meth. c 7.

[g] ¶6.de usu par.

[h] ¶6. ad Alm. ca.ult.& 15. Cõtinentis.

[i] ¶1.3 tr.2.c.26

[k] ¶4.tr 1. c. ult. ¶5. Collig.c. 19.

triculo uulnerato exhibemus, sed bene montanas aues assatas, addita cydoniorũ miua. uinum uerò, si expedit, nulla existente febre nigrum, stipticum, & pauciferũ dari potest, aut eius loco uino cydoniorum cũ aqua chalybeata uti licet: &, si corporis plethora aliqua apparuerit, uena secãda est; si autem cacochymia, bilis præ-
a ¶13.3.tr.4.c.14. sertim, corpus sola casia fistula, quæ ab Auicenna [a] probatur, euacuetur. uerùm, quia tale medicamentum, flatum, & tormina gignit, huic nonnulli diacatoliconẽ aut radicem barbaram in minutissimum puluerem redactam adiungunt: nos uerò huiusmodi corpora, medicinis per os sumptis, nunquàm purgare ausi sumus, sed clysteribus, suppositoriis, & a longinquis partibus leuibus frictionibus: serapium summo mane exhibemus, myrtinum quippe & rosaceum decocto centaurii, consolidæ, & æquiseti liquatum, cui sæpe addimus scrup. ij. trochiscorum de Karabe, aut de spodio, aut de reubarbaro, aut terram ipsam sigillatã. nec ab re est sæpius per diem, aut diacitonitem sine aromatibus aut diadragantum, aut saccharum rosatum assumere. mastix uerò secundum omnem modum, his uulneribus suffragatur. Et quia omni ingenio uulneris conglutinatio tentanda est, quæ ui agglutinandi prædita sunt, crebrò assumantur. ex quibus electuarium de seminibus, siue diaspermaton ad pondus drag. unius aliquo decocto solutum, uel radicis maioris cẽtaurij, quam isti consolidam uocant, aut betonicæ, aut pentaphyllonis, a nõnullis excellentissimis medicis commendatur; præsertim horas quatuor manè, uesperi, ante cibi assumptionem. uulnus uerò exterius, si amplum fuerit, suatur; quod raro contingit. nam uulnera huiusmodi ferè semper ab acuto telo causari solent. aut in principio, si expedit, regantur therebinthina lota actu calida, aut perpetuo unguento nostro sancto, cui cætera medicamenta cedere debent. interea totus uenter, dorsum, & inguina oleo rosato completo, masticino, & camomillino inungãtur, & si occasio datur, incarnetur uulnus emplastro barbaro, aut basilicone. postremo cerato ex chalcitide sigilletur. Ventriculi uerò uulnus naturę dimittatur, &, si amplum fuerit, si potest, ut de intestinis dictum est, consuatur; per os autẽ agglutinantia assumantur, & extrinsecus iniectorio imponatur lotio ex uino nigro austero decoctionis equiseti, rosis, palmulis, minoris centaurii, & melle aut zulapio rosato. Sed sententia nostra affirmamus, melius esse potenti naturæ omnia cõ mittere, quæ id facit interdum, quod Medico impossibile est.

DE IECORE LAESO, Cap. XXI.

a ¶Auic. 14.3.tr.3.c.20.4.4.tr.2.cap.4.



Edes [a] quàm plurimæ in humanis corporibus reperiũtur, quæ cum morbo in soluta continuitate affliguntur, earum nocumenta magna sunt & pereunt secundum plerunque, interdum uerò nõ, sed raro. inter quas Iecur, siue Hepar enumeratur. fieri enim potest, ut cum leue in eo uulnus occurrat, saluetur: sed cum uas aliquod notabile in eo sectum fuerit, nulla salutis spes remanet, sicuti corde affecto, ubi nulla speratur salus, quòd ex nutritionis defectu languet,
b ¶Gal.6.Aph.com.18. Paul.li.6.c.88. Auic.4.4.c.2.10 & moritur. Hepatis [b] uerò non solum profundum uulnus in eius fibris factũ, sed etiam fibram abscissam sanatam fuisse nonnulli affirmant: attamen si in eo uulnus aliquod illatum alicuius magnitudinis, aut profunditatis extiterit, aut uena, quæ in eius gibbo originem trahit, caua, magna, & chilis dicta secatur, aut ea, quæ in eius cauo committitur, uena portæ nuncupata inciditur, aut ramus eorum quidã, quorum repletur iecur ob largam eorum sanguinis effusionẽ, priusquàm uulnus agglutinetur, æger necessariò moritur, idque magis quia ob alimenti inopiam cor patitur, & sic tandem perit animans, sed non illico interdum; cum per longa temporum spatia in huiusmodi affectibus uita protrahi possit. Sæpius quidem breui temporis interuallo, ex iecoris percussione multi occumbunt. nam, vt
c ¶5.de morbis popul. refert Hippocrates, [c] cuidam Astili, percussio iecore, statim color cadauerum

se se

se se sparsit, oculi introcesserunt, molestia, difficultas ferendi, ac æstuatio consecuta est, & eadem die vitam cum morte commutauit. Alter puer à Mulo in Hepate percussus, quarta die mortuus est. Spiritum densum habebat, nec quicquam intelligebat, ac febre cruciabatur: ob id cum grauiter iecur læditur, qui sic affecti sunt prognosticis, ac presbyteris relinquantur, cum cæterarum omnium hæc affectio periculosissima sit, & modica omnino ægris sit spes salutis, & morbus hic a Medicis [a] lethalis iudicetur; attamen leui existente læsione, ex qua non magna sanguinis copia egressa fuerit, aut aliquis alius ichor non multum effluxerit, eius sanationem tentare oportet: in primis uerò tenuissima adhibeatur diæta, ne sanguinis multitudo augeatur, & ea commendantur, quæ agglutinandi
a ¶Hipp.li.1.de morbis. libr.de Coac. prænot. lib.1. Epidemiarũ.6. Aphor.18. Celsi.li.5. ca.26. Aet.lib.10.c.5. Paul.li.6.c.88. Auic. 14.3.tr.3.c.21.4.4.c.2.
vim habent; ob id chondrum, aut oriza, aut hordeum in iure pedum hædi, aut parui uituli decoquantur, additis foliis boraginis, lupulorum, intybi, & plantaginis; aut fiat panatella in iure tali: oua verò, carnes, & lactícinia primis diebus, aut donec inflammationis omnis suspicio præterierit, dimittantur. uinum pariter. aquam enim potare conuenit, in qua bullierint coriandri, iuiubæ, & cichorium; aut saltem ea sit, in qua ignitus chalybs ter, aut quater fuerit extinctus, addito serapio rosaceo ex rosis siccis, aut saccharo rosato. Secetur vena, potissimum iecoraria, oppositi lateris, a qua, virium robore apparente, bis, terque sanguis paulatim, & interpolatè detrahendus; aut fiat leuis euacuatio casia, aut diacatolicone, & rha barbaro. syrupus quotidie summo mane exhibeatur, veluti ille de rosis siccis, de lupulis, aut de cichorio cum radice barbara, liquatus cum decocto hepaticæ, consolidæ, caudæ equinæ, aut betonicæ. Si autem vulneratus saltem alternis diebus ventris beneficium, & alui expurgationem non nouerit, ei clyster imponatur, ex decocto maioris centaurij, consolidæ, & equiseti, addito saccharo rosato, oleo myrtino, & rhodino, & parum quid electuarij diacatoliconis diuersiones a longinquis partibus probantur, nempe leuibus frictionibus, cucurbitulis, aut ligaturis: iram, clamores, nimium motum, coitum, & unamquanque causam, quæ sanguinem alterare possint, fugiat patiens. verum, si aliqua insignis apparuerit indigentia, caro auium montanarum, aut hepata paruorum animalium, & vinum nigrum clarum, oligophorum dari potest. Et quia ea, quæ confortant, ac huius visceris solutiones agglutinant, per os offerri possunt, confectiones in rotulis ex spodio, gummi arabico asso, rhabarbaro, dragaganto, balaustiis, terra sigillata, & boloarmeno cum saccharo parari solent, quæ mane, & sero patienti exhiberi possunt: rha ponticum pariter, & rhabarbarum in minutum puluerem redactum vsque ad scrup. ij. cum decocto arnoglossæ, aut pentaphylonis secundum omnem modum, optimum præsidium est. probantur trochisci summo mane, usque ad drag. j. de spodio, de reubarbaro, & de rosis cum spodio soluti in decocto centaurij, intybi, & equiseti: Vulnus verò hypochondrij, aut abdominis, si in eo sanguinis hæmorrhagia apparuerit, primo medicinis sanguinem sistentibus regatur: deinde aut terebinthina actu calida, aut vnguento nostro sancto, ab initio vsque ad vulneris sigillationem regatur: aut, si licet, transacta quarta, ipsi terebinthinæ addatur bolus armenus, & mumia: postremo masticen, thuris mannam, & dragagantum admiscere licet. partes verò vulneri coadiacentes, inguinaque, subascelia, ac spina oleo rosaceo, masticino, ac de citoniis vnà cum sandalis albis, & rubeis, ac eboris ramentis, & intybi domestici seminibus minutissimè tritis cum pauca cera, sub linimenti forma inungantur. porrò, si expedit, vt medicamentum exterius impositum fibras hepatis vulneratas attingat, nec magna sanguinis quantitas effertur, illud quidem formetur, quod sectas fibras constringat, & agglutinet, quale est hoc, Recip. succi equiseti, pentaphylonis, pilosellæ, polygonij an. mannæ thuris, mumiæ electæ, reubarbari optimi, radicum maioris centaurij, sanguinis draconis ex lacryma an. q.s. pro collyrio, quod per se, si vulnus amplum fuerit, aut

per iniectorium usque ad iecur bis, terque in die iniiciatur. Amplum uulnus in sui debet, dimisso in decliui situ orificio, ut superfluitates perpetuò expurgari possint. supra uulnus uerò aut barbarum, aut calcideum medicamentum, aut illud celebre ex chalcitide adhibeatur.

DE LIENE AFFECTO, Cap. XXII.

SI Lien, siue splen vulneretur, maiori cum fiducia curationem aggredimur, atque magis si vulnus intimè non transierit. nam sima huius visceris pars, multarum arteriarum, ac magnarum venarum plantationes continet, ob id si vulnere affligitur, nulla redemptionis spes remanere solet: cum verò leuiter in superficie lædatur, eædem requiruntur curatiuæ indicationes tum in victus regimine, tum in localium medicamentorum applicatione, vt de Iecore expositum est: verùm vtroque uiscere læso diligentia summa adhibenda est, ne ex calidorum, ac stipticorum medicaminum qualitate humidiores substantiæ discutiantur, & crassiores exiccentur, cum ambo hæc membra parata sint, in scirrhum facillimè conuerti.

DE RENIBVS LESIS, Cap. XXIII.

a ¶Celsli.5.ca.26.Zoa.2.theo.tr.2.c.7.
b ¶Auic. 18.tr.2.c.10.
c ¶Auic. 18.3.tr.2.c.22.
d ¶Act. li.11.c.16.
e ¶Hipp. lib.2. de morbis. Celsli.4.c.10.

CVm a ferro renes inciduntur, difficilis curatio fit, imò b moritur ille, cuius renes disrumpuntur. verùm minoris timoris sunt, quàm uulnera Vesicæ, aut locorum neruosorum. Cum igitur tale uulnus occurrit exterius curatur indicationibus superius enaratis, secundũ tẽporis opportunitatẽ: interius c uerò instituto uictus regimine, potissimũ qđ in hac, & uesicæ curatione est, requiritur humorũ adequatio iudicatur, q̃ interdũ fit p uenæ sectionẽ copiosam aut p subtiliũ, ac tenuium humorũ solutionem, sine d subita euacuatione: ob id proba tur manna, casia, rha barbarum, & syrupus rosatus solutiuus. Si uerò crudorum humorum copia apparuerit, vomitus melior est, quo renum uulnera curantur. nã abstergit, euacuat, & fluxiones reuellit, cæteræ uero humiditates æquationẽ quæ runt, solo seri caprini lactis stillaticio liquore, aut decocto iuiubarum, & sebestẽn, uel lactẽ semimum frigidorum maiorum: aliqui trochiscos de alicacabo aqua hippuris solutos probare uidentur. postremo e consolidationem sperantes, amilum, dragagantum, & frigidas gummas patientibus exhibent, quos in mollissimo lecto decumbere iubent, ac tenuissima uti diæta præcipiunt. non tamen ad multos dies diæta extendatur. nam urinæ puriores & acriores per inediam redditæ, uehementissimos morsus procreant; ob id in morbi initio, sorbitionibus tenuibus morsus omnes lenientibus uti expedit. inde uictus sit boni chymi, ut puta ex carnibus auium nemoralium assatis, ouis sorbilibus, chondro, oriza, & panatella, atque interim acetosa, acuta, salsa, & dulcia, ac omnia aperientia, & diuretica id est, quæ urinam ciere solent, dimittantur: minor faciendus est omnis potus, præsertim aquæ ob lotij copiam. quiescat patiens in silentio que uitam ducat, nam methodus curandorum uulnerum renum, quies est. porrò, si decet, per clysterem decoctum maluæ, & equiseti cum ptisana, & rhodomelle infundendum, ut saltem alternis diebus materiæ, quæ in uijs communibus reperiuntur, per secessum expurgentur. cæterum non multa copia infundatur, ne uiscera nimis repleta renes comprimantur. Si autem secti renes sanguinis profluuio laborabunt, uenam cubiti secare conuenit, sanguinis detractione repetita, & medicamenta, quæ ad sanguinis sputum, & quæ ad ipsius profluuia describuntur, in renibus, & uesica sanguinem fundentibus per syringam iniiciantur; quod præclare facit simphiti radix, & tra-

& tragacantum uino maceratam, aut polygonij, & plantaginis succus cum posca, aut succus foliorum porri, & plantaginis, qui omnia superat medicamenta: exterius cataplasma adhibeatur ex palmulis, pane siligineo, acatia, hipocistide, & uino astringente decoctis. concretus interdum in uesica sanguis adeò deprehenditur, quod post illum urina subitò cohibetur, & fibræ quædam sanguineæ, aut humiditates quædam cruentæ paulatim percolant; quare cum urina suppressa est, pectinis ac suminis partes oleo è scorpionibus, amygdalarum amararum, irino, & è capparibus inungantur. & si hæc non iuuant, fiant decocta ex maluis, parietaria, saxifragia, agrimonia, & citrach in uino albo, aut ex his cum passo, aut oximellite fiat cataplasma. Potui etiam datur præsertim renibus, aut poris vreteribus repletis de coctum eritrodani, polytrichi, scolopendriæ, & citrach cum syrupo capilli Veneris, aut bizantino. verumtamen horum vsum, quoad possumus fugiamus: sed tantum vrgente necessitate usui seruentur. Siquidem urinam uiriliter prouocant, & quæ relaxant administranda minimè sunt, sed quæ exiccando corroborant a medicis probantur. nos verò cuidam militi Feltrensi uno duntaxat rene vulnerato quotidiè dedimus drag. j. optimæ terræ sigillatæ cum unc. j. terebinthi cyprij, & parum post cyathum paruum optimi albi vini montani, & ferè statim uinum à uulnere emanabat odoratum, sed aliquantisper tinctum, exterius verò cõtinuo unguẽtum nostrum Sanctum applicauimus, cuius compositionem ac operãdi modum in tertia indicatione descripsimus, capite de Thoracis vulneribus; & breui tẽporis spatio fuit ille sanitati restitutus.

DE SAVCIATA VESICA. Cap. XXIIII.

a ¶Hipp.li.1.de morbis. 6. Aph. 18. Celsli.6.cap.de uul.insa. Auic.4.4.c.2.
b ¶Hipp. lib.1. de morbis. libr. de Coac.præno. 6.Aph.19. Arist.1. de hist. anim.c.13. Celsl. li.5.c.26. Gal. 1. de semi. cap.8. Auic.4.4.c.1.
e ¶Gal. 5. Aph. com. 66.
d ¶Auic 19. 3. tr.1.c.11.
e Gal 6. Apho. com. 18.

VEsica, quæ vrinæ receptaculum est, præciditur, eius partes a secte nequaquam coire possunt, ob id quia membrum neruosum est, frigidum, siccum, & exangue, & nerui b secti neque coalescunt, neque augentur, & eorum c uulnera pessima, ac omni timore plena esse solent. Intestinum hoc perpetuò mouetur, ac humiditate acuta, acri, baurachina, & mordaci ferè semper repletum videtur, quare d necessario ille, cui vesica disrumpitur, moritur. Ergo e de vesica funditus secta nihil plus dicere expedit, quæ pariter, quamuis nonnulli aliter credant, consui nequit; nam ex acus punctura conuellitur, aut ab aere frigido alterata corrumpitur, ut illi euenit, qui super frigidum lapidem sedere solebat, aut piscatori, qui in frigidis aquis diu degebat. Si autem eius collum, id est, carnosior pars, quam Latini ceruicem vocant, vulneratur, non ita imminet periculum, nam affectum similem præcipue his, quibus calculi extrahuntur, sanari videmus. In hac igitur curatione indicationes illæ in renibus vulneratis expositæ ad vnguem seruari debent: pharmaca verò purgantia per os sumpta, item ea quæ vrinam ciere possunt, exhibenda non sunt, ne materiæ multæ, ac succi mali ad renes, & vesicam deducantur. Diæta itaque tenuissima sit, à nimio potu, & humidorum usu caueatur, uinum dimittatur, sed aqua coriandrata cum vino, aut minua cidoniorum, vel syrupo myrtino, aut saccharo rosato usui seruetur. Vulnus exterius regatur terebinthina cum tertia parte olei hypericonis, ac desuper barbarum, aut argideum, aut illud vsitatum, ex chalcitide, aut nostrum sanctum adhibeatur; nam, ut partes simul citissimè coeant, studere opere præcium est; multum enim vrina ad hoc conducit; ergo si absque lichinij impositione opus perfici posset, id melius esse omnino iudicatur; in cæteris ea opportuna sunt, quæ in supradictis carnosis uulneribus commemorata fuere. per meatum vero vrinarium decoctum aliquod injici poteſt, potissimum cum syringa, quale est hoc. Recip. hordei, rosarum, centaurii minoris an. m. s. uini nigri optimi q. s. pro decocto, cui in fine adduntur rhodomellis vnc. ij. coletur, & utere. Et si maiori eges exiccatione,

Recip.

Recip. radicum consolidæ, maioris centaurij, foliorum oliuæ, myrtillorum an. m.s. amili vnc.j.s. aquæ chalybeatæ q.s. pro decocto, & addito melle rosaceo vsui serua. Si verò aliqua aderit mordicatio, tollatur sero caprino chalybeato, aut pompholige lota, lacte caprino soluta, aut trochiscis de terra samia, aut de halicacabo, aqua consolidæ liquatis. omnia hæc, & quæ in utero ponuntur, actu tepida esse debent, & flatum non gignant nam frigida quęuis his uisceribus aduersantur, ac sunt inimica.

DE VTERO PERFORATO. Cap. XXV.

SI uterus [a] sue matrix fuerit uulnerata, quod rarò contingit, indicia sumuntur a loco læso: nam in fundo ventris inter uesicam, & rectum intestinum sita est: & ab exeuntibus. nam per sinum muliebrem, & sanguis & ichor emanat; à dolore, qui eam partem, & inguina, & fœmora, & dorsum molestat; à syncopa sue animi deliquio, ob eius cum ventriculo consortium: a febre, affinitate cordis: ex alienatione ob nimiam cum cerebro insertam alligationem. unde dicebat Hippocrates, [b] maximam seminis partem a capite procidere; & quòd hi, quorum auriculares venæ sectæ fuerint, a medicis aliuidegi quidez, somni, & apoplecticæ dictæ, infœcundi redduntur. Eius uulnus lethale admodum iudicatur iisdem rationibus, ut Capite de Vesica dictum est. Curantur hi affectus optimo, ac tenuissimo uictu, sanguinis missione, præsertim à vena iecoraria, & syrupis humorum acuitates contemperantibus, ac aliis similibus indicationibus, vt supra in cura diuersarum internarum passionum explicauimus. Abdominis uulnus primis diebus medicamento ex terebinthina, oui luteo, rhodino, & croco regatur: circumuicina verò loca oleo rosaceo completo, e semine lini, & e matricaria foueantur. postremo huic medicamento parum thuris, masticis, dragaganti, & ceræ addi solet, & sic sarcoticum uulnus fit, & carne replebitur: situs vero, ac iacendi modus talis sit, ne intestina vterum comprimant: interius, [c] si decet, ea imponantur, quæ ualde exiccant, sicut pompholix, aloes, anethum ustum, carta combusta, bolus armenus, crocus, & similia succo pimpinellæ, aut consolidæ, aut agrimoniæ liquata, in linimenti, siue collyrij formam redacta. hæc recto syphone, siue cathetere, aut uterino clystere, quod Græci metrenchitas vocant, imponi possunt: si vero absterso aliqua conuenerit, fiat cum uino nigro, mellito, aut sero caprino, aut rosaceo melle: maxima pars curationis omnium uiscerum uulneratorum ipsi naturæ, quæ Dei filia, ac mundi anima est, committatur. nam [d] omnium illa opifex est, medicus uero eius minister. ipsa [e] enim non edocta, & nullo magistro usa, ea, quibus opus est, facit, quod præter spem mirifice in bonum conuertitur.

a ¶Gal.6. de lo. aff.cap.5. Aet. li.16.ca.88.

b ¶Lib. de genitura.

c ¶Gal.5.meth. cap.7.

d ¶Hipp.lib.de lege. Gal.lib. ar. par. med.cap.87. Auic.4.1.cap.

e ¶Hipp.6. Epidem.sect.2.

DE TESTIBVS VVLNERATIS. Cap. XXVI.

SI testes uulnerantur, optimo egent regimine, tum in uictus ratione, tum in topicorum applicatione, ut in similibus passionibus superius ad plenum explicauimus. Et quia hæ partes maximo sensu præditæ sunt, maxima cura adhibenda est, ne aut dolore, aut inflammatione uexentur. Igitur præmissa uniuersali euacuatione, nempe sanguinem mittendo, usus terebinthinę lotę addito hypericonis oleo summopere probatur: & si amplum uulnus fuerit, commodè suatur, orificium in ima parte dimittendo, ut superfluitates possint perpetuò expurgari, partes circunferentes unguento rosato. Mesue inungantur, aut oleo rosato comple-

completo, & masticino; inde uulnus abstergatur syrupo aut melle rosaceo. postremo basilicone aut regale medicamento incarnetur, & palmulato, aut cerato de minio ad cicatricem perducatur: quæ in scroto aut oseo occurrunt, uulnera his medijs facillimè ad sanitatem perducuntur. Hæc pauca ad Dei omnipotentis laudem, amicorum satisfactionem, & uulneratorum utilitatem in unum redegimus, non equidem quod aliàs a peritioribus dicta non sint, nec ob librorum penuriam, sed ut sub breui epilogo, quæ sparsim, ac in diuersis uoluminibus ab antiquis enarrata fuere, redigantur.

Si quis ergo imposterum æque studiosus, ac ueritatis uehemens amator, uerio rem doctrinam, ac tutius experimentum practicando nouerit, ubi bis terve usus, expertusque sit, non temere ac subito occulte suam proferat sententiam, sed eam in medium apertè ad laudem omnipotentis Dei, ac languentium salutem, addu cere non pigeat.

CHI-

CHIRVRGIAE IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI, SECTIONIS PRIMAE,

Liber Sextus.

DE SAGITTARVM EXTRACTIONE. Cap. I.

HVMANA corpora, iniuriis exterioribus obnoxia, a telo acuto sæpe affliguntur, nempe sagitta, gladio, aut lancea. interdum a rotundo seu alterius formæ instrumento, nimirum lacerante, aut contundēte, veluti a globulo, siue plumbea glande, dum a Ferētariis, & tormento aliquo fulminante, magno impetu, ac fulminis instar, ejicitur, & in corpore residet; idcirco, quia hi omnes affectus, non leuis momenti sunt, diligentem ac expertum operatorem & medicum multis aliis præstantiorem, potissimum his temporibus, & in bello, & extra bellū exposcunt. verùm, & si quāplurima de hac operatione in nostris chirurgicis enarrationibus explicauimus: hic tamen Celso, Paulo, & Albucasi, fautoribus, in genere, de telis acutis è corpore extrahendis, hæc pauca memoriæ prodire decreuimus. Siquis ergo tela simplicia, aut diuersarum formarum, spiculatasque sagittas, aut glandes, cæteraq; corpori humano infixa, ac inhærentia ex arte & solertia quadam ac sponte aut inuito detrahere, & reuellere cupit, scopi quatuor ab eo præcipue considerandi sunt. quorum primus, telorum materia, ac forma est: secundus, affectæ sedis natura, compositio, situs, & officium: Tertius, instrumenta, aliaue ingenia: quibus hæc omnia extrahi possunt. Quartus, curandi methodus, ac cætera, quæ ad topica, ideſt localia medicamenta pertinere uidentur. Tela omnia, quæ ventribus illata intus hæserunt, magno negotio, ac non minimo cum timore sæpe eiiciuntur, sunt que difficultates quædam ex generibus eorum. quædam ex his sedibus, in quas illa penetrarunt, & quędam ex forma instrumentorum. unde sequitur, quod interdum euulsione seu attractione, interdum propulsione sit vtendū, sumpta indicatione ab ipsorum telorum generibus, & differētiis, postmodum ab ipsis sedibus affectis. vltimo a symptomatum natura, & quantitate. porrò telorum differentiæ, Celso authore, ab corū materia, figura, magnitudine, numero, habitū, & viribus, sumūtur. Materia, quatenus ferrea, plumbea, stānea, ænea, lapidea, aut altero metalli genere, aut ossea, aut cornea, aut arundinea, aut lignea, sunt: Figura, quatenus acuta, lata, sphærica, triangulata, angulosa, axillata, barbulata, spiculata, aut cuspidata, ac cuspidatarū, hæ cuspides posteriora spectantes, habent, quæ dum extrahuntur, contrà defigantur: illa in anteriora, ut propulsata, idem faciant. quædam obuersas cuspides tenent, fulminis instar, vt dū ipsa trahuntur, propellunturque, in obiecta infigantur: Magnitudine, quatenus alia magna, alia parua, alia longiora, alia breuiora, exiſtunt: Numero, quatenus unum, aut plura sunt: Habitu, quatenus aliqua ligno firmiter infixa manent, aliaue negligentius, ut in extrahendo separata intus residēat: Viribus, quatenus aliqua veneno tincta ac delinita, quædam uerò quatenus ueneno carcant. Hæc igitur sunt telorum discrimina, quæ a medico vulnerario, aliis præstantiore, accuratè perpetuò considerātur. Vt uerò hæc historia sensatè dignoscatur, expedit telorum aliquas imagines delineare,

lineare, ac ſagittarum varias formas deſcribere, quarum aliquæ ſimpliciores ſunt, & caudæ eorum duobus modis parantur. quorum vnus cauus eſt. in quem haſtilis acuitas extrema, ingredi poſsit, Alter cuſpidatus, ut in haſtilis cauitate inſeri valeat. Primus ab Auicenna zugi cannulatum, ſecundus zugi cauda tum nũcupatur. & quia hę imbecilliores, & minoris laboris ſunt, ac utrobiquę commodius extrahuntur, alijs præponantur. acutę ſunt. & ſic formari ſolent.

A C V T AE.



In ſecundo ſimplicium ſagittarum genere, latę ſagittę reponuntur, quę planę & æquales ſunt, & facile in corpus conduntur, ac altiſsime inſedũt, & ſępe alia parte, quàm qua veniunt educendę ſunt, ſi prope cutem extiterint. earum forma talis eſt.

L A T AE.



In veteri militia, ac his temporibus, Cretę præſertim, ac apud Scythas, ſagittarum cuſpides triangulati formantur, ut extracti, maius inferant nocumentum. formas eorum hic ſubijcimus:

T R I A N G V L A T AE.



Venetiis ac alibi, non belli ratione, ſed exercitij, & voluptatis, aliquę parãtur ſagittę: quarum extremitas ſine cuſpide, aut acie. breuis & rotunda eſt, vt in his figuris videre licet.

R O T V N D AE.

Alia ſagittę forma plurimis angulis munita, inter antiqua tela reperitur. quæ quia plurimis alis circundatur, telum angulosum dicitur. ſic facta eſt.

ANGV-

ANGVLOSAE.

Eodem modo nonnullę ſagittę duobus ſpiculis circundatę parantur, quę retro euolutę, in extrahendo maiorem noxam inferant. ut per has imagines facillime apprehenditur.

S P I C V L A T AE.

Qvandam ſagittę effigiem ſane propriis oculis conſpeximus, ſecus verò nõ credidiſſemus. Sed potius telum excogitatum opinati fuiſſemus. hęc multis retro ſpectantibus alis ſiue barbulis induitur. & ob id barbulata ſagitta dicitur. hoc modo eſt eius fabrica.

B A R B V L A T A.

Apvd Parthos, & Indos quoddam ſagittę genus reperitur, quod ſpiculis uariis, ac uario modo procedentibus euoluitur; nempe aut retro, aut anterius, aut utroque modo ſpectantibus. ut his characteribus facile demonſtratur.

CVSPIDATA ANTERIVS.

CVSPIDATA POSTERIVS.



CVSPIDATA VTROBIQVE.



Alteram adhuc ſagittæ formam vidimus, quæ ob ſui magnitudinem potius balliſtæ quàm arcui conuenire opinamur, Lunæ, aut Falcis imaginem præſefert. ut in hac intueri licet.

Y LVNA-

LAVNIATAE.

FORMANTVR sagittæ duarum partium, quarum una interius torculata est, altera verò exterius, ut dum euelluntur, earum cuspis abscondita intime, remaneat, hæ imagines eas ostendunt.

TORCVLATAE.

SAGITTAE etiam duarum partium sine torculo parantur, quarum una alteram ingreditur. cumque acuta cuspis anterior, profunde penetrauerit, posteriori parte euulsa, ea quæ remanserit, in membris residere necesse est, sic parari solent.

DVPLICATAE.

QVAMPLVRIMAE aliæ sagittarum formæ, apud varias nationes & sub diuerso cœlo parantur, quas nunc dimittere intendimus, cum satis de eis narratum sit. communiter tamen hoc modo fabricantur, & arcu, aut ballista eiaculantur.

DE AFFECTIS SEDIBVS, MODO operandi, ac instrumentis ad opus idoneis. Cap. II.

REDEVNTES ad rem nostram, dicimus, sedes etiam, in quas sagittæ penetrarunt, vario modo se habere. nam aut altè telum insedit, vel in summo duntaxat, uel admodum circa medium infixum est. Si in summa carne impactum fuerit, magnas uenas aut arterias, aut artus, aut ossa, aut spinam nequaq; læserit. Si verò circa medium, sæpe affectum formidabilem imprimit. Sed si alte conducitur,

tur, certe aut aliquod nobilium, & internorum membrorum sauciauit, aut solum penetrans erit: porrò officialia ac primaria membra aliquo modo secta, propriis indicijs, vt supra libro quarto, & quinto explicauimus, dignoscuntur. Ex quibus denique eorum habitudo, compositio, officium, & situs pernotatur, ac tãdẽ mors plerique subsequitur. Instrumenta quoque ad sagittarum extractionem idonea, & accommodata, differunt. nam aut manibus tantum, aut alicuius instrumenti auxilio opus perficitur, aut attrahentibus præsidiis, quod rarò in his operationibus videri solet, id consequitur, aut signis, verbis, uel incantationibus, quod fieri nunquàm uidimus, nec credimus, opus absoluitur. Modi pariter ad hoc peragendum condecentes uariant, pro ut læsæ sedis situs, & compositio, ac sagittæ forma, magnitudo ve exigit; idcircò si in summa pectoris aut summis partẽ, sagitta impacta tantum fuerit, nil melius quidem, quàm, qua venit, cito manibus eam euellere. Similiter agendum est, si tantum in cauam partem peruenerit. Scito tamen, nihil difficilius, periculosiusque ad extrahendum quàm sagittarum spicula, præsertim axillis aut barbulis, siue hamulis vtrinque hispidata, & cuspidata. porrò si telum qualecunque fuerit, in conspectu venit, & commode eximi potest, protinus extrahatur. Siquidem ea, quæ præter naturam sunt, confestim auferẽda esse Hippocrates & Galenus censuerunt, ne ægrum in grauius periculum ducant. si tamen siue iactura, & magno dolore, educi ualeamus. quo facto, aduertendum ne sanguinis fiat non leuis aliqua hæmorrhagia, aut patientis uires tollantur. Sistatur ergo eo modo, de quo sæpe sermo habitus est: Si verò ossium aliqua adsit fractura, aut squammæ quamplurimæ dispergantur, omnes educantur, si ars valere videtur, instrumentis nempe ad hoc munus idoneis, aliter sapienti naturæ id omne committatur: pariter si sagitta infixa sic intus lateat, vt nullo modo reperiri possit, aut non satis tutò extrahi, tantisper dimittenda est, donec natura ipsam protrudat, & manifestet. Operando verò summa cura adhibenda est, ne neruus, ne vena maior, aut arteria incidatur: sagitta ex corpore euulsa non alia est corporis medicina, quàm quæ esset si corpore icto nihil inhæserit, unde uulnus ipsum curetur, ut & cætera alia cruenta curari solẽt. hoc uno addito, quòd qui ab infixa sagitta alteratus est sanguis exprimatur, vt vulnus à putredine, & inflammatione vendicetur. Si autem in principem, aut aliquam necessariam particulam sagitta defigitur, cum iam notæ lethales apparuerint, & conuulsio præsertim multum cruciatum, ac uexationẽ accersitura sit, nihil in operatione tentandum est, ne præterquam quod nihil sumus profecturi, etiam conuitiandi occasionem idiotis præbeamus. uerùm, quia si telum in his relinquatur, in præsentaneam mortem ægrum præcipitare solet, præterquàm etiam artem inhumanam ostendat, qua de re si eximatur fortè etiam salus subsequitur; igitur præmisso prognostico de perditione, quæ frequenter occurrit, operationem aggrediamur, nam interdum absque vlla spe miraculosè aliqui saluati fuere. Tunc ergo eo modo quo patiens erat dum uulnus acceperat, situetur si potest: sin minus in lecto ad meliorem modum, quo vulneratus fuerat, ac manibus potissimum si sagitta suo hastili munita fuerit, tractetur, modo huc, modo illuc agitando, ac leuiter contorquendo, donec tutò exierit. Nihil enim tam facile in corpore conducitur, aut extrahitur, quàm simplex sagitta, quæ extracta, viscerum vulnus eo modo quo in superioribus libris explicauimus, regatur. Accedit etiam aliquid difficultatis suo omni ictu, si sagitta costis, aut ossi pectoris, aut calluariæ, aut spinæ inhæserit. nam si eam attrahendo eximere tutum est, quæratur tunc si manibus paulatim eam agitando, donec is locus laxetur, qui mucronem mordit, ne ferrum infixum remaneat, extirpari possit: sin autem scalpello, si datur locus, os circa ferrum cauare oportet. nonnunquam carnem prius incidamus, si uulnus instrumentum non recipit. Cum verò sagitta alte ac firmiter in osse aliquo insederit, quod ex eius soliditate, firmitudine, duritie, ac membri magnitudine inspicitur, nulla ui commoueatur, præsertim eo instrumento, quod aliqui ar-

cum seu ballistam nominant, sed carnem ei circunstantem, aut cultello simplici acuto, aut eo instrumento hac tempestate constructo, quod ab eius occulta ac deceptoria operatione, Forceps deceptoria, aut exciſoria duplicata inuersa nuncupatur, imprimis adimemus, aut diducemus: hoc instrumẽtum illud esse opinamur, quod ad ↓ Græcæ litteræ imaginem formatur, & ypsiloideũ uocãtur; dilatatoriũ omnino est: attamen eius utilitatem aut operationem, quamuis eam memorarunt Celsus, Paulus, & posteriores, adhuc intelligere non potuimus: Hæc sunt præ dictorum instrumentorum delineationes.

CVLTELLVS SIMPLEX.

FORCEPS DECEPTORIA.



Si autem sagittæ ferrum, per vulnus aliquod angustum, ossi infixum tantũ remanserit, ac ita firmiter illi adhæserit, vt nec manibus, nec alio ingenio euelli possit: tunc ea instrumenta opportuna sunt, quæ ab eorum operatione attractoria dicuntur. & illud celebre iudicatur, quod ab Albucasi terebrum torculatũ, & a Guidone terebrum inuersum vocatur. Formetur ex optimo chalybe, aut ex ferro indo, & duas seruet imagines; alterum enim integrum est, ac ima parte torculatum, vt dum in zugi cannulato auoluitur, suo torculari illud amplectatur, & retineat; varie igitur in torculi crassitiem, & longitudinem ob zugi varietatem parentur: alterum diuisum æqualiter ad sui longitudinem fabricetur, teres, cõcauum, per cuius medium hastula ferrea locatur, quæ mobilis est, vt descendendo, torculatam partem dilatet: ut vno solo terebro, singulatim tale opus adimpleatur, omnia his duabus figuris inspicere possumus.

TERE-

TEREBRVM TORCVLATVM SOLIDVM.



TEREBRVM TORCVLATVM CONCAVVM.

In lato & amplo vulnere, vt expedit, aliquo vtimur instrumento, quod ab effigie rostri diuersarum auium, nomen sibi sortitur, nempe a coruino coruinum, ab anserino anserinum, à ciconino ciconinum, à gruino gruinum, & communi voce ab attrahendo, omnia attractoria dicuntur, quorum imagines hic inferius, ac vbi de vulneribus sclopetorum tractabimus, intueri possunt.

CORVINVM.

Instrvmentvm ad hoc idoneum, & celebre, apud antiquos illud conseruabatur, & summopere probabatur, quod quia belli tempore ad sagittas extrahendas maximo erat usui, a Græcis belulcum [a] vocatur. Hoc illud esse opinamur, quod Hippocrates [b] Eraphiscum, & Celsus [c] Diocleum, vocant, a Diocle eius inuentore, qui inter antiquos celebres medicos, à Celso, & Galeno [d] connumeratur. Tale Diocleum à Celso sub magna verborum obscuritate describitur. quare hactenus, & si quamplurima alia in nostra chirurgię officina delineauimus, hoc adamusim non intellexisse fatemur. Vos igitur studiosi iuuenes obsecramus, vt adinuenta Diocles veritate, eam sensate designetis. etiam detracta, vt aliqui dicũt, in Celsi descriptione, voce illa, quæ, vbi legitur in parte inclinata, quæ perforata est: Nos verò si ferrum in conspectu venerit, cauda eius lata existente, nec ab alia parte educi expediet, ne maiorem noxam quam sagitta fecerit, inferamus. hoc vti

a ¶ Paul. li. 6. c. 88
b ¶ Lib. de telorum extract.
c ¶ Lib. 7. c. 5.
d ¶ Lib. 3. de loc. aff. not. c. 5. & 2. Aphor. com. 34.

mur instrumento, quod eo quia accommodatum ac tutum est, Bellulcũ, aut Dioclem, appellare soliti sumus. eius effigies hæc est.

DIOCLEVM.



VERVM si sagitta cuspidata, aut barbulata, aut spiculata fuerit, prædictorũ instrumentorum vsus non probatur, cum sagittæ magnitudo, & forma, liberum exitum sine magno negotio non admittit; ob id si cuspides, aut barbulæ, breues ac tenues fuerint, Forcipe, si potest communi debent, secus verò dimittantur, & vt docet Hippocrates, & Celsus, scriptoriis calamis ad longitudinem diuisis contegantur, ne quid remeando lacerent. Hac ratione tenaculæ nonnullæ huic operi satis opportunæ adinuentæ fuerunt, omnes quippe cannulatæ, quarum vna quamplurimis dentibus munitur. Alia simplici cannuli diuisi formam præsefert, ab Auicenna forfex semilunaris nuncupatur, omnes sagittæ partes amplectuntur, & uulneris labra, ac omnem circumferentiam in qualibet noxa incolumem reddunt, ac tuentur; probatissima instrumenta sunt. & sub his formis parantur.

TENACVLA CANNVLATA.



TENACVLA DENTICVLATA.



CVM-

CVMQVE propè oppositam partẽ, aut ulterius, sagitta peruenerit, nec ea parte, qua venit extrahi possit, diuisa opposita si carnosa fuerit, & a uenis magnis, arteriis, & neruis, immunis, per eam sagittam eximemus, nempe propellendo ulterius & in oppositã infigendo: si uero sagittæ ferrum absque suo hastili intus remãserit, & occulte in partibus musculosis latuerit, magnum inde medico negotium adducit. quod aut cannulatum, aut caudatum extiterit, si cannulo munitur, & illius formæ fuerit, quæ ab vtroque latere eximi possit, eo instrumẽto impellatur, quod propulsorium mas, aut impellens surdum nuncupatur: a sagittæ hastili non multum variat, sed teres, & acuti capitis est, ut in zugi cannulato ingredi valeat. at si caudatum fuerit, ad hoc illud opportunum erit, quod propulsoriũ fœmina, aut cauum dicitur, calami formam retinet, vt in eius cauo, sagittæ caudam recipiat, ab Auicenna impellens cannulatum dicitur. probantur hæc duo organa tanquàm necessaria, ob id quia omne telũ quod corpori inseritur, aut ab ea parte, qua venit, aut ab ea in qua tetendit, extrahi debet. est igitur duplex modus vnus per attractionem, alter per protusionem seu per impulsionem, qui adimplentur interdum tuto & quiete, sæpe magno labore, longo cruciatu, temporis tractu, & mortis periculo: Hisce ergo sagittæ propelluntur hoc modo donec ab altera parte, si caro tenuis fuerit apprehendi, & eximi possint. propulsoriorum delineamenta hæc sunt.

PROPVLSORIVM MAS.

ZVGI CANNVLATVM.

PROPVLSORIVM FOEMINA.

ZVGI CAVDATVM.

IN qualibet omnium prædictarum operationum, summa diligentia adhibenda est, ne maius ab ea sequatur incommodum, quam vtilitas & commodum. Turpe

pe siquidem est dum telum aliquod extrahimus, maiorem noxam inferre, quàm telum ipsum effecerit, quare tutius est interdum omnia hæc potenti naturæ dimittere, quæ longioris temporis spatio, partem affectam, abscessu occupante, ac disrupto, per eum tela extramittere sæpe solet: extracto telo, sanguis exprimatur, ut uulnus ab aliqua praua humiditate immune reddatur; inde nisi multus sanguis emanauerit, terebinthina calida, hypericonis oleo, ad dimidium addito, uulneri infundatur. vicina uerò loca, & quæ in consortio sunt, oleo masticino, rosaceo, ac de semine lini irrorentur. aut utimini, & est medicamentum incomparabilis uirtutis, emplastro nostro sancto ad uulnera angusta, cuius descriptionem in libro quarto, & tertia indicatione uidere poteritis. Hæc nullo symptomate apparente, ut de aliis uulneribus dictum est, agenda sunt, nempe si recens fuerit, medicamento quod cruentis uulneribus iniici solet, curetur: si uerò incruduerit, aut dolore afficietur, aut inflammatione uexabitur, aut ueneno affligetur; quæ tunc agenda sunt, in calce sequentis libri planè videre poteritis. uerumtamen si plaga inflammatione uacauerit, & ampla fuerit, futuris cruentorum more eam curabimus. si inflamationē experiatur, fomentis, cataplasmatibus, & consimilibus medebimur, imprimis semper, de toto considerationem habentes. Hactenus methodus tradita est, sub quadam breui epithoma de sagittis è corpore extrahendis: Post hæc, Deo maximo optimo fauente, quæstiones nonnullas dilucidare intendimus: eamque præsertim, cur sagittæ ferrum, aut plumbea glans, sæpe integra profunde infixa, ac cicatrice obducta, citra vllam noxam post multos annos [a] delitescat & profunde conseruatur, quamuis substantiæ humani corporis admodum diuersæ existant, atque omnino præter naturam, deinde sedem ipsam affectam, aut alteram ab illa parum distantem, abscessu occupante, ac in uomicam conuerso, exire cogantur: secus uero euenit, si ossis aliqua squamula aut particula, a sede sua fuerit diuulsa, ac separata siquidem nisi osse extracto, uulnus nunquam perfecte consolidabitur, ut in caluariæ curatione, ac alibi, sæpissimè uidere soliti sumus.

a ¶Hipp. lib. 5. de morbis popu. Paul. li. 6. c. 88. Albu. li. 2. c. 56. Alexander Bono. li. 4. c. 14.

CHI-

CHIRVRGIAE IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI, SECTIONIS PRIMAE,

Liber Septimus.

DE SCLOPETORVM VVLNERIBVS, & eorum curatione. Cap. I.

a ¶Hipp. lib. de telorum extrac. Celſli. 7. c. 5. Paul. li. 6. c. 88 Auic. 4. 4. tra. 2. cap. 10.

TRIA telorum genera, quæ corpori humano aliquando inſedunt, deſcripta ab antiquis [a] reperiuntur, quorum primum, veluti ſagitta, acutum, ac ſubtile eſt, quæ in eo facillimè conditur, & altiſſimè penetrat: hæc ſæpius ab altera parte, quàm qua venit, recipienda eſt. Siquidem ſæpiſſimè ſpiculis cingitur, quæ magis laniat ſi retrò, quàm ſi contra trahatur. Secundum, ſicuti lancea, latũ eſt, quæ dum corpori infigitur, ab altera parte educi non expedit, ne ingenti ipſi vulneri ingentius quoque uulnus adijciamus. Tertium ſphæricum, aut anguloſum eſt, prout plumbea glans, ſiuè parua pila, aut parua ſphærula, aut, ut dicunt, globulus, aut plumbeus, aut ſtanneus, aut ferreus, aut lapideus, quod raro, aut alterius ſubſtantiæ duræ, quæ perrupta cute, & carne integra intus reſidet, & ea qua uenit extrahenda ut plurimum eſt. De hoc igitur tertio telorum genere, nonnulla expedit impræſenti breuiſſime enarrare, cum non rarò hiſce temporibus in prælijs, ac bello nauali, alibiq̃ à diabolico illo inſtrumento fulminante, quod iſti uulgo Tormentum, Archibugium, & Sclopetum uocant, globuli diuerſi in homines iaciantur, qui quidem & magnam noxam, & ſæpè mortem inferre ſolent: & ſi nullam de hoc tormenti genere, antiqui cognitionem habuere, attamen Hippocrates, & Celſus in tertio telorum genere, quod homines & lædit, & intimè remanet, glandem plumbeam, aut lapideam connumerarunt, & nullum quidem uerbum de inſtrumento protulerunt, quod hæc tela emittere ac iaculari ſolent. Siquidem inſtrumenta illis non innotuere, ſed ea funes erant, quas iſti fundas, aut fundibulas vocant. præliabantur enim antiqui fundis, & lapidibus, & huiuſmodi inſtrumentis. hac tempeſtate in eorum pugnis vtuntur pueri. & ſimili Dauid Propheta Goliam Gigantem necaſſe, legitur in ſacris litteris. Glandes, ſiue globuli magno impetu in homines proiiciuntur, & in eis quamprimum compoſitum vulnus cauſare ſolent, ſaltem cũ ea cauſa, quam iſti propriam, ſiue coniunctam appellant. ea quippe eſt, quæ vna cum vulnere frequenter reſidet, & ægritudinem talem actu producit, non expoliatam carnis attritione aut laceratione, oſſium fracturis, intemperie, dolore, inflammatione, aduſtione quadam, & aliqua venenoſa qualitate, unde facillime ſedes affecta ſphacelo affligitur. Attritio ſenſate dignoſcitur ob id, quia caro contuſa lacerata apparet, & liuidi coloris fit: porrò cauſæ ad hoc potentes exiſtunt, nempè obtuſæ, graues, ac magno impetu tranſmiſſæ, ac impulſæ, oſſium fracturæ ex iniuſta natura, & arbitrarij motus detrimento apprænduntur: de dolore ſauciatos interrogare oportet, nam ſanè eius ambas cauſas ibi perpetuò adeſſe dignoſcitur, veluti continui ſolutio, quæ oculis demonſtratur, & mala temperatura ob igneum impetum, & accenſam cauſam, quæ nonnunquàm aliqua uenenata qualitate tingitur: hac ratione in maximis læſionibus interdum patientis

tis corpus & mens ſtupet, uulnerati attoniti fiunt, eosq̃ue frigidus ſudor inuadit, mox æſtuant, uulneris ora liueſcunt, ac denigrantur, ſubſequitur febris, ſiti intenſa conficiuntur, ſomno priuantur, difficulter ſpirant, ſyncope & vertigo oboritur, tumultuoſis inſomnijs, ſi dormiunt, affliguntur, facies inflammatur, oculi rubẽt, deſipiunt, atque abſurda loquuntur, poſtremo moriuntur. Tela autem eiuſmodi intus condita eſſe his notis deprehenduntur, interna aſperitas, aut mollities, aut inæqualitas, aut rotunditas ſubeſſe ſentitur, plaga rarò omnino in rectum tendit, carо contuſa, ac liuida cernitur, & dolor, ac grauitas locum infeſtat. Certiſſimum autem indicium eſt glandem intus conditam eſſe, cum ex oppoſito uulnus non appareat quo exilari potuerit. Porrò hæc vulnera varijs indiſpoſitionibus complicantur, & varijs indicationibus regi debent, ſemper ab eo ſymptomate, quod magis urget, uulnere non neglecto, initium capiendo. Decet igitur primò ſi uulneri quid præter naturam inhæſerit, id euellere, veluti cauſam, ſine cuius ablatione uulnus rarò ſanari queat. talis quidem pro ſymptomate habetur, quod ad ſe primarias indicationes curatiuas coadducit; Secundò dolores demulcere, qui inducias expectare non ſolent. Siquidem quod dolet plus aliquid affluere facit, atque hinc fit quòd ex dolore, particula proportione confluentis humoris in eam, in tumorem attollitur, qui qualis fuerit ex colore, calore, dolore, & dimenſione cognoſcitur. Tertiò contuſi, ac lacerati uulneris opportuna præparatio, quam iſti digeſtionem appellant. Quartò ſinuoſi vulneris, ac omnium anfractuum conueniens abſterſio, nouæ carnis productio, & cauitatum repletio, poſtremo æqualis ſigillatio.

Quintò accidentium malorum, quæ his affectibus ſolent ſuperuenire, exquiſita correctio, & profligatio.

DE GLOBVLIS, AVT ALIIS REBVS OMnino præter naturam e vulnere eijciendis. Cap. II.

CHIRVRGIAE partem hanc, telis extrahendis dicatam, maximè neceſſariam fore decantabat Homerus; unde Galenus hanc Medicinæ partem homini, & uitam, & mortem inferre poſſe affirmabat. Hac ratione cumprimum Medicus ad uulneratum acceſſerit, cuiuſque partis affectæ rationem habeat; nam multum intereſt habere læſę partis cognitionem, cùm partes inter ſe valde differant, quarum differentiæ curationis methodum uariare ſolent; ſecundo indicem digitum, cum nihil eo præſtantius ſit, in uulnus immittat, ut quantum, & quale ſit certior fiat. Si uerò index breuior videatur, aut crаſſior, quàm peruenire ad telum poſſit, anfractus omnes, qui in his læſionibus diuerſi eſſe ſolent, ſpecillo, ſiue radiolo accuratè perquirat, & an vulnus in cauam aliquam partem peruenerit, & viſcus aliquod læſerit, aut telum externam tantum partem ſauciauerit, aut oſſa fregerit, veſtiget; & aut inter artus abſcõditum ſteterit, atque vbique cognoſcat ſi globulus quidam, aut armaturæ particula, aut indumentorum fragmenta, aut oſſa fracta, aut quid aliud diuerſum, abſconditum detineatur. Siquidem a ſimili re ſummi dolores, ingentes cruciatus, ardentiſſimæ febres, inflammationes, conuulſiones, gangrænæ, & deliria excitãtur. quapropter, ſi in huiuſmodi vulneribus humiditatum ingentem copiam effluentem videbimus, aliquid præter naturã detineri iudicabimus. igitur ſumma cura omnia hæc tutò tollantur, ut inde iucũdius operando, maximè in his, quæ circa neruoſas partes fiunt, operationibus hanc indicationem adimplere valeamus, & in hoc chirurgus ingenio præditus, experimẽtis comprobatus, ac inſtrumentis variis munitus requiritur. nam extranea, in cauſa ſunt, quòd vulnera ſanari nequeant. propterea diligentia adhibenda eſt, vt his, tanq̃ cauſa remotis, eorum pariter remoueantur effectus. porrò ea tantum extranea

nea non sunt,quæ extrinsecus eueniunt, sed quæcunque humanæ naturæ aduersantur,nec ab ea conseruari possunt,quamuis prius eius partes extiterint,quemadmodum ossa fracta, caro attrita,aut sanguis extra venas existens. Hac ratione qui in his inquirendis methodice operatur, aduertat ne decipiatur; quod facile est. nam in his fulminatis vulneribus,quæ magna vi inferuntur, per multos ac diuersos sinus lęsio tortuosè progreditur, ac pila persępè secum alia ferre solita est ac abscondita relinquere nempe partes loricæ,armaturæ hamulos, aut indumentorum fragmenta,& alia huiusmodi, quibus postea pars affecta breui temporis spatio tam male affligitur, vt pręter naturæ ordinem tumeat, aut sphacelo occupetur.igitur qui sic inquirendo prętenui stylo vtitur,facile decipitur, quare nec nimis tenue, nec nimis crassum esse debet. aberrat enim ille facile ex eius tenuitate huc atque illuc inter membranas,aut lacertos,aut laceratas venas,aut fracta ossa subintrando, per quę loca pila frequenter minus transitum facit. ob id digitus in hoc verus iudex esse creditur. Specilli materia interdum argentea, aut plumbea, aut ex leni & flexibili metallo,interdum ex cera,vt pro Medici arbitrio flectatur, esse debet.Cognito globulo,aut eo quod intus consederit,ęgri corpus eo modo situetur,quo vulnus acceperit,& si uires desunt in lecto molli, & proximè ad eã figuram, postmodum cito, tutò, ac quàm minimo cum dolore globulus,si datur occasio,extrahatur,& prima die,quia qualiscunque fuerit ictus,commodius pertractabitur:nam tunc membrum calidum, & cruentum vulnus latius persentitur, ac stupide sentit,& globulus aut digito,aut alio instrumento facilius tangitur. cũ enim pars affecta ab aere,aut medicamento frigescit, maiori in operatione afficitur dolore:quod si aut ex imperitia,aut ex impotentia,aut alia causa fuerit omissum,non ita facile deinde occasionẽ dabit qua id moliamur.fiat igitur prima die, aut secunda,sin autem abstinere oportet,præsertim si sęua apparuerint accidẽtia, ne qui artem medicã optimè callere profitetur,dum medetur ęgrotis, & aliquid agere uidetur,mortem languentibus inferat,neruos,tendones,aut venas magnas rumpendo,ac laniãdo.hac ratione & si vulnera uel lethalia sunt,vel ita desperata, vt membri destructionem omnimodam nobis polliceantur:non ob id tamen vulneratus absque auxiliis relinquendus est,quin omnia aggredi ac tentare medicus debeat.nempe quę ex arte & secundum rationem fieri possunt.sed primo assidentibus consanguineis,& amicis de futuro rei exitu pręsagiatur,uta maleuolis & inuidis se uindicet.multi enim præter omnium spem modo quodam mirabili superstites fuere.quare urgente necessitate,quod euellendum est euellatur,quod duobus modis eximitur,aut per foramen,quo introiuit,aut ex opposito situ facta noua sectione,si non longe a cute pila constiterit.Si verò multum ab ea distat,& altius insedit,ac specillo percipitur,per laceratũ vulnus,leuiterve, pro viribus extrahatur,omni studio,ut modo celeriter,modo tardiuscule,vt res postulat, & cõmodum apparebit, ac ęger tolerare possit,opus perficiatur:verùm,si decet, vulnus amplietur,non tamen maiori sectione,quàm glans ipsa requirat, sed ea forma & quantitate,qua quod ingressum est,extrahi possit,ne noua disruptione magis noxium vulnus reddatur.nec prius sectio facienda est quàm globulus adinuẽtus fuerit. valde enim turpe est, si facta noua sectione, globulus compertus non fuerit,nec assequi a Chirurgia quod uolueris. vbi autem satis incisum est,telũ eximatur,eadem cura habita,ne sub eo,quod eximetur,aliquid eorum lędatur, quę tuenda esse proposuimus.quę uerò per diabolicum tormentum impelluntur,uarias effigies seruare solent, vt per has figuras apertè dignoscitur. quæ interdum ex solidioris corporis contactu permutantur.

GLOBVLVS plumbeus.

PILA DIVISA siue globulus æratus.

CATENAE pars.

SACCVLVS squammarũ plenus.

PARS loricę.

QVADRIculi ferrei.

Si pila sphærica fuerit,ac partibus carnosis tantum infixa specillum in latiorì parte conuexum siue flexum sub hac forma paratum administrabimus. Siquidẽ accommodatum instrumentum iudicatur,præsertim in membris amplioribus,ac vbi aliqua datur cauitas.videamus eius imaginem.

SPECILLVM CONVEXVM.

Si verò euenit,quòd tale instrumentum incommodum reperiatur, illud experiatur,quod specillum annulare dicitur.virgula argentea est,teres, crasitudine specilli,in cuius extremo annulus quidam efformatur, vt pilã quietè accipiat. eius forma talis est.

SPECILLVM ANNVLARE.

Probatvr hoc annulare specillũ,vbi pectus,aut infimus vẽter, cõfossus fuerit, aut ubi cętera instrumẽta ingredi nequeãt,anteq̃ vicinę carnes intumescãt,aut inflammatione vexentur,aut partes vulneris coierint.si globulus ossi adhæserit, illud opportunum est,quod,quia hami effigiem prę se fert,hamulus,aut uncus, siue vncinus retusus uocitatur,à Paulo verò cyathiscus dicitur. sub duplici modo,nempè simplici,aut duplicato,eius formatur imago.

HAMVLVS SIMPLEX.

HAMVLVS BIFIDVS, SIVE DVPLICATVS.



Possent fortassis hamuli, siue uncini in cathenarum, aut globulorum diuisorum, aut partis loricæ, aut similium rerum extractione valere, non tamen tutò, ac sine molestia, cum cuspides adeò acutas contineant, quare a multis reprobantur. Sed illud instrumentum magis usui seruatur, quod Alphonsinum, ab Alphonso eius inuentore, dici solet. Instrumentum est, tribus ramis munitum, qui ab vno solido corpore originem ducunt cannulo ferreo mobili circundantur, qui si cuspidem versus traxeris, ramos claudit. Si contra, eos aperit, qui intimè denticulati sunt, ut apprehensa pila, aut eo, quod in uulnere residet, strenue amplectentur, & teneant: exterius uerò lenes, & æquales apparent, ut per has figuras facile comprehenditur.

ALPHONSINVM APERTVM.



ALPHONSINVM CLAVSVM.



ANVLVS MOBILIS.



Si globulus altè insederit, & sedes carnosa fuerit, illud celebre instrumentum est, quod eo quia rostri anseris imaginem præ se fert, Anserinum meritò nuncupatur, præsertim vbi varia telorum fragmenta occultantur, & corpora quam plurima minima extiterint, ubique probatur. Heras fuit huius inuentor, & eius utilitas per has figuras dignoscitur.

ANSERINVM MAGNVM.



ANSE-

ANSERINVM MEDIOCRE.



ANSERINVM PARVVM.

Non sine maxima vtilitate parata habemus quædam instrumenta, quæ, quia formam rostri Gruis aut Arcadis imitantur, Gruina, aut Arcadina nuncupantur. hoc modo formantur.

GRVINVM SIVE ARCADINVM PARVVM.

GRVINVM MAGNVM.

Si locus vulneratus sinuosus fuerit, & uulnus angustum; Ciconinum instrumentum nostræ inuentionis, quo frequenter utimur, tutum ac securum esse opinamur, vtpotè quod ad extrahenda quælibet corpori infixa aptissimum habetur. quippe securè, velociter, & sine dolore operatur. quicquid apprehēdit tenaciter retinet, facillimè ingreditur, & sine noxa egreditur. duobus tantum dentibus in eius imo munitur, quibus plumbeas glandes capit, & ex omni parte commodè extrahit, ut per hanc figuram videre licet.

CICONINVM.



Secvrvm, ac quietum in pilis plumbeis educendis Anserinum, & Ciconinum instrumentum iudicatur, attamen apud quasdam nationes aliqua probatur organa ramificata, quæ varias effigies seruare solent: & quod primò occurrit, ex tribus partibus fabricatur, nempe ex vno trunco, ex duabus partibus pro quodā torculo vnito, & ex cannulo exteriore, a quo rami quatuor, qui a trunco originē ducunt, clauduntur. Sic enim apprehensa pila, opus totum tutò perficitur. videamus primò truncum diuisum, qui per torculum vniri potest: secundò cannulum, & tertiò instrumentum perfectum.

TRVNCVS QVATVOR ALIS MVNITVS.



CANNVLVS.

INSTRVMENTVM PERFECTVM.

Ad hoc opus etiam ea instrumenta opportuna sunt, si globulus ad cauitatem aut ventrem deuenerit, quæ apud Teutonicos parantur. formosa sunt, insigni artificio fabricata, tribus alis ramificata, ac quam plurimis aliis negotiis vtilia. istis sæpe vtimur illius loco, quod Græci Dioption & Dioptera, & Latini speculū vocant, ad Vteri, aut Ani passiones indagandas accommodata. nobis a Clarissimo Andrea Mattheolo Senensi Cæsareæ Maiestatis Medico, donata fuere; ea conseruamus, & utimur. Rochetæ vocitantur, & sub his formis formari solent.

RO-

ROCHETAE.









Cvmqve in osse aliquo globulus firmiter infixus fuerit, ac ita hæreat, vt nullo ingenio inde dimoueri possit, Terebro solo, aut cannulo cincto, quæ mado dum magis ex vsu iudicabis vt educatur, terebello globulum perfo rādo operam dabis. siquidem instrumenta sic parata, apud Chirurgos castra sequentes, perpetuò circunferuntur. Cannulum ferreum est, teres, longitudine digiti, per mediū diuisum, per quod medium hastula teres in imo torculata pertrāsit, quę paulatim & gradatim conuoluitur. sic enim dum supra plumbeam glandem cannulus firmatur, & terebrum circunducitur, pila ita apprehenditur, quòd amplius dimoueri nequit, & facilimè absque carnis noxa extrahitur. Alterum simile paratur, cuius extremitas torculata exterius apparet. facit nempe ad pilas ac sagittas absque hastili euellendas, vt per has duas figuras videre expedit.

CANNVLVS SIMPLEX DIVISVS TEREBRO MVNITVS.



CANNVLVS TORCVLATVS CVM TEREBRO.



Alia cannuli forma integra parari solet, quæ huic operi conducere videtur, ac plurimum vsui seruatur, & ipsa pariter cum suo terebro fabricatur, vt in his tribus figuris apertissimè dignoscitur.

CAN-

CANNVLVS SIMPLEX INTEGER.

TEREBRVM TORCVLATVM.



CANNVLVS TEREBRO MVNITVS.



Non desunt quàm plurima alia instrumenta his operationibus accommodata, quæ nunc, ne nimis prolixa sit oratio, dimittere decreuimus, sequentes nimirum operandi modum. Si ergò euenit vt partem aduersam secare liceat, vbi caro crassa non apparuerit, ac prope cutem telum quieuerit, nec neruus, aut vena, aut tale quidpiam obstiterit quo minus ad globulum vsque sine periculo vulnus perueniat, secetur, & si globus se ostenderit, tunc aut digitis, aut hamulis, aut rostro aliquo, aut terebris, aut alio ingenio, in quo firmari globulus commodè possit,

sit, aut quicquid continetur euellatur, statimque specillo, aut digito, si intus quid aliud præter naturam occultum remanserit, perquiratur. nam, vt dictum est, solent globuli varia secum afferre. igitur, si loricæ fragmenta, quia firmiter infixa, aut minima, aut abscondita, euelli nequeant, nullo modo vi aliqua extrahi debent, sed naturæ dimittantur, quæ aut unà cum puris copia, aut orto aliquo abscessu, similia transmittere solita est, ad plenum obseruatis, quæ ab Hippocrate commemorantur. Siquidem si affectum summouere non ualemus, cauere saltem debemus, ne illum augeamus. quare cum rem aliter se habere cognoscimus, quàm quæ tuto per nos tractari possit, ab opere abstinere debemus.

DE VICTVS INSTITVTIONE ac dolorum sedatione. Cap. III.

EVulso globulo, si sanguinis profluuium apparuerit (interdũ enim in his uulneribus parcissime effluere solet) eo modo quo sæpius dictum est, sistatur. quamuis multoties ipsum emanare, præsidium optimum est. sic enim vulnus siccius, & ab inflammatione magis tutum redditur. laudatur tamẽ ad sanguinem cohibendum, bolus armenus, thus, aloes, & sal, dimisso nempe oui albumine, & posca si decet, quæ ex aqua & aceto componitur. sin minus, eo uti conuenit. si hæc non iuuant, ferro ignito locus pluries aduratur. nam sic & caro attrita absumentur. deinde si dolor atrox membrum infestauerit, qui ad uires prosternendas, mortemq; ciendam fortissimum symptoma est, is certe remoueri debet. siquidem uulnus sanari nequit, dolore prius non sedato. Huic igitur symptomati cito, ac totis uiribus, incumbere licet. Hac ratione, uulnere uniuersõ cõmode linteolis, aut puluilis ex stupa probe pexa repleto, aliquod cataplasma ad hoc dicatum, ut dolores tollat, & fluxiones inhibeat, super dari debet. simile parari potest, ex farina hordeacea, fabaceaq;, ac puluere subtilissimo rosarum, mirtilorum, pimpinellæ, & consolidæ, addito uino nigro, oleo rosato, sambacino, & sapa. Porrò ut cito dolor quiescat, nil præstantius oleo sambacino, & sulphure ignem non experto. ueluti, Recip. olei sambacini vnc ij. sulphuris uiui drag. ij. pa rum bulliant, & utere. adhuc etiam præstantissimum remedium esse solet, oleum de terebinthina, & illud de momordica, aut hypericonis magistrale, semper addito sulphure vt dictum est. Intemperie aliqua apparente, contrarijs qualitatibus tollenda est. Dolores ergo à mala temperatura genitos, communiter & cõmode sedamus, in attritis uulneribus, aut saltem mitigamus, euacuato, ut expedit, prius corpore, facto ad particulam læsam fotu, ex sambacino, & rosaceo tepido, si adsit præsto fuerit, quod sæpe renouari debet. vel si eorum copia non adsit, ex communi oleo, quod modice incaluerit. quibus, si oui luteum ubi magna inflãmatio, aut vehemens caliditas non apparuerit, adiiciatur, præstantius adhuc efficies auxilium. valent solani radices tritæ, & suilla axungia exceptæ. iuuat etiam emplastrum ex maluis decoctis, ac tenuissime tritis, additis furfuribus tritici cribratis, oleo rosato, oui luteo, & croco. medulla etiam panis, in feruenti lacte decocta, aut aqua macerata, cum rhodino, vitellis ouorum, & croco, efficacissima est. hæc circa, & supra vulnus applicãda sunt, eo prius lichinis leuibus tamẽ, & quæ ad fundũ omnino non perueniant, terebinthina, & oleo hypericonis, aut zanetino madefactis, repleto. nam hæc dolores leniunt, innatum calorem corroborant, & affectam partem ab omni putredine vindicant. probatur etiam ad hoc, oleũ sambucinum & liliaceum. nonnulli etiam peritissimi viri affirmant, celebre præsidiũ esse, vinum citoniorum, aut mucillaginem ab eorum seminibus extractam, & vere secretum mirabile est. at si à malo succo, qui ad affectum confluit locum, mala aliqua

aliqua temperatura oritur, siue eius qualitas fuerit, aut redundantis copia ad finẽ desideratum deuenire oportet, nempe sanguinis missione, quæ sine mora celebranda est. & si veneficii alicuius affectus suspicio aderit, alexiteriis, idest medicinis veneno resistentibus per os sumptis, clysteribus, dieta conuenienti, quiete, & similibus tollatur. demum apocrusticis, idest medicinis temperate repellentibus, qualibus illæ sunt, quæ aliunde occurrentes sibi succos repellant, ac transmittant, affecta sedes regatur; non tamen ut potentius refrigerent, sed ita ne, uis veneni, si quid remanserit, ad internas regiones remeet, & nẽ vulneratus locus, ob confluentes humores, intumescat. siquidem in laceratis vulneribus, ob loci imbecillitatẽ, quamplurimæ ibi aggregantur superfluitates, non tantum ex tarda congestione, sed defluendo, siue à toto, siue ab officiali membro, plenitudine aliqua laborante, ex quo pars affecta imbecilla redditur. vnde mirum non est, si inflammatione, aut sphacelo, facillimè affligatur. ob id quærendum est, vt membri propria habitudo, siue temperies conseruetur; quæ instrumentum est, quo natura, ad manutenendum quod sibi proprium est ac familiare, & ad expellendum quod noxium est, & non naturale, vtitur. repellunt temperate, non absque aliqua corroboratione, vinum nigrum austerum, oui albumen, oleum mirtinũ, rhodinum, hydrelæon, idest aqua & oleum, oxelæon, idest acetum & oleum, ceratum rosatum, aut ex psilio, bolus armena, terra lemnia, puluis coriandrorum, farina fabacea, & similia. Interdum fascia rite conuoluta, aut vincula superius adhibita, quæ nec dura sint, nec grauia, ne presso loco, dolores augeantur, nec decet infirmo loco, repellens auxilium adhibere, sed superius collocandum est, vt quod transfluit inhibeat.

In his omnibus operationibus, cauere oportet, ne pus, aut ichor, siue sanies retineatur, sed defluat, & omni studio quæratur, vt medicamenta commode intromittantur, & quod omnes partes indifferenter attingant. ob id negamus aliquam fore utilitatem in laqueo, quo multi vtuntur, dum ab vtraque parte vulnus perueneritsed turundæ tantæ duntaxat longitudinis sint, ac crassitiei, vt ne vulnus ex toto claudatur, sic vt prohibere possit, quo aptè ex eo pus effluere valeat. Et quia de maxime alterantibus corpora nostra, est aer, ideo hic temperatus eligatur, victus tenuis, & paucus instituatur. cibaria cruda, acuta, salsa, & quæ humidum succum gignunt, aut multum nutriunt, dimittantur. vinum omnibus, nisi maxima apparente indigentia interdicatur. aqua cocta potus esto, aut eius loco hordeacea, aut ptisanæ cremor propinetur. motus sit nullus. nam his quies optimum remedium est. somnus naturalis bonus, uigiliæ longæ malę, animi accidentia, ac venus semper mala. His oĩbus opportune institutis, uulnus in digestione, abstersione, exiccatione, & aliis requisitis indicationibus secundum temporis necessitatem regatur, hoc addito, quòd Chirurgi munus non est, plus minusve quàm deceat, infrigidare, aut calefacere, aut quouis alio modo dolores excitare ligando, stringendo, cooperiendo, foueõdo, cataplasmando, aut lichinia, siue turundas per peram administrando. quæ omnia Empiricis familiaria sunt.

DE MEDICAMENTIS CONCOQVENTIBVS, & pus mouere potentibus. Cap. IIII.

MEDICAMENTA, quę accedente calore innato pus mouent, seu, ut isti dicunt, uulnera digerunt, ex methodo his uulneribus administrantur, utpotè pro dignitate habetur quod in cõtuso vulnere si qua caro ex telo contusa & dissecta fuerit, curare oportet, quo quàm celerrime suppuretur: nam & minus inflammatur, & breuiori tempore sanatur. necesse est carnes contusas ac dissectas putrescere, & pus fieri, eliquari, ac consumi, postmodum nouas nasci: non

non preparata ergo huiuſcemodi uulnera committi non ſolent, etiam ſi adducan-
tur, nec ſua ſponte coeunt. Horum præparantium medicamentorum opus eſt, ſua
caliditate, ac temperata humiditate, in crudis, aut indigeſtis uulneribus, aut in iis,
quorum pori ſiue meatus, aut vicinæ uiæ obſtructæ fuerint ad extranearum hu-
miditatum ſenſibilem euacuationem præparare, caliditatem digeſtiuam uigoran
do, materiam ad alterationem ſimilem illi diſponendo, quæ in puris generatione
fit. Hæc in uulneribus, coagulatum ſanguinem, ac illi admixtas humiditates ſuper
fluas obſtructas & compactas, necnon in extremitatibus uenarum notabilium, ac
minimarum partium uidelicet attritarum, ac in locis ipſam attritionem ambien-
tibus præparat digerit ac diſponit, ut ſub quadam puris latitudine expurgetur,
quippe congelatio, & conſtrictio hæc, frigidorum medicamentorum applicatio-
ne, ac ambientis aeris actione producitur, ſucci ſiquid em alieni partim defluendo
ex potentia virtutis expulſiuæ membrorum validorum, varias ſuperfluitates ad
imbecillia tranſmittentium, partim per congeriem ex debilitate virtutis digeſti-
uæ & expulſiuæ ſedis affectæ, in vulnere congregantur, & præparationi aut quia
crudi, aut quia multi, aut quia eterogenei, id eſt, diuerſarum ſubſtantiarum, aut
quia extra propria vaſa ſunt, rebelles fiunt; hac de re præſertim in his contuſis ſiu
ue attritis vulneribus, hanc indicationem adminiſtrare conuenit potiſſimũ ſi pra-
ua non adfuerint ſymptomata. quibus illico incumbendum eſt: vulnere non negle
cto. Igitur ſuppreſſo ſanguine puris generationem feſtinare oportet, & lichinia,
ſiue penicilla aliquo digerente, ſeu, vt rectius dicamus, præparante medicamen
to illinita, in vulneribus imponere, ac proximas partes linimẽto modicè repellen
te, ac vi corroborandi prædito oblinire, & ſuperpoſita lata petia eodem digeren
te munita vulnus faſcia ſic, vt nullo modo dolorem inferat, obligare, hoc ſeruato
vt aut per poſitionem ſitus, aut facta ſectione opportuna ſanies liberè perpetuò
efflucre poſſit. igitur uulnus partem ſpectet inferiorem, vt à confluentibus humi-
ditatibus, immune reddatur. poſtea vt patiens quieſcat, curandum eſt. Quæ
pus mouent diuerſimode parantur, & quę primum ordinem ſeruant, hæc ſunt. Re
cip. olei roſati vnc. iij. uitelli ouorum nu. j. miſce. Secundum. Recip. olei roſati ma
turi vnc. iij. vitellos ouorum nu. ij. croci parum. miſce. Tertium. Recip. reſinæ tere
binthinæ vnc. iiij. corticum thuris, maſticis an. drag. iij. olei roſati maturi, hyperico
nis an. vnc. j. vitellos ouorum nu. ij. croci parum. miſce. Quartum eſt Galeni Pica-
tum, aut tetrapharmacum, ex pice colophonia, cera, & adipe taurina, aut vituli-
na. huic addunt aliqui rhodinum, & oui luteum. Huiuſcemodi medicamenta non
ſolum pus mouent, ſed doloribus opitulantur, vnaque abſtergunt, & corrobo-
rant. linimenta verò, quibus vicina inũguntur, ſic parari ſolent. Recip. olei de cor
ticibus ſambuci, omphacini, maſticini an. vnc. ij. vnguenti ſandalini, ceræ an. vnc.
j. miſce, aut Recip. vnguẽti roſati Meſues vnc. ij. boli armeni vnc. j. aceti roſati q. s.
pro linimento. aut accipite duos caniculos recens natos, vermiũ terreſtrium vnc.
ij. olei violati, roſati an. vnc. ij. coquito, & percolato: vulnus donec omnis ſuſpi-
cio prætercrit, ſic pertractabis, vel donec vllam futuram inflammationem verea
ris, quæ ad ſeptimam vſque, aut decimam quartam diem ſemper timenda eſt. Vul
nus quotidie, niſi magna ſaniei copia apparuerit, hyeme ſemel, bis eſtate curabis.
Pure denique in quali & quanto laudabili apparente indicationes mutare expe-
dit; & hoc vnum aduertendum eſt, quòd in contuſis vulneribus, aut magnis attri-
tionibus, vel ſemiadultis, aut aliquo veneno alteratis, non ita uelox fit ſaniei præ
paratio, veluti in aliis & purioribus, nec in omni ætate, aut habitudine, temporis
conſtitutione, viuendi modo, & ſexu, ſed in aliquibus citò, in aliis ſerius. Et, ſi
vulnera huiuſcemodi vnius membri vtrunque latus perforauerit, decet quippe
ambas partes donec optimè expurgatæ fuerint, & a ſymptomatibus liberæ aper-
tas conſeruare. igitur duo lichinia mollia, ac tantæ longitudinis vt ſe contingant,
aliquo conuenienti medicamento illinita, imponantur: laqueolus verò ex lineo

panno

panno digiti latitudine, qui vtranque partem amplectatur, non ſemper pro-
batur, niſi carnoſis partibus tãtum perforatis. Siquidẽ, ubi oſſa læſa ſunt, aut quid
præter naturam in vulnere continetur, ſolent & dolores, & inflammationes affer
re, ac internam corruptionem producere. Nec conſolidationem accelerare
oportet; nam hi affectus non curantur, niſi ſedes affecta fuerit optimè diſpoſita, &
a ſymptomatibus immunis.

DE MEDICINIS ABSTERGENTIBVS & carnem inducentibus. Cap. V.

CVMPRIMVM in uulnere concoctio aliqua, ſiue digeſtio apparue
rit, quæ futuram ſalutem præſagiat, nullo dolore, aut inflamma-
tione, aut extenſione ſupernaſcente, ad alias indicationes tranſi
re opus eſt, nempe ad conuenientem abſterſionem, cauitatis re-
pletionem, & optimam ſigillationem, ſiue cutis inductionem.
Sed quia [a] in ſolutis continuitatibus duæ perpetuò producun- a ¶Gal. 3. meth. cap. 3.
tur humiditates, præſertim in deperditæ carnis regeneratione, altera quidem ſub
tilis quæ ichor Græcè, & virus Latinè: altera craſſa, a Græcis eleodes, & a Latinis
ſordes uocitata, ex tenui, uulnus humectatur, & ex craſſa, ſordidum redditur, id-
que duplici medicamento regi debet, utique humidum ſiccantibus, ſordidum ve
rò expurgantibus. Ergò cum nullo unquam tempore natura in hoc ceſſet, certè
nec tempus vllum erit, in quo non utrunque medicamẽtorum genus deſideretur;
vtique & quod ſiccet, & quod expurget. De [b] neceſſitate talia uulnera caua- b ¶Hipp. lib. de ulceribus.
fiunt, præſertim dum pus copioſè in eis conficitur. nam caro contuſa corrumpitur,
modò magis, modò minus, pro puris quantitate. inſuper vi quadam globuli car-
nem introeuntes, eam contundunt, ac attritam reddunt, quę poſtmodum in pus
conuertitur, & ſic cauum uulnus efficitur. Sordes quoque fluentes, ut maius
fiat cauum, non mediocriter conferunt. ergò in horum curatione abſterſio ſum-
mè neceſſaria eſt: talis quidem [c] celebratur medicinis, quæ aut nihil, aut parum c ¶ Gal. 3. com. li. Hipp. de frac.
mordeant, atque magis ſi aut febris, aut aliud accidens adfuerit. Quæratur igitur
an uulnus ſordidum ſit, a Græcis riparon dicitur, quod debiliori eget abſterſio-
ne, aut ſordidius, quod fortaſſis nomodes dici poſſet, & ualidiorem deſiderat ab-
ſterſionem. quippe ſordes tanquam tegumentum carnis, generationem prohibet.
dignoſcitur nempe, quia ſubſtãtia eſt denſa, coagulata, ſubalbida, aut cinericij co-
loris, aut cœno ſimilis. generatur quidem ex glutinoſiori parte humorum craſſo-
rum, & viſcoſorum: interdum ab imbecillioribus medicamentis, ſæpe a carne ſub-
ſidente colliquata: exit a magnis abſceſſibus, & vlceribus concauis, aut laceratis,
aut malignis, & praua temperie affectis. cum [d] uerò a ratione cauorum uulne- d ¶ Gal. 3. meth. cap. 5. & 2. Katageni. Auic. 4. 4. c 11. 4. 4 tra. 3. ca. 7 & c. de ulc e. ford.
rum curationem molimur, loco deperditę, noua naſcente carne, ex ea uidelicet,
quę ſubiecta eſt, id fieri non poteſt, ſi in uulnere ſordes, aut copioſa humiditas in-
ſit: quare prius expedit uulnus optimè expurgare, poſtea in eo carnem produce-
re, humores ſiquidem, qui a corpore ad plagam feruntur, quia madefaciunt uul-
neris oras, committi, & agglutinari non ſinunt, ſed dolores, aut inflammationes
concitant, & carnem, quę iuxta eſt, lędunt. Solent communiter medicamenta
hęc a Græcis, ſecundum eorum imbecilliorem, aut validiorem operationem, rhi-
ptica ſympiptica, & cathartica, & à Latinis purgantia, & abſtergentia vocari, ea-
que ab omni ſanie, putredine, cruſtis, eſcharis, ſquammis, carne addita, & ſimili-
bus corpus & vulnus nitidum reddunt, & mundant: at ea propriè purgantia dicun
tur, quæ ſolis vulneribus applicantur, ut ea a proprijs ſuperfluitatibus mundent,
veluti ſordida à ſordibus, virulenta à virulentia, putrida à putredine, vermiculo-

ſa

sa à vermibus,& similia; & eorum opus est in subtili materia detergere & exiccare,& in crassa attenuare,& dissoluere. Porrò abstergunt,& vulnus nitidum reddunt medicamenta diuersarum formarum,siquidem alia simplicia, & alia composita sunt:ac inter simplicia enumeratur hordeacea farina,lupinorum,orobi,aloes, aristolochia, gentiana, apium, alumen,& similia,& quibus aliqua amaritudo, & acuitas inest, præter mel, quod cæteris præstat. Inter compositа hoc probatur, Mellis vnc.iiij.farinæ orobi unc.ij.olibani,irios an.unc.j.succi apij unc. iiij. misce, aut Recip.mellis unc.x.farinæ siliginis,lupinorum,hordei an.unc.j.myrrhæ, aloes an.unc.s.succi apij, absynthij an. unc. iij. terebinthinæ claræ unc.ij.bulliant succi vnà cum farinis,inde omnia addantur, & secundum artem fiat unguentum. Facit ad hoc vnguentum Isis [a] quod ab emplastro ceraceos,aut ex duodecim rebus Apostolorum vocitato non multum differt, aut per se, aut alteri admixtum: nos verò si magna sanierum copia, aut sordium siuè immunditiei aliud genus in his uulneribus apparuerit, nullum præstantius medicamentum inuenire potuimus, quàm simile. Recip.Terebinthinæ claræ,succi apij an.unc. ij. farinæ orobi unc.j. vnguenti ægyptiaci unc.s.& plus si decet,misce, in tenellis, & delicatis corporibus ad faciliorem ingressum.& ut in omnem sinum facilius iniiciatur, cerato humido,aut cerussato colliquare aliquod horum medicamentorum expedit:in militibus autem,aut in his,qui laboribus assueti sunt,aut vitam sub Sole degunt, marina aqua,aut lixiuio:at si lotio aliqua opportuna fuerit, fiat cum vino, aut lixiuio, aut lupinorum decocto,addito ægyptiaco,ea quantitate, ut non admodum mordeat. Et si vnà cum absterſione corroborationem expectabis,Recip.aquæ consolidæ,centaureæ,caudæ equinæ an. vnc.x.myrtillorum, mirabolanorum, citrinorum, radicum glycyrrhizæ,consolidæ maioris an.vnc.s.pimpinellæ, tormentillæ an.m.s.thuris,boli armeni an.drag. ij. zucchari rosati.unc.ij.misce, & fiat decoctum,& si expedit adde ægyptiaci unc. j. Cumque ab omni sorde uulnus denudatum fuerit,carne repleatur,& tunc in eos medicamenta, quæ a Græcis sarcotica,& a Latinis carnem producentia dicuntur,imponantur,ea [b] nempè quæ primũ exiccationis ordinem non multum transgrediuntur:& circa hoc quædã cõtempla ri oportet,primò sedis affectæ radicale tẽperamẽtũ,secundò uulneris cõditiones. nã si mẽbrũ humidæ tẽperaturæ fuerit,vulnus verò nõ,tũc exigua exiccatio in primo videlicet ordine sat erit:in mẽbro verò sicco, & uulnere uehemẽter humido, quæ in secũdo,& tertio ordine exiccãt,sũt opportuna: in tẽperatis postea tẽperata prosũt:porrò ab his q̃ vehementer astringũt, immodicè siccãt,ac sua acrimonia mordicant,cauere oportet. Adhuc in noua carnis generatione coniicere decet,an mẽbrũ propriã seruet tẽperiẽ,& si sanguis,qui fluit,bonus sit,& in quantitate moderatus. nam si membrum propriarum qualitatum symmetriam non seruauerit, ad temperiem contrariis qualitatibus reducatur.Si verò sanguis in qualitate peccauerit,serapiis,ac victus regimine coerceri debet:si multitudine, sanguinis missione,& tenui victu corrigatur: sed cum membrum in temperie constitutum fuerit,& sanguis bonus extiterit,ac vulnus ab omni immũditie expurgatum, procul dubio in eo caro bona producetur,quæ ferè absque medicamento procreabitur, cum natura in optimo perstiterit statu,agatque in patiente bene disposito cũ determinatis conditionibus. Adhuc scire licèt [c] quòd materia carnis est sanguis bonus,opifex verò natura,quæ id sponte efficiet,vbi a Medico vulnus ab impedimẽtis purgatum,ac absterſum fuerit:Medicamenta verò,quæ hoc faciũt,ea sunt,quę sanguinem bonum in carnem coagulant,& permutant, & sub diuersis formis parantur,aut suffusi,siue pulueris,aut lotionis, aut vnguenti: pro puluere probatur thus,iris,aristolochia,mastix,aloes,panax,cadmia,pompholix,farina erui,fabarũ, hordei, & similia:profundiores verò sinus abluere non est inconueniens, decocto centaurij,consolidæ,equiseti,foliorum oliuæ,thuris,irios, & prædictorum in vino dulci,aut aqua thermarũ,aut chalybeata,aut aluminosa,aut hordeacea, aut dulci

a ¶ Ex Glicone antiquissimo. Ex Scribonio Largo. Ex Gale. Act.& Paulo.

b Gal.3.meth. can.2. Auic 2.1. Cop.4.

c ¶Gal.3.meth. cap.3.4.Auic 4. 4.cap.4.

dulci lixiuio,quod Græci ſtacte vocant,semper addito melle,abluatur leuiter,ne dolor exacerbetur:puluillos inde nec longos,nec crassos aliquo emplastro munitos inserere oportet,ueluti illo Galeni, [a] quod cirum dicitur,aut diacartũ,quod de charta combusta vocatur,aut Macherionis,aut dicromа,aut illud celebre barbarum,vel simile aliud,quod exiccando ea moueat, quæ a tali operatione naturam impedire solent:recentiores verò eo vtuntur medicamento,quod,quia citri colorem præ se fert,citrinum vocant,alij ob resinæ ingressum resinum; multi basilicum,siue regale laudãt:nos verò hoc probamus,Recip.olei masticini vn.j.s.abietini vnc.j. mannæ thuris vnc.s. equiseti, tormentillæ,pilosellæ, consolidæ maioris,hypericonis,plantaginis,betonicæ an.m.s.vermium terrestrium lotorum cum vino vnc.ij.vini nigri austeri q.s.misce,& liquentur ad ignem vsque ad vini consumptionem.postea coletur,& facta forti expressione,adde ceræ, sepi hircini an. vnc.iiij.thuris,myrrhæ,masticis,aloes an.vnc.s.misce,& secundum artem fiat unguentum molle.desuper verò linteola diaphinicine emplastro, quod diapalma isti uocant,masticino oleo liquato munita superponãtur.Si verò exterius fortiora medicamenta fuerint opportuna,multa ex metallicis confecta parantur, ueluti illud epipasticum, [b] aut ex squammis: [c] linteolum verò plurimis in locis perforatum sit,ut uulnus perpetuò expurgetur,sitque in ea quantitate,& latitudine, vt saltem per duos, aut tres digitos totam uulneris circunferentiam amplectatur, ac superpositа stupa,duplici panno inuoluta,fascia lata, & longa, prout membri uulnerati situs,& magnitudo exigit,vulnus deligabis.Repleto uulnere, cicatricẽ inducunt,quæ carnis superficiem adeo potenter exiccant,ut ipsam in cutis morẽ duram efficiant,quæ inter seminaria membra locatur,ideo neque augetur, neq; coalescit,ueluti ceratum de minio,aut græcum,aut palmulatum: sic enim sclopetorum vulnerum,præsertim carnosarum partium,absque prauis symptomatibus, curationem instituere oportet.

a ¶ 2.ad Glauc. cap.de sinu.2.de comp.medic.in genera.

b ¶ 5. de simp. med. facultatibus.

c ¶ 4. de comp. med. Katag.

DE SYMPTOMATVM, QVAE FVLMINATIS VULNERIBUS OCCURRUNT, CORRECTIONE. Cap. VI.

VARIA, ac sæua symptomata his fulminatis uulneribus superuenire solent,quorũ aliqua indicatione sumpta a natura partis affectæ, ferè necessariè occurrũt, quèadmodũ in partibus neruosis, tristis sensus,inflãmatio,febris,& cõuulsio; uel indicatione sumpta a teli impetu,sanguinis copia,contusio,siue laceratio,quæ dã combustio,neruorum attritio,ossium fracturæ,& aliqua uenefica dispositio:aut indicatione sumpta a Medici mala curatione, membri corruptio,sphacelon Græci uocant,aut ancylositas,aut ea ferè omnia superius enarrata,hac de re,ut ea quæ apparent,corrigantur,studere oportet: uerùm quia superius abunde de sanguinis fluxu,tristi sensatione,& inflammatione dictum est, sat fuerit ea hic pertransire:sed tantum de attritione,combustione, neruorum sectione,ossium fracturis,conuulsione,ueneno,& sphacelo,quę omnia in presenti,loco cuiusdam accidentis habentur,nonnulla epilogando dicere expedit, & in primis de attrito,siue contuso,aut lacerato uulnere narrationem aggrediamur.

DE ATTRITIONE.

CVM ex uiolento aliquo ictu, uel alio quopiam ualido motu a telo obtuso,carnosæ partes dilaniantur,& neruorum,aut tendonum uilli, aut lacertorum extremitates inuicem separantur,talis passio attritio uocatur: cum uerò nulla continui solutio apparet,simplex contusio dicitur:& si lacerti sub stantia separatur,uulnus contusum nuncupatur.Fit itaque simplex contusio, cum caro sub irruente extrinsecus aliquo uiolento,ualido,& duro corpore,ita collidi tur,ut partis læsæ,externa facies integra remaneat,& in profundo multæ ac paruę

¶ Gal 3.meth c. 1 4.meth. ca.1. Act lib.14.c.69 Paul.lib.4.c.30 Auic 2.1. doct. 1.cap 4.& 4. tr.2.cap.1.2.

diuisiones occultentur. collisio etiam hic affectus uocari solet, a Græcis thlasmà, & regma: dum uerò partes apparentes carnosæ nimirum adeo segregantur, ut maxima fiat sanguinis manifesta effusio, diapedesin Græci uocant; loci tumefactio, ac uulneris laceratio, ab Auicenna attritio, & dissolutio dicitur. in qua nõ solum caro attrita apparet, sed liuida, inæqualis, & dolore prædita, ut in fulminatis uulneribus apertissimè dignoscitur, quæ interdum admodum raro externas tantũ partes lædunt, sæpe uerò profundas aut internas, & ut plurimum necantia sunt. Cum igitur ad extrinsecorum curationem accesseris, duæ tibi occurrent indicationes, quarum prima ad dolores sedandos dirigitur. Secunda, ut quod attritum, aut contusum est, præparetur, & in saniem uertatur: nec oportet ut prima indicatio fiat in attritione, cum reditione continuitatis partium laceratarum, sed ad remittendos dolores. Effunditur siquidem in his, sanguis plurimus, & partes imbecilliores redduntur, dolent ac inflammantur; unde sphacelum uereri oportet, præsertim cum eius discussionem, ob uehementem cutis constipationem a telo, ab ambiente, & medicinis frigidis, sperare absurdum sit. etenim carnes quæ contusæ sunt, in pus uerti necessum est. Vbi ergo dolorem uehementer urgere cognoueris, anodyna, & mitigatoria, uulnere non neglecto, exterius applices. Sedato nempe dolore, puris generationem curabis, ut superius copiosè explicauimus: hoc semper seruato, ut, quæ in consortio, situatæ sunt partes, in sua naturali dispositione conseruentur, & ab omni putredine defendantur. quare expedit interdum, simili cataplasmate uti, sed prius inungantur oleo decoctionis foliorum ulmi, extremitatum ebuli, & lumbricorum terrestriũ. cataplasma sic paratur. Recip. farinæ hordei, seminum lini, fœnugræci an. vnc. ij. florum camomillæ, sertulæ campanæ, furfuris tritici an. m. s. pulueris carnium dauci, spicæ, comarum absynthij an. drag. j. olei mastichini, myrtini, mellis an. vnc. j. s. rob vn. iij. lixiuij clari q. s. & in fine adde boli armeni, sanguinis draconis, & secundum artem fiat cataplasma, quod totam contusam partem contegat: sic enim attritiones, loco cuiusdam symptomatis, regendæ sunt.

DE COMBVSTIONE.

Solet interdum, quod equidem mirum est, in his fulminatis uulneribus adustionis species quædam apparere, quę fortasis caro contusa & denigrata est, & satis molestum symptoma. parietes siquidem, seu uulneris labra, a tali uehementi ictu, humido proprio quoquomodo priuantur, ac exiccantur, quòd in eis crusta quędam residere solet, quam Græci escharam, uel potius ephelcidan uocant, his ferè similis, quę ab ignito cauterio imprimitur. ob id aliqui talia uulnera, inter adusta connumerare uidentur. Escharæ [a] enim partes sunt carnosæ substantiæ, aut cutaneæ, quæ a proprio humido relinquuntur, accedente calido aliquo in summo, & violento. Remouetur [b] hoc accidens, sedato prius dolore, ac mala partis habitudine discussa, escharam dimouendo, quę si debilis fuerit, duplici ratione, uel medicamentis, quæ modicè abstergant, non cuidenter calefaciant, aut infrigident, ac moderatè humectent, vel quæ membrum a putrilagine præseruent; hæc potissimum non in ipso uulnere, sed circa uulnus applicanda sunt. Cum ergo uulnus aliqua adustione affligitur, lichinia, quæ in eo imponuntur, tali medicamento conuoluantur. Recip. ouum totum contusum, & cum luto armeno, & farina hordei, & melle fiat unguentum; aut Recip. uitellos ouorum assatorum numero. iiij ceræ albæ, spumæ argenti lotæ an. vnc. ij. misce. aut cerussam cum farina hordei, thure, & oleo myrtino. aut Recip. aquam, in qua calx extincta fuerit, & cum oleo nucum, cerussa, lithargyrio, & modica cera fiat unguentum. aut Recip. olei rosati vnc. viij. nitri albi subtilissimè pulueriz ati vnc. ij. ceræ albæ vnc. j. s. corticum internorum sambuci m. j. bulliant omnia, & colentur, & utere. Circa uulnus latitudine quatuor digitorum rodeolum cum oui luteo, molli lana exceptum, applicetur. aut tale adhibeatur emplastrum. Recip. foliorum plantaginis, rosarum an. m. ij. coquantur, & pistentur, & adde uitellos ouorum numero. iij. olei rosati, farinæ hordei an. vnc. ij. lithargyrij argentei vnc. j. misce. escharа, si qua fuerit, ui dimoueri non debet, sed ut sua sponte cadat, expectetur; inde uulnus, secundum opportunas indicationes, regatur.

a ¶ Arist. 1. problem. 56.
b ¶ Cels. li. 5. ca. de adust. Act. li. 14. cap. 6. Paul. li. 4. ca. 11. Auic. 4. 4. & 2. c. 12. Rasis 7. ad Alm. ca. 10.

DE SAVCIATIS SIVE ATTRITIS NERVIS.

Rarò à globulis, præsertim diuersarum formarum, continuum soluitur, quin attritum, aut dilaniatum appareat; unde & neruosæ partes affligi necesse est. nerui uerò, tendines, ligamenta, seu sindesmi, quia eiusdem speciei sunt, parumque natura differunt, in præsenti sub uno nomine comprehendantur, unde ad eorum læsiones, sæua admodum occurrunt accidentia, vt de affectis neruis superius explicauimus, ubi uictus regimen institutum, ac euacuandi rationes copiosè uidere licet. In topicis verò, siue localibus medicinis, duo requiruntur, ut dolores tollant, & vulnus præparent, sed habita naturæ partis ratione. unctuosa, & humida medicamenta, de quibus paulò ante egimus, omittenda omnino sunt, nisi fortè dolor, aut aliud simile, ad se totam distrahat curationem. tunc enim pars tota affecta, oleo masticino, è semine lini, & rosaceo fouere expedit: inde emplastrum superponere ex althæa in oxymellite, aut lixiuio cocta, cum farina fabarum, hordeacea, eruina, rosis, myrtis, sapa, & oxymellite cum modico croco: siquidem in similibus uulneribus adeo atteruntur, & lacerantur partes, quòd quàm facilimè, & quauis leui de causa aut inflammantur, aut sphacelo tentantur, quare nec penicillos interdum in uulnus immittere audemus, & siqui requirantur, breues admodum, mollesq; sint, ne dolor augeatur. Vulnus primis diebus glutine albotin regatur, pro dimidio hypericonis oleo addito: postmodum tali medicamento uti decet. Recip. resinæ terebinthinæ, aut abietinæ unc. iiij. olei masticini, hypericonis an. vnc. ij. seminum perforatæ, momordicæ an. drag. iij. sulphuris ignem non experti drag. ij. pulueris lumbricorum terrestrium, sub umbra exiccatorum vnc. s. modicè terantur quæ terenda sunt, ac in duplici uase per dimidium horæ bulliant, & colentur, & quod percolatum est, usui seruetur, &, si ualidior siccitas requiratur, ea quippe medicamenta, quæ superius libro tertio, capite de uulneribus neruorum, a nobis fuere descripta, opportuna sunt: si qua verò putredo, ut solet, in uulnere gignetur, rhodomelle tollatur, aut sapa cum ægyptiaco stacte soluto: proximas uerò partes, modicè repellente aliquo linimento, oblinire oportet, ipsumque uulnus deinceps opportuna fascia deligare, & quieti ægrum committere; postremò ea ad unguem seruanda, quæ in similibus uulneribus enarrata sunt.

DE OSSIVM FRACTVRIS.

Si globulus, siue sphærula usque ad os peruenerit, ac illud percusserit, fregeritque cum os eius impetum ferre nequit, inde negotio haud quaquam leui educitur: etenim tantus est huius teli impetus, ac tanta uis, ut quæ ad resistendum magis apta uidentur, eadem magis lædantur. nam facilè perfringuntur, atteruntur que ossa: unde plurimi qui liberantur, claudi anchilosi aut fistulosi remanent. dignoscitur fractura digiti, aut specilli impositione, ex inæqualitate, aut asperitate, aut a sede affecta, ex arbitrarij motus impotentia, aut ex iusta natura, si alteri simili comparabis, aut ab eius crepitu, aut quia detectum est, aut quia fragmenta exierint, aut aperte per uulnus manifestatur. Duplici modo a forti ictu ossa frangi solent, uel secundum omnem partem, uel in ea tantum, ubi sedes affecta est, uel in hac, & alibi. Solet sanè euenire ab huius teli impetu, ut altera parte fuerit ictus, & altera os fissũ sit: hac ratione fabrica hominis, siue ossium compositio, quam scelethon Græci uocant, uobis in mente sit. Porrò uariæ sunt horum affectuum species, quæ quatenus ad primum scopum attinet, non sane-

sciunt: quatenus uerò ad secundum, quodammodo sanari possunt, nam fractura sic
à Latinis dicta, a Græcis uerò catagma, pro genere habetur, & est continu itatis in
osse solutio, quæ secundum eius effectum diuersimodè nominatur, ut pote si per
transuersum in medio frangitur, agma Græce, Latine transuersalis, aut uirgalis fra
ctura nuncupatur: si uerò finis ossis, qua parte maxime cum alio committitur, abru
ptus est, apagma Græcè dicitur: si autem secundum longitudinem scinditur, Græcè
schidacidon, & Latinè linealis fractura uocatur. Interdum à fracturę forma ei
nomen imponitur, aliquorum fructuum, aut plantarum similitudine sumpta, nẽ-
pè ad caulium, raphanorum, aut cucumerorum fractorum speciem, & formam,
quas Greci cauledon, raphanidon, & ciciedon uocant, eas Latini astales, raphana-
les, & arundinales dicunt. porrò simplices fracturæ esse possunt, ossibus tantum
fractis, nulla alia substantia læsa, sed non à causa tali, de qua sermo noster nunc in
stituturus est. ut plurimum uerò compositę. componuntur quippe cum alio morbo,
ut carnis attritione, aut diuerso symptomate, ut atroci dolore, aut propria causa,
ut globulo ibi existente, præsertim cum intime caro ab eo laceratur. Altera fractu
rę speciesreperitur a ualde uehementi ictu producta ad furfurum imaginem, Gręce alphitidon, & caryedon, Arabicè Sauchiem, siue aluischi, & Latinè rimularis
fractura denominatur, cum os in multas, tenuesque partes frangitur. Adhuc fra-
ctura altera a globulo causata dari solet, quę Græcè apotrausis, & apocope, Arabi
ce alcasia, & Latinè refractio, & præcisio dicitur, cum pars ossis per summitatem
ruptam, seu superficiei abruptionem detrahitur: ita, ut pars ea quæ detracta est
& recessit, & supereminet, ut ferè fit cum squammula ab osse resoluitur. Quàm
plurimæ aliæ fracturarum species videri solent, quæ ratione sedis affectæ, ut in pri
mo libro de Caluariæ curatione legitur, aliqua propria nomina sibi sortita sunt,
a ¶meth.cap.5. quas in hoc loco silentio transire decreuimus. Galenus [a] tamen, duas præci-
puas fracturarum differentias tantum assignare videtur, nempe quę per transuer-
sum, & quę per longitudinem contingunt, a quibus potissimę indicationes curati-
uę sumi debent. Apud Celsum [b] tertia reperitur, scilicet quę oblique procedit.
b ¶li.8.ca.1. Cum igitur ab ictu tali, ossa frangi contigerit, curantur [c] indicatione sumpta a
c ¶Hipp.lib.de fract. fractura, & modo fracturæ: a fractura, ę quatione, & conuenienti deligatione. quip
Gal.lib.art part. med.cap.91.6. meth.cap 5. Paul.li 6.ca 89. Auic.4.1.ca.28 & 5.4.& 2.ca.1. Albuc.li.3.ca.2 pe Medicus, & luxationum, & fracturarum extensiones quam directissimas fa-
ciat oportet: hæc enim ęquatio iustissima Hippocratis natura est: si uerò quid uel
huc uel illuc inclinauerit, ad pronam partem uergere iustũ est: hac de causa ę qua-
tioni primò studere oportet. a modo fracturę, particularibus operationibus, nem
pe fascijs, feruliis, splenijs, capsulis, & similibus. porrò duę indicationes sanatiuę in
omni ossiũ fractura conueniunt, mẽbri æquatio, & ossiũ unitio, cũ fractura sit mor
bus in forma, & plasmatione: nec aliud est mẽbrũ equare, nisi illud secundũ naturę
institutũ plasmare. uerũ ad indicationũ executionẽ, hęc tantũ non sufficiunt. Sed,
& cõueniẽs deligatio, cũ mẽbra dura nõ primò, & secundũ primę intentionis mo
dũ uniũtur, rore scilicet, pprio, ac elemẽtari, vt viscosa ac mollia faciũt, sed secũda
rio callo interueniente. ob id necesse est, ut diu membrum plasmatum, ac os, in
propriam sedem iustè repositum, conuenienti deligatura conseruetur, præsertim
in quiete, quæ in coniungendis partibus sectis admodum prodest, ac optimum
medicamentum iudicatur: deambulare enim, aut stare, aut sedere, in ossium fractu
ris minimè conferre uidetur. Ergò statim homo in lecto collocandus est, siquidem absque longa quiete ossa non coeunt, nec poro ligantur. ac primis diebus
parcissimè nutriatur, sed paulò plenius, cum symptomatum tempus præte-
rierit. nam sat non est sola quies in calli productione. sed & victus ratio con-
ueniens, quippè callus, vt Latini dicunt, aut porus sarcois, ut Græci, vel alrosbot, siue oralbot, vt Arabes, per se, & nullius alterius interuentu gigni potest.
atque magis in viscosis, & humidioribus corporibus, quemadmodum in pueris
uidere licet. in adultis verò, & siccioribus, qualia sunt iuuenum, militum, na-
uigantium,

uigantium, & horum, qui sub sub sole, & in continuis laboribus vitam degunt,
separatæ fracti ossis particulæ non per se unquàm, sed duntaxat quapiam substan
tia interueniente, seu glutine quodam colligari sæpe contingit. est autem callus,
substantia quædam glutinosa, exterius locum fractum adeò ambiens, vt vix re-
moueri possit. nam proprie callus ossis dicitur, cuius interuentu ossis fracti
partes alligantur, generatur ex crassiore, ac viscosiore parte nutrimenti ossium.
Siquidem omnis nostri corporis particula sibi proprium, ac familiare trahit ali-
mentum: os verò crassius, ac uiscosius nutrimentum, magis quàm aliud quod-
uis membrum, ad se adducit, exugitque, ex quo nutritur, ac vegetatur. Sed
ibi primo feruet, ebullit, & concoquitur, ossisque substantiam extendit, & in
quendam eleuat tumorem, more stirpium, in quibus fiunt insertiones. nam
ad inuicem, cum calmellis fit quædam ebullitio, postea aglutinatio, & ex tali
concretione, ex duabus substantijs fit unum corpus conferruminatum. sic in os-
se fracto euenire contingit: quare uictus talis tunc esse debet, ut ex eo conueniens
nutrimentum procreetur, & callus gigni possit, qui ex ossium nutrimenti su-
perfluitate concrescit, & ex ea scilicet abundantia, quæ a labris fracturæ per-
petuò emanat, & est eius propria materia. producitur actrice natura, medici au
xilio, membri equatione, conuenienti deligatione, longa quiete, & uictus
decenti regimine. Hæc igitur in genere de ossium fracturis dicta sufficiant.
Singulatim verò si forte in magnum quodpiam os globulus impegerit, illudque
dissoluerit, ac minutas partes reddiderit, aut vniuersum membrum perforauerit,
& a sede dimouerit, dignosces primò, si cum sano membro affectum compa-
raueris, vel si membrum manibus pertractando, inæqualitatem perceperis, vel si
pungẽtes dolores ægrum afflixerint, vel si ossis particulæ exierint. post hæc, digi-
tis diligenter explorabis, nunquid vel globulus aliquis, uel ossis fracti, aut ferri,
aut alterius rei frustulum, præter naturæ ordinem in sede uulnerata detineatur.
quod, si fieri potest, eo, quo diximus, modo, extrahendum est, idque magis
si globulus solus fuerit, nec ullum prorsus symptoma, de quibus superius egi-
mus, apparuerit: ossium uerò particulæ forcipibus, aut uolsellis, aut tenacu-
lis, siue alio instrumento ui extrahendæ non sunt: nam si magno conatu diuel-
luntur, ligamenta, tendines, membranasque, aut venas, uel arterias lacera-
bunt: ex quo dolores uehementissimi fiunt, absessus sequuntur, conuulsio ap
paret, & mors sępe infertur. Sed opus penitus committatur naturæ, quæ cum
puris productione, aut nouę carnis generatione, ea quippe subnascente, tutò om-
nia extra mittit. quod admonet Hippocrates his uerbis, Fracta ossa nisi ex toto di-
mota sint, aut dolores inferant, ui non euellas, sed totum naturę committas. uerũ-
tamen producto pure, si à ligamentis natura ossa fracta dimouerit, vel vbi absce-
serint, uel ubi ex alimenti defectu a cæteris ossium partibus decederint, si natura
ea non extruserit, aut digitis, quod tutum est, aut alio ingenio euellenda omnino
sunt, hoc semper seruato, ut si non iuues, saltem non noceas. Cęterũ, si alia ossa si-
mul componi possunt, & ad naturalem statum, siue iustã naturã reduci, aut in pro
priã sedem reponi, omni studio, ut id facias, nitaris Galeni præcepto in tribus com
mentarijs de fracturis Hippocratis. at si cũ fractura luxatio aliqua adfuerit, ea pri-
mò accõmodãda est. postmodũ q̃ blandissimè ossa fracta extrahãtur, aut, si decet,
uniantur. inde in aceto, ac oui albumine additis pulueribus astringẽtibus splenia
stupę q̃ mollissimę imbuta, ac expressa super fracturã inuoluãtur. prius tamen non
fracturam, sed sedem suprà & infrà ad latitudinẽ sex digitorum rosaceo, masticino, & oui luteo irrorabis, ac mẽbrum totũ idonea fascia potestate retinendi prędi
ta, vt dicemus, circundabis, deligabisque. penicillum uerò molle & opportunum
in vulnus, nisi sanguinis copia emanauerit, cum terebinthina, boloarmeno, & mo
dico sale immittes, ita tamen, ne dolorẽ inferat: postremo studere oportet, ut affe
ctum membrum in ea statuatur figura, ne dolore afficiatur, & ut perpetuo mate-
riæ

riæ expurgari possint, & uulnus eo mõ triduò gubernetur: interim si magni æstus apparuerint, & dies fuerint caniculares, rosaceo, addito uino nigro, totum mẽbrũ fouebis: si hyems, oleo camomellino, masticino, & de semine lini: pure aũt apparẽte, fascia forcipe adeo diuidatur, vt vulnus totum pateat, & detegatur, à quo commodè pus effluat, & secundum opportunam occasionem topica medicamẽta permutari possint. Si aũt ferularũ, aut plagelarũ, aut spleniorum usus expedit, membrum concinne munies, non tamen ita arctè, nec primis diebus, vt noceant: sic procedatur, nisi fortè aliquod insigne peruenerit accidens, quod & fascias, & ferulas, & capsulas remouere cogat. hoc seruato, ne ante diem septimam, aut decimam ferulæ adhibeantur, multoq; minus si timor adsit, ne dolores, aut inflammationes accersiturę sint, vel præsentem, si adest, exasperent, nec eo nomine unquàm adhibeantur vt astringant, sed ut aptam figuram contineant, & ossa in suas sedes repo-
a Lib. de fract. & l. de lexatis. sita utcunque fulciant: sed quales ferulæ esse debeant, & quot sint deligandi modi
b Li. de fasciis. petendũ est ab Hippocrate, [a] & Galeno. [b] Si verò globulus articulũ, siue concatenationẽ læserit, ac se se inter duo ossa demerserit, & maximos inferat dolores, tunc negotia, quàm plurima operanti affert, & ægrotanti mortis periculum. quare q̃ citissimè fieri potest, extrahatur: quod si statim accepto uulnere non fit, aut saltẽ secunda die, magno inde labore expediri solet. igitur adinuento globulo, duo mẽbra, quę articulum componunt, duabus fasciis fulcire decet, quę per has in oppositas ac diuersas partes per duos ministros diducenda sunt, ad hoc ut ossa, tẽdones, sindesmi, & lacertorum capita extendantur, ac maior in articulo fiat amplitudo, ubi telum receptum fuerit, quod inde minori cum difficultate extractioni parabitur. hoc fiet specilli conuexi auxilio, aut coclearij, aut rostri ciconini nostri. Si uerò firmiter adhęrebit, terebrum torculatum solum, aut cannulo munitum, summo pere ab omnibus probatur: aut, quemadmodum magis commodum ex usu esse iudicatur. uerùm terebello torculato, globulus perforatur, apprehenditur, & extrahitur, nec scalpello ad os in circuitu excidendum, quo in sagittis ossibus infixis educendis utimur, egemus. Siquidem globulus suo ictu, & figura sibi locum facit. at si opportuna instrumenta in promptu non habebis, patientem cruciare non debes. nam orta inflammatione, aut cum os contusum exierit, secum globulum adducere solet. os siquidem alteratum tandem, & si diu, carne saltem subnascente extra mittitur, nec res admiratione digna est, si multo tempore globu-
c Quinto Epid. li, ac sagittę intimè conseruentur. nam Hippocrate [c] teste, quidam iuxta inguen sagitta percussus, quem nos vidimus, maxime præter omnium opinionem seruatus est, neq; tota cuspis exempta est: erat. n. ualde in profundo, neq; sanguinis eruptio ulla memorabilis fiebat, neq; inflãmatio, neq; claudicauit. cęterum cuspidem
d Li. 6. cap. 88. inuenimus nos, ipsãq; exemimus, cũ sex iam essẽt anni, ex quo sauciatus fuerat. & Paulus [d] ait, multis infixa tela integra intus insederunt, quæ uulneribus cicatrice obductis, deinde longiori tẽporis spatio partem eam absessu occupante, ac dis-
e Li. 2. ca. 96 rupto, exiere. approbans hoc Albucasis [e] ait, Vidi unum, cui cecidit sagitta in dorso eius, & consolidatum est uulnus super ipsam, & post septem annos exiuit sagitta in radice coxæ eius. At si ictus, uiscus aliquod primarium, ac officiosum læserit, quorum omnium affectuũ causas, signa, prædictiones, quæ ad interitum utplurimum spectant, ac curandi rationes in superioribus libris explicauimus, ut quæ ex accidentium proprietate, sedis affectę positura, exeũtium qualitate aut operatione læsa, quia uix, aut quia uitiosè, aut quia nullo modo fit, deprehenduntur; ob id de his ictibus in præsenti hæc satis.

DE CONVVLSIONE.

NON secus a conuulsionibus, quæ aliis partibus factis occurrere solent, ea, de qua nunc sermo habendus esset, dignoscitur, præsagitur, & curatur. quare cũ satis abunde in superioribus de tali symptomate locuti simus, hic tacite trãsire licèt, & sat est dicere, quòd si his fulminatis vulneribus, illud oriatur,

tur, ob patientis nimium timorem, aut nobilium partium noxam, mortem non dubiam portendit.

DE VENENO.

SI plaga, qualiscunque fuerit, ueneno aliquo tingitur, adiicienda festinanter curatio est, quæ uel epoto ueneno (& sit per medicamenta a Græcis alexipharmaca dicta) uel a serpente, aut quouis alio animante ictis adhiberi solet, & sit per ea medicamenta a Græcis alexiteria uocitata. interim tota, si fieri potest, aut saltẽ ea pars, quæ ueneno affligitur, abscindatur. dignoscitur quidem, quia a sana, & naturali uariat, quippe pallida, aut subluiida, aut emortua apparet. Si uerò ex toto separari nequit, profundis scarificationibus saltem locus feriatur, ut sanguis malus expurgetur: nec ideo alienum erit cucurbitulas adhibere, vel ut psillus, siue uilis homo ore proprio sano, sed prius præparato, simulque & uentriculo, esu nempe ruthæ siluestris, aut salis, ruthę, & caricarum, ac aceto abluto uulnus exugat, cui inde tale applicetur medicamẽtum. Recip. terebinthinę clarę vnc. ij. olei hypericonis unc. j. theriacę optimę unc. s. euphorbij recentis, terrę sigillatę an. unc. ij. misce, & parum bulliant. aut imponatur Aegyptiacum bis, aut ter, cui non est par, uel prȩcipitatum hydrargirum cum theriaca. loca uerò circun uicina luto ipso armeno, aut Dianę sigillo aceto rosato soluto, si prȩsto fuerit auxilium, succurrantur. inde medicinis strenue attrahẽtibus, uenenum euocetur, uel ignito cauterio, si locus neruosus, aut arteriis, uenisque plenus nõ fuerit, sępe adu-
ratur, donec tota malignitas, quę talis est, & non simplex uenenũ, consumpta fuerit. siquidem contra uirulentos hos ictus tale prȩsidium expeditissimum est. utpote cum ignis cęteras uiribus prȩstet. at si uri non potest, a uenis cordi, ac uulneri lõginquioribus si uires ualidę sint, sanguis mittatur: si uulnus angustũ fuerit, primis diebus turundę parentur ex adipe suilla, adeo ut totum impleant uulnus. est sanè in ueneno extrahendo secretum mirabile. Si uerò carnem totam a ueneno immutatam circuncidere non possit, non ab re fore iudicatur, profundis scarificationibus, circuniacentes regiones aperire. attrahunt potentissimè alteratos humores, ac malę naturę, & quàm plurimę carni infixa aliqua medicamẽta proprio calore aut a similitudine totius substantiæ, ueluti fermentum, propolis, arundinũ radix, ammoniacum, sagapenum, aristolochia, polypodium, ranę combustę, adeps lepo-
rina, tapsia, dictamus, ruta syluestris, uiscus quercinus, mel, & similia: in his victus regimen esse debet, qui epoto ueneno exhiberi solet. Alexipharmaca uerò parantur ex theriaca, mithridato, trifera, bolo armeno, terra lemnia, & similibus. Alexiteria ex dictamo, ruta syluestri, scordeone, tormẽtilla, zedoaria, bistorta, aristolochia, & hmõdi. Sed quia credere coacti nõ sumus, vulnera huiusce modi absolutè ueneno pdita esse, circa huius symptomatis profligationẽ, nõ multũ laborabimus.

DE SPHACELO.

PROSTREMVM symptoma, quod aliquibus uulneribus occurrere solet, est membri corruptio, quam Græci sphacelõ, Arabes aschachilon, siue echachilon, & Latini sideration em appellant: pessimũ morbi genus est, quod eius crudeli, ac tyrannica malignitate, nisi citò corrigatur, totum membrum citissimè corrumpit, ardentissimas excitat febres, uirtutes prosternit, & patientem necat: fit frequenter ex uehementissima inflammatione, aut ob eius magnitudinem, aut pessimam qualitatem, aut ex mala uulneris natura, aut ex prauo sanguine, aut ex medici imperitia, membrum ualde delaqueando, aut futuræ arctæ, ipsum constringendo, quę in laceratis & attritis uulneribus fugienda est. aut humida, & unctuosa diu vulneri applicando. potissimũ verò ob intemperiem calidam, qua partes vulneris eliquantur, & calor naturalis destruitur. sæpe quidem labra uulneris a copia praui succi fluentis imbibuntur, & ab imbecilli calore reguntur, & putrescunt, ac proximas partes corrumpunt, vt quotidie in sphacelo, & phagedæna fieri uidemus. Dignoscitur autẽ, cùm partes denigratæ, ac malo odore affectę, adeo lan-

languent, vt percussæ, aut sectæ, aut adustę penitus non sentiant: cumque membrũ sic fuerit dispositum, confestim ad eam, quę uiuit, partem, & proxima sanæ fuerit, resecandũ uenit: si qua uerò ratio hoc prohibuerit, profundę, ac frequentes sectiones, quas scarificationes vocant, imprimantur: sunt quippe multum ad huiusmodi curationẽ efficaces: ac ubi sanguis ille corruptus plurimus effluxerit, locus marina aqua, aut lupinorum decocto, præsertim in lixiuio, addito sale, & aceto sępe abluatur; deinde medicamento aliquo putridis, ac nomosis ulceribus destinato, inungatur; inter quæ ægyptiacum cæteris præstat. quod si non iuuerit, ignitis cauteriis aduratur. at si malus color, ac putredo ampliatur, fiat cataplasma ex farina fabarum, orobi, lolij, trochiscis Andronij, oxymellite, & lixiuio, & factis protundis incisionibus, calidum applicetur. &, si malum his præsidiis non tollitur, sed vlterius procedit & vulnus phagedenicum euadit, denuo tota corruptio diligenter aduratur. postmodũ eschara, cum dura euaserit, aut succo porri, aut butiro, aut hordeacea farina, hydræleo decocta, donec amoueatur, fouere oportet. ubi uerò exciderit, curatio reliquis vlceribus cõmunis adhibeatur. Si verò aliqua corporis particula, nępe manus, aut pes, adeo fuerit lacerata, aut eius ossa ex toto denigrata, aut corrupta apparuerint, ac de eius uita nulla amplius relinquitur spes, illico illã amputandã esse cẽsemus, & tunc ea seruanda sunt, quæ in secunda nostrorum voluminũ sectione, capite de membrorum corruptorum amputatione exposuimus. Hæc igitur ad Dei benedicti laudẽ breuiter de hac curatiua methodo dicta sufficiant. ac primo nostrarum sectionũ uolumini finem sic imponimus. in posterum verò si nobis Dei beneficio vita longior cõstiterit, ac eo fauente, multa ad omniũ studiosorũ vtilitatem perscribere decreuimus. nępe hinc ad paucos dies, in Secundo, commentaria de famosis Vlceribus, ac membrorum singulariũ, de fistulis, de ulceribus sinuosis, de quamplurimis affectibus cutaneis, ac de lue indiana siue diabolica, quam isti gallicum morbum appellãt. postmodũ de multis operationibus chirurgicis nos tractaturos vobis pollicemur. In Tertiò uerò de tumoribus præter naturam in uniuersum, & singulatim pertractabimus. In Quarto de ossium fracturis, ac eorum luxationibus pariter edituri sumus. In Quinto de secundis siue mediatis chirurgorum operationibus agemus. postmodũ epitoma totius artis chirurgicæ in unum redigemus. postremo Chirurgię officinam impressam, in lucem dare decreuimus, ubi ea ferè omnia instrumenta, quæ diligenti ac approbato Chirurgo in suis operationibus opportuna esse creduntur, concinne delineata uideri poterunt. Interim valete, & nos vt debetis, amate.

FINIS.

VENETIIS, Apud Iordanum Zilettum.
M. D. LXXIII.

INDEX RERVM NOTABILIVM, QVAE IN HAC PRIMA CHIRVRGIAE SECTIONE ANNOTANDA DVXIMVS,

Vbi primus numerus, Paginam demonstrat: character a, primam eius faciem, b, secundam denotat: numerus uero secundus, numerum in margine signatum insinuat.

A CHIRVRGO in uniuersũ quæ considerantur. fol.3.b.30
A chirurgo singulatim quæ considerantur 4.a.10
Abscessus qũo secandi. 61.a.20
Abscessus quibus ingenijs secantur 4.a.10
Abstergentia medicamenta quæ 178.a.10
Abstersiuum præstantissimum. ibid.20
Abstergẽtia capitis uulnera 28.b.30
Abdominis uulnerati, suturæ uariæ 120.a.10
Abdominis suendi modus, ex Galeno ibid.30
Abdominis suendi modi tres, ex Gal. ibid.40
Abdominis suendi modi, ex Albucasi. ibid.40
Abdominis suendi modus proprius authoris. ibid. 40
Abdominis uulnerati, medicamenta glutinantia. 121.a.30
Actiones circa ægrotum tribus modis fiunt. 4.a.30
Acium formæ, & qualitates 6.b.50
Accidentia, in caluariæ contusionibus. 28.b.50
Accidentia, modo cito, modo tarde nascuntur. 38.b.10
Actiones uniuersæ ad finem aliquem diriguntur. 39.b.10
Acopa medicamenta uaria. 96.a.20
Actio chirurga a quibus præcipue sumitur. 1.b.20
Acus in suendo abdomine qualis. 120.a.10
Actiones chirurgo propriæ 4.a.10
Ad concoctionem duo requiruntur 20.a.40
Additamenta quibus præsidijs tollantur 4.a.10
Adnotandum mirabile in uulnerata Arteria. 100.a.30
Aegroti conditiones 3.b.30
Aegrotus idoneum locum requirit 3.b.50
Acnematum usus, quando bonus 62.a.10
Aegyptiaci usus in membrana cerebri detecta. 68.a.40
Aerem esse ex maxime alterantibus 137.a.30
Aer fracta caluaria qualis conueniat 21.b.30
Aer frigidus semper cauendus ibid.
Aer æquinoctialis quomodo arte paretur 22.a.20
Aeris constitutio, in mittendo sanguine consideranda 93.b.30
Aer uulneratis neruis accommodatus qualis. 93.a.30
Affectus conuulsiones producentes 91.a.20
Agma, fracturæ species 140.b.10
Almocatim 9.a.30
Alfutratem forma, & indicia 62.b.10
Alberia caluariæ fractura 13.a.30
Alphonsinum instrumentum 133.b.20
Alexiteria medicamenta quæ 137.a.10
Alrosbot 140.b.50
Alexipharmaca medicamenta 142.a.40
Alteratio in animatis corporibus triplex 29.a.30
Alphonsinum instrumentum 133.b.20
Anatome quid agat 3.a.40
Anatome a chirurgo: sed non ut talis consideratur. 3.a.50
Antiqui primo Dei nomen inuocabant 1.a.10
Antica caluariæ fractura 13.a.10
Angin caluariæ fractura 13.a.30
Antiqui chyrurgiam exercebant 36.a.50
Ancylas quid 95.b.30
Ancylositatis indicia ibid.
Anodina capiti contuso adhibenda qualia. 27.a.10
Anastomosis. 111.a.10
Anserinum instrumentum 133.b.50
Antonomus utrobique conuulsus 91.a.10
Apagma species fracturæ 140.b.10
Apoplexia quid 18.a.30
Apoplexia fracta caluaria quomodo fiat 18.a.30
Apochema caluariæ calamitosa fractura. 13.b.30
Apocrustica medicamenta qualia 137.a.10
Apposceparnismos caluariæ fractura 13.a.30
Apostema quomodo sit ægritudo communis 3.a.10
Apostema partes occupat organicas ibid.

Apostematum methodus curatiua ibid.
Aqua neruis uulneratis fugienda ibid.
Ars medica nobilissima 1.a.10
Artis medicæ diuisio ibid.
Artificis rationalis munus 9.a.10
Artis Chirurgæ subiectum 3.a.20
Artes practicæ tria continere uidentur 3.a.30
Ars Chirurgica ab Anatomica, quomodo differat. 3.a.40
Arcadium instrumentum 134.a.10
Arteriæ aortæ perforatæ notiones 100.a.10
Arteria ex duplici consłat tunica ibid.30
Arteriam uulneratam agglutinari posse ibi.40
Arteriæ uulneratæ dignotio ibid.
Arteriæ magnæ uulneratæ prædictiones 116.b.30
Ascialis fractura 16.a.40
Attritio quid 139.a.50
Attriti affectus curatio ibid.
Attractio fracta calua quomodo fiat 59 a.50
Attrahentia medicamenta quæ 142.a.30
Auditus ad caluariæ fractæ cognitionem confert. 15.b.40
Aures a natura ficciſſimæ sunt 79.a.20
Aures sectæ omni uacant periculo 79.a.10
Aures cur obturandæ 33 b.30
Aures quomodo obturandæ 51.b.10
Auertentia auxilia 111.b.10
Auctoris promissio in posterum agẽdorum. 142.b.30

B

Balnea thermarum emolliẽtia qualia. 96.b.40
Balneum mariæ cur utendum 65.b.20
Bozoli instrumentum quo thorax perforatur. 105.b.10
Bonus Chirurgus, est bonus medicus 2.a.10
Benedictiones quamplurimæ, super aquam puram. 73.a.b

C

Caput membrum nobilissimum 12.a.10
Caput ex quibus consłat 9.a.20
Caput uariè denominatur 9.a.20
Capitis forma naturalis 10.b.20
Caput à causis externis facillime læditur. 12.a.10
Capitis uulnerum essentia, duobus modis speculatur. ibid.10
Capitis uulnus simplicissimum ibid.
Capitis uulnus simplex 12.b.10
Capitis uulnus compositum 12.b.20
Capitis uulnera uaria 12.a.40
Capitis ossa multis modis frangi solent 12.a.50
Capitis ossa à nimio flatu scissa 12.a.20
Capitis ossa, tumore, ac teredine affligi solent. 12.a.20
Capitis cutis habitudo, & officium 9.a.20
Caput à quibus causis lædatur 12.a.10
Capitis ossa in futuris contigua 13.b.40
Capitis ossa absque futuris 14.a.40
Caluaria contunditur, cute illæsa 28.b.50
Causæ fracturarum caluariæ manifestæ 15.a.20
Capilli ad fracturæ caluæ cognitionem conferunt. 15.b.50
Catagma cranei fractura 12.a.50
Camarosis, cranei fractura 13.a.30
Cutamotos caluariæ fractura ibid.
Caluaria in lateribus non tuto perforatur 40.b.20
Calidum sup. puratorium quid faciat 29.b.20
Caluariæ fracturæ a formarum differentia nomina sortiuntur 12.b.20
Caluariæ fracturæ tres simplices 13.b.30
Caluariæ fracturæ tres compositæ ibid.
Caluaria non undique semper plena 14.b.10
Caluaria frangitur, cute sana apparente 14.b.20
Caluaria non frangitur absque contusione 15.a.10
Caluaria fracta, tribus modis dignoscitur 15.b.20
Caluaria fracta, uisu percipitur 5.b.30
Caluaria uenulis quamplurimis referta 30.a.20
Caluaria, poro solido non eget 40.a.50
Callus in caluaria fracta non generatur 40.b.40
Callus ossis cicatrix est 40.a.30
Callus in fracturis quo pacto gignatur 141.a.10
Caro concrescit, & augetur 7.b.30
Carnis auctæ causæ quæ 68.b.40
Carnem gignentia medicamenta 138.a.10
Casus cur eueniat fracta caluaria 16 b.50
Catarrhalis defluxus ad pectus curatio 112.b.40
Causæ externæ ad fracturarum cognitionem idoneæ. 19.b.20
Causæ externæ, quæ 97.b.40
Cacochimia quomodo tollenda 51.a.50
Cauteria in futuris non adhibenda 10.a.20
Cauteria in futuris caute administranda 51.b.20
Cerebrum 9.b.30
Cerebri habitudo, & officium. ibid.
Cerebellum, solidorum neruorum origo 10.a.30
Cerebri inflammati indicia 61.a 30
Cerebella gallinarum quibus conducant 22.a.50
Cerebri uulnera cur lethalia ibid.
Chirurgia ars antiquissima 1.a i 10
Chirurgiæ definitiones antiquorum. bid.
Chirurgiæ diffinitio auctoris ibid.
Chirurgia unde dicatur 1.b.20
Chirurgiæ diuisio 1.b.30
Chirurgi finis 1.b.40
Chirologia 1.b.30
Chirurgus manibus, ac instrumentis operatur. 1.b.40
Chirurgus utitur dieta, & potione 1.b.50
Chirurgia quomodo ex se illustratur 2.a.20
Chirurgus quare amandus ibid.
Chirurgia unde fluxit 21.a.
Chirurgia sub qua parte medicinæ contineatur. 2.b.20
Chirurgus nihil noui facit 2.b.50
Chirurgus tria considerare tenetur 3.a.30
Chirurgus bonus Anatomista 3.a.40
Chirurgus propriis manibus anatomizet 3.a.50
Chirurgus uiua corpora non secet ibid.

Chi-

Chirurgi actiones a quibus sumuntur 3.b.20
Chirurgus operando, quæ considerare tenetur. 4.a.10
Chirurgi operationes mediate 4.a.40
Chirurgus, à quibus inchoare debet 4.b.50
Chirurgi munus, ut peritus euadat ibid.
Chirurgia Theorica unde acquirenda 4.b.40
Chirurgia practica, quomodo fiat ibid.
Chirurgi conditiones generales 5.a.10
Chirurgi conditiones speciales 5.b.10
Chirurgus in omnibus medicinæ partibus instructus. ibid.
Chirurgi operatio, a quibus, per quæ, quibuscum, & circa quæ 3.b.30
Chirurgus agit cito, lœte, tuto, & sine dolore. 5.a.40
Chirurgus philosophus naturalis 5.b.30
Chirurgi indumentum quale 5.b.40
Chirurgi ungues ibid.
Chirurgi grauitatem obseruent ibid.
Chirurgi ætas qualis ibid.
Chirurgus cur iuuenis ibid.
Chirurgus ambidexter ibid.
Chirurgi uelocitas, operando laudatur 6.a.10
Chirurgus in sensibus particularibus sanus. 6.a.10
Chirurgus in caluariæ perforatione diligens. 51.a.30
Chirurgus in extrahendis sagittis qualis 132.a.50
Chirurgus in ijs exerceri debet, quæ promptè ad curationem accommodantur 4.b.50
Chirurgia cur in temporibus reprobatur. 20.b.30
Cicatrizantia medicamenta 98.b.20.139.a.30
Ciconinum instrumentum 134.b.10
Corporis partium diuisio 97.a.50
Conuulsio quid 90.b.10
Conuulsio passio uirtutis motiuæ 18.b.10
Conuulsio quomodo fiat ibid.
Conuulsio raro fit nisi præcesserit inflammatio. 54.b.40
Conuulsio ut plurimum oppositam sedem occupat. 18.b.50.65.a.10
Conuulsionum differentiæ tres 90.b.30
Conuulsio duplex 90.b.50
Conuulsionum differentiæ quamplurimæ 91.a.10
Conuulsio ex repletione quomodo fiat 91.a.50
Conuulsio ex inanitione 91.b.20
Conuulsio ex affinitate 91.a.40
Conuulsio sicca, morbus acutus 92.b.40
Conuulsio à quo humore ut plurimum producatur. 33.b.40
Conuulsio deplorata 92.b.50
Conuulsionis ex uulnere indicia 92.a.10
Conuulsionum curationes 141.b.50
Contusionum leuium, curatio 26.b.30
Contusio propriè quid sit 139.a.50
Contusum omne in pus uerti oportere 139.b.20
Concoquentia medicamenta, quæ 137.a.50
Concoctio in uulneribus quæ bona sit 103.a.40
Corporis partium diuisio 97.a.50
Cordis læsi signa 99.b.30
Cordis præsentia 99.b.40
Cordis uulnerum prognostica ibid.
Cor affectum præter naturam insoluta cõtinuitate patinequit ibid.50
Cor irascibilis animæ sedes 100.a.10
Cotenchitæ instrumentum 103.b.20
Coronum instrumentum 129.a.20
Correpti distensione in quattuor diebus pereunt. 92.b.30
Cranij compositio, eiusq; costarum fistulæ quomodo curetur 124.b.48
Curationes morborum, per locorum differentiam uariantur 114.b.20
Cutis capitis uulnerata, periculo non uacat. 20.b.10
Cucurbita sicca quando capiti applicanda. 56.b.40
Cyclisçus instrumentum ac eius descriptio 32.b.20

D

Delirij causæ 100.b.50
Delirium signum mortale 64.b.30
Delirio apparente, sanguis unde mitti debeat. 64.b.40
Dentes in conuulsis arte aperti detineantur. 94.a.10
Diacodion ac eius descriptio 108.a.40
Diaria, fracta calua signum mortale 20.b.50
Diaspermaton ibid.
Digerentium medicamentorum compositio. 28.a.50
Dies non enumerantur, urgente operandi necessitate. 38.b.20
Digitus, in cognitione caluariæ fractæ uerus iudex. 51.a.30
Diayrion instrumentum 134.b.50
Dioclei instrumenti nomina diuersa 139.a.20
Dioclei imago 129.b.10
Distensio quid 92.b.30
Doctrina chirurgi unde acquirenda 4.b.40
Dolorum causæ 60.a.10
Dolorum effectus uarij 59.b.50
Dolorum capitis causæ internæ 60.a.30
Dolorum capitis causæ externæ 60.a.50
Dolor capitis consortij lege ibid.
Dolores neruis fauciatis quomodo tollantur. 88.b 20
Dolor quid sit, eiusdemque curatio 113.a.40
Dolor uim habet attrahendi 132.a.20
Dolor in primis sedandus 139.b.30
Dolor cur primo remittendus est 132.a.20
Dolor symptoma est perniciosissimum 136.b.30
Dolorum remedia uaria 136, b.30
Dolores tolluntur uariis præsidijs ibid.
Durities labrorum uulneris quo pacto tollatur. 113.b.50

INDEX

E

Effectuarum artium finis qualis 3.b.10
Ecpiesma ossis compressio 12.b.50
Ecchimoma quomodo fiat 26.b.10
Emplastrum macedonicum quomodo paretur. 27.a.50
Emplastrum triapharmacum 61.a.20
Emplastrum Hippocratis 56.b.30
Emplastri barbari simplicioris temperaturæ confectura 79.a.30
Emplastrum ad inflammationes prohibendas. 60.b.50
Emplastrum ad discutiendum idoneum 61.a.10
Emplastrum discutiens, & exsiccans ibid.
Emplastrum ad articulorum contusiones opportunum. 87.b.40
Emplastrum ad vulnera contusa neruorum 87.b.20
Emplastrum ad phlegmones suppurandas 89.b.20
Emplastra ex granatis 89.b.10
Emplastra anodina 89.b.30
Emplastrum picatum Galeni 28.a.50
Emplastrum sanctum, ac eius descriptio 104.a.20
Empiricorum uaria decocta ad vulnera cassalia. 106.b.30
Empimata quando siant 99.a.30
Emprostotonos 90.b.30
Engissoma caluariæ fractura 13.a.10
Encope caluariæ fractura 13.a.40
Enclusis caluariæ fractura 13.b.10
Epilepsia quid 67.a.50
Epilepsia in affectibus capitis 18.a.50
Error chirurgorum secando tumores artuum. 90.a.40
Error chirurgorum secando plagas capitis. 38.a.10
Error chirurgorum in meningarum sectione. 62.b.40
Error chirurgorum, in symptomatum consideratione. 59.a.20
*Error chirurgorum, in secando osse capitis. 41.a.50
Error chirurgorum, nimis caput calefaciendo. 29.b.30
Eschara quid 139.b.40
Escharæ remouendæ, uaria remedia 142.b.20
Eschara non ui remouenda 140.a.10
Euphorbium neruis vulneratis quale esse debet. 86.b.50
Euacuatio quando molienda 23.b.30
Extranea, quæ esse dicantur 75.a.40
Ex forti ictu interna partes uario modo læduntur. 14.b.30
Excrementum in vulneribus duplex 138.a.20

F

Facies ægri pernotanda 21.a.20
Facies quibus terminatur 75.a.20
Faciei habitudo sicca 75.a.30
Faciei vulnerum essentiæ, indicia ibid
Facies vulnerata, a quibus læditur 76.a.30
Facies vulnerata, quomodo deformes contrahat cicatrices 76.a.50
Farina milij 57.a.50
Fasciarum differentiæ 7.b.40
Fasciarum utilitas 7.b.40
Fasciarum materia 7.b.50
Fasciarum formæ ibid,
Fasciarum longitudo 8.a.10
Fasciarum conditiones ibid,
Fasciarum finis 8.a.30
Fasciandi rationes uariæ 8.a.50
Fasciæ auolutæ capiti, assuendæ 26.a.50
Fasciatura retinens 141.a.50
Fasciatura repellens 137.a.20
Fasciæ abdomini vulnerato adhibendæ 121.a.20
Fasciæ ad thoracis vulnera 102.a.50
Febris, fracta calua quando timenda 17.b.50
Febris, quando non timenda 63.a.50
Febris, pernitiosa ibid.
Febris salubris ibid.
Febris, spasmum de repletione soluit 92.b.40
Febris ex interna inflammatione 16.a.30
Febris fracta caluaria, quando oritur 63.a.40
Ferularum usus, quando opportunus 141.b.10
Fili pro futura conditiones 6.b.50
Figura spherica ad iniurias repellendas idonea. 10.b.20
Finis chirurgi præstantissimus 2.b.30
Finis chirurgi qualis 3.a.50
Fibulandi ratio 7.a.10
Fistula quid 104.b.20
Fistulæ, nomina ibid.
Fistularum indicia, & cura 113.b.50
Flobothomum instrumentum 27.b.40
Fluxiones in vulneribus prohibentia 102.b.20
Fomenta sedibus vulneratis accommodata. 104.b.20
Forceps deceptoria, ac eius imago 128.b.20
Formæ capitum non naturales 10.b.30
Fractura, quid sit 140.b.10
Fractura passio ossis 12.a.50
Fracturarum propria cognitio 141.a.30
Fracturarum cognitio, signa, & species 140.a.50 140.b.10.20.30
Fracturarum curatio 141.a.50
Fractura quo pacto solidetur 141.a.10
Fracturarum intentiones quæ sint 140.b.30
Fracturæ, iustissimam requirunt naturam ibid.
Fracturarum caluariæ formæ sex 51.a.50
Fracturæ caluariæ sex 13.b.30
Fracturæ caluariæ duæ manifestæ, & duæ occultæ. 51.a.10
Frangitur caluaria circa futuras 30.a.20
Frangitur caluaria alia parte, quam in percussa. 14.a.10
Fractura omnis caluariæ, ab ictu forti fit. 23.b.50

Fra-

Fractura capillaris 12.b.40
Fracto cranio, sulneratus, calido, & obscuro conclaui detineatur 21.b.40
Fundibulæ instrumenta bellica 131.b.40
Fungi, generationis modus, materia, & forma. ibid.
Fungus cerebri, ac membranarum affectus. 62.a.50
Futratem, cerebri ac membranarum extuberantia. ibid.

G

Galea quid 9.b.20
Galenus, detracto osse rosaceum imponebat. 56.a.30
Galeni remedium ad artuum contractionem 96.a.50
Galeni emplastrum emolliens 96.a.40
Gamedim instrumentum 27.b.20
Galenes tēporū ossa terebrare noluit 20.b.40
Genera noxarum quæ propriè a Chirurgo tractantur 4.a.20
Globulorum materia 131.b.40
Globulorum occultè existentium accidētia. 161.a.50
Globuli extrahendi uerus index 132.b.20
Globulus prima die extrahendus ibid,
Globulorum extrahendorum ratio, ac modi. ibid.30
Globuli, ac alia multa, quæ tormentis propelluntur. 133.a.10
Globuli quando relinquendi ac extrahendi. 141.b.40
Globuli dum extrahuntur, multa consideranda. 132.b.20
Glutinis compositio, quomodo paretur 75.b.20
Gossipium, sulnerata fascia, nullo modo adhibendum. 75.a.50
Gratia Dei emplastrū, calcidem Galeni est. 103.b.50
Gruinum instrumentum 134.a.10
Gulæ vulneratæ, indicia & cura. Vide Meri

H

Habitatio fracta calua qualis bona. 21.b.50
Hamulus simplex, ac bifidus, eiusque imago 133.a.50
Hepatis offensi notæ 115.b.10
Hepar omnium uenarum initium 115.b.20
Hepar sanguinis officina ibid,
Hepar facultatis concupiscibilis principium ibid.
Hepatis sulnerati curatio 122.b.40
Hepatis percussi casus ibid.
Hepatis sulnera magna, prognostica relinquenda. 123.a.10
Hepatis sulnera quæ sanari possint ibi.
Hessena, caluariæ fractura 13.b.10
Hiemesulneratus in capite diutius uiuit 22.a.40
Hippocrates a furiis deceptus 14.a.50
Hippocrates bilem euacuat, faciè inflammata. 62.a.10
Humidus aer malus 22.a.10
Humores, quibus medijs quieti detineantur. 60.b.50
Humores in contusionibus qua ratione suppurantur. 27.a.50
Humores in sulneribus timendi, qui 103.a.20
Humida consultio sectis neruis occurrit 93.a.20
Hydrelæon quid agat 137.a.20
Hypospagma 77.b.40
Hypersarcosin 68.b.40

I

Icoris omnia. Vide Hepar.
Ichor quid 89.b.50
Ichor, excrementum in sulneribus teme. 138.a.20
Ieiuni intestini sulnera 115.b.50
Ignis ex carbonib s, malus 22.a.10
Illata corpori, cur diffiuulter extrahantur. ibid.
In affectibus capitis pustulæ in lingua 68.b.20
Instrumenta quæ a chirurgo continuo circumferuntur. 4.b.20
Instrumenta quibus continuo chirurgus munitus esse debet 4.a.50
Instrumenta ad opus idonea, ubi & quomodo locanda 4.a.50
Instrumenta ad uarias operationes opportuna. 4.a.50
Infirmi corpus, quomodo continendum 3.b.40
In extraneorum extractione, quæ consideranda sunt. 6.a.50
Infixa corpori, utrobique extrahi possint ibid.
Indicia fracturarum caluariæ, diuersimodè sumuntur. 15.b.50
Innatus calor, quomodo suffocetur 29.a.50
In contusis sulneribus, dolores quomodo tollantur. 29.b.20
Indicatio curatiua sulnerum à quibus sumenda. 38.b.10
Indicationes ab accidentibus quando sumendæ 38.b.40
Indicationes a temporis constitutione 38.b.50
Inflammationum cerebri causæ 61.a.50
Inflammationum cerebri, aut meningarum notæ. 61.a.30
Inflammatio interna à tenui succo gignitur. 60.b.20
Inflammationis anterioris partis cerebri indicia. 61.a.40
Inflammationis totius regionis cerebri accidentia. 51.a.50
Inflammatio a quo succo producatur 23.b.50
Inflammatio quomodo prohibenda ibid.
Inflammationum tam externarum quàm internarum remedia 113.b.20
Inflammationes sulneribus occurrentes primo sanare opus 117.a.50
Inflammationum cognitio a quibus ibid.
Inflammationis tempus in sulneribus sclopetorum. 137.b.50

Indicationes curatiuæ post operationes uariæ. 55.a.10
Indicationes ob locorum diuersitatem 37.a.50
Indicia membranæ bene se habentis 56.b.10
Indicia ossis alterati 28.b.50
Indicia ossis emortui ibid.
Indicia membranæ uulneratæ 57.a.40
Indicia conuulsionis humidæ 92.a.40
Indicia conuulsionis ficcæ 92.b.10
Indicia conuulsionis ex affinitate 92.b.20
In desperata salute quid agendum 57.b.30
Infectionibus capitis quid agendum 37.a.10
Immoderatus calor, caluaria fracta, nocius. 61.b.40
Intemperiei calidæ indicia 59.a.50
Intemperiei calidæ curatio ibid.
Intemperiei frigidæ signa 59.b.20
Intemperiei frigidæ curatio ibid.
Intemperiei humidæ accidentia ibid.
Intemperiei ficcæ notæ ibid.
Intemperiei curatio 136.b.40
Intestinorum sectorum symptomata 115.b.50
Intestinorum gracilium uulnera desperata ibid.
Intestinorum diuisio 116.a.10
Intestinorum crassorum uulnera quæ sanabilia. 161.a.20
Intestinorum prolapsorum curatio 118.a.40
In intestinorum uulneribus intentiones quattuor. 118.a.50
Intestina prolapsa quomodo intromittantur. 118.b.10
Intestinis reconditis, fomentis uariis uti oportet. 16.b 20
Intestinorum sectorum futuræ uariæ 119.a.20.30
Intestina tenuia etiam suenda 112.a.20
Intestinorum sectorum curatio 121.b.10
Intestinis sectis, purgationem non conuenire. 16.a.30
Intestinis tenuibus uulneratis, superius exhibita medicamenta iuuant 121.b.30
Intestinis crassioribus uulneratis, medicamenta inferius applicita conducunt. 121.b.40
Ioseph a Cruce, chirurgus insignis, auctoris genitor. 104.a.50
Isidis medicamenti usus in membrana denigrata. 68.a.30
Isis medicamentum 56.b.10
Isis emplastrum, parum differt ab eo quod apostolorũ appellatur 138.b.10

L

Labra uulneris capitis operando munienda esse 51.b.20
Labra buccæ ex quatuor musculis construuntur. 78.b.50
Labra secta quibus præsidijs curantur ibid.
Laqueum in uulneribus quando reprobatur. 137.a.30
Laqueum quomodo administrandum 138.a.10
Lamina argentea quando capiti applicanda. 56.b.50
Laxa uulnera qualia 81.a.50
Lethale quo pacto intelligendum 122.a.10
Lenticula instrumentum 43.a.10
Lichinorum conditiones 7.a.30
Lichinorum materia ibidem.
Lichinorum forma ibid.
Lichinorum qualitates ibid.40
Lichinorum fines uarij ibid.50
Lienis uulnerati accidentia 115.b.30
Lienis substantia ibid.
Lienis uulnerati curatio 123.b.10
Linimentum inhibitiuum celebre 89.a.50
Longa inedia quid faciat 22.b.30
Loca sectionibus idonea 39.b.20
Loca caluariæ diuersa, operandi modum insinuant. ibid.40
Longa cibi abstinentia caput offendit 60.a.50
Loquendi difficultas conuulsionem antecedit. 64.a.50
Lumen uario modo eligendum 3.b.40
Lutum thermarum diui Bartholomei emolliens. 96.b.40
Lutum thermarum diui Petri excutiens ibid.
Luxationes propriasedes desiderant 3.a.20

M

Magnæ sectiones cur uitandæ 38.a.10
Malactica medicamenta qualia 98.b.50
Malleus quando usitatus 32.b.10
Manusis caluariæ fractura 13.a.10
Manubriolum instrumentum 27.b.20
Materia bonæ carnis gignendæ sanguis est. 76.a.40
Mediastinum quid sit 97.b.30
Medicinæ partes, mutuam opem requirunt. 2.a.10
Medicus plures sanat in quo plures confidunt. 25.a.30
Medicus quamprimum ad ægrum accedit quid facere debeat 21a.40
Medicus agere debet celeriter, iucunde, prompte, & eleganter 4.a.10
Medico, quæ potissimum in uulneribus sint agnoscenda 101.b.10
Medici officium esse, si non iuuet, abstinere. 136.b.30
Metrenchitas instrumentum 103.b.30
Medicus prudens fracta calua, primo quid facere debeat 30.a.30
Medicamenta ad dolores sedandos uaria 89.a.10
Medicamentum ex euphorbio uulneratis nervis præstantissimum 86.b.50
Medicamentorum attrahentium uariæ potentiæ. 35.a.50

Medi-

Medicamentum purgans fracta caluaria quale. 61.b.40
Medicamenta pituitam educentia 91.b.40
Medicamentum ethicos 26.a.10
Membranæ aduatæ habitudo 9.b.10
Meditullium plurimis scatet uenis 9.b.20
Meliceraton quo pacto paretur 104.a.50
Mel in affectibus thoracis præstantissimum. 107.b.50
Meliceria quid 90.a.10
Membranarum differentiæ 80.a.20
Membrana cerebri cur desquammatur 68.a.50
Membrana cerebri denigrata quid portendat. 68.a.10
Membranæ cerebri uulneratæ curatio 57.a.40
Meninx ad motum cerebri mouetur 9.b.20
Meningophilax instrumentum, ac eius descriptio. 43.a.10
Meningarum inflammationum indicia 61.a.30
Meri aperti notæ 101.a.50
Meri secti curatio 109.b.10
Ministri quales esse debent 3.b.40
Ministrorum numerus ibid.
Ministrorum, loca conuenientia ibid.
Ministrorum habitus ibid.
Modioli uarij 46.a.20
Modiolus, ac eius descriptio 45.b.40.48.b.50
Modiolus mesolatus 49.a.10
Modi uarij ut fracta caluaria dignoscatur. 19.b.20
Monesis caluariæ fractura 13.a.10
Morbi extrinseci, ac intrinseci, quomodo dignoscuntur 106.b.50
Morbos plures simul unire non decet 94.b.10
Morbos ex repletione curat inanitio 92.b.30
Morbos ex inanitione curat repletio ibid.
Monothemata medicamenta 77.b.10
Motus corporis, musculorum ac tendonum munere fiunt 16.b 50
Motus omnes fracta caluaria abigendi 24.b.50
Motus a quibus exerceatur 90.b.10
Motus uoluntarius diminutus 98.b.20
Motus uoluntarius ablatus ibid.
Musculi crotafites 9.a.30
Musculorum temporum habitudo, & officium. ibid.
Musculorum frontis usus 9.a.30
Musculi temporum urgente causa, secandi. 38.a.20
Musculus ex toto præcisus conuulsionem liberat. 94.b.20
Mulsi paratus 104.a.50

N

Nasi fracturæ modus unus non est. 78.a.40
Nasus fractus, decem diebus sanescit. 78.a.50
Nasi uulnera quomodo regenda 78.b.ubique
Nasi uinculum quale 78.b.20
Naturam potentem plus medico posse 122.b.30
Natura quid sit 124.b.40
Naturam sapientem esse 128.a.30
Nerui inter similaria membra numerantur. 79.b.20
Nerui motui a sensitiuis quomodo differant. ibid.
Nerui secti nec coeunt, nec augentur ibid.40
Neruorum uulnerum indicia 80.b.30
Nerus, est sensus tactus, principale instrumentum. 80.b.50
Neruorum uulnera quando salabria 81.a 50
Neruorum uulnera quando timenda ibid.
Neruorum fissuræ difficulter sanantur. 81.b.10
Neruæ partes, frigido omni læduntur. 82.a.40
Neruorum alimentum proprium quale. 79.b.50
Nerui omnes nimio sensu præditi sunt. ibid.
Nerui uulnerantur, ubi caro tenuis eos cooperit. 83.a.20
Nerus transuersim sectus, sutura uniendus. 85.b.20
Neruorum contusiones, computrescere non licet. 87.b.10
Neruis sectis, accidentia, a quibus proueniant. 88.a.ubique
Neruorum uulnera quid faciant 90.a.50
Nerui duobus modis contunduntur 87.a.40
Nerus punctus, quando præcidendus 85.a.50
Neruo ex toto præciso, conuulsio tollitur 94.b.10
Neruorum uulneratorum accidentia 139.a.40
Neruorum attritorum auxilia 140.a.10
Neruorum nomine, quæ partes intelligantur. ibid.
Neruorum attritorum, principalissimæ indicationes. ibid.
Neruorum uulnera, cur praua inducant accidentia. 86.a.20
Nerui uulnus occecatum, omnino aperiendum. 86.a.30
Nerui secti an suendi 85.a.30
Neruo detecto, cutis ampla sectio reprobatur. 85.a.50
Nerui puncti curatio 85.a.40
Neruis uulneratis iuuat oleum uetus 85.b.10
Neruis punctis, cur oleum recens noceat ibid.
Nerus contusus cur aliis neruorum affectibus deterior 87.a.40
Neruo secto, carnis uulnus quomodo secandum 88.b.10
Neruis uulneratis, aqua inimicatur ibi.40
Nerui a frigidis, & glutinosis humoribus replentur 90.a.10

Nervorum vulneratorum inflammatio quomodo curãda 89.a.40
Novacula instrumentum 30.a.50
Nigredo membranæ, usque ad tunicas oculorum. 68.a.10
Nuchæ, ac spinæ incisæ notiones 101.a.20
Nuchæ vulneratæ curatio 110.a.10.50
Nuchæ, origo, nominaque 101.a.20

O

Obeccatio, ad cranij fracturas 17.a.40
Obscuritas fracta calua probatur. 22.a.20
Oculorum dolor fracta calvaria malus. 21.a.10
Octo media, quibus fracta calua dignoscitur. 19.b.20
Omenti egressi curatio 117.b.40
Omenti læsi, nullum proprium adest symptoma. ibidem
Omenti substantia, & nomina ibid.
Omenti sectio, quo pacto mollienda 118.a.20
Omenti sectio, absque cauterio fienda ibid.
Omento extracto, infœliciter concoqui 118.a.30
Oesophagi vulnera. Vide *Meri.*
Oleum rosatum bonum quale 55.b.50
Olei rosati vires, & operationes 33.b.40
Oleum rosatum recens esse debet ibid.
Oleorum quatuor genera 56.a.20
Oleum simplex nervis sectis inimicatur 87.a.10
Oleum rosatum, augumento inflammationum inuat. 60.b.50
Oleum in nervorum vulneribus quare utendum. 86.b.50
Olea quæ probantur, in punctura nervorum. 85.b.10
Oleide Terebinthina, coniectura 56.b.50
Olei hypericonis magistralis descriptio 96.b.40
Olea multæ exsiccationis 93.b.50
Oleum magistrale Mesues ad nervorum contractionẽ. 96.b.50
Opus chirurgum, ab opere intellectus quomodo differat 1.b.10
Opus chirurgi immediatum, quale 4.a.30
Opus chirurgi mediatum, quale 4.a.40
Opistotonos 90.b.40
Opiniones an nervus sectus sui debeat 85.a.30
Organa chirurgo necessaria semper parata conseruentur 3.b.40
Organa chirurgo necessaria quæ 4.a.40
Orthogonalis sectio 37.b.20
Ossa capitis in eorum fracturis diligenter considerada 9.b.4
Ossa fracta, iustam exposcunt naturam. 3.a.20
Ossa capitis naturalia octo 9.b.40
Ossa capitis sex, in caluariæ fracturis consideranda. ibidem
Ossa caluariæ multis modis franguntur. 12.b.30
Ossa caluariæ naturaliter imbecilla 20.b.30
Ossa caluariæ fracta omnia timenda 30.a.10
Ossa caluariæ ad quid constructa 40.b.10
Ossa caluariæ quomodo colorem immutent. 28.b.50
Ossa caluariæ alterata abradenda 29.a.10
Ossa caluariæ secandi causæ 30.a.30
Ossa fracta quare incerto tempore absceedunt. 56.a.50
Ossa ex toto confracta, ex toto auferenda. 40.a.40
Ossa caluariæ cur squammas emittunt 68.a.50
Ossis caluariæ necessarij indicia 56.a.40
Ossis caluariæ excidendi quantitas 40.a.40
Ossis caluariæ perforatio ubi paranda 39.b.20
Os spongiosum 9.b.20
Os caluariæ siccantibus medicinis celerrime absceedit. 56.a.40
Ossium superficies, aliqua ratione alterata, separatur. 56.a.40
Ossa suis spoliata membranis siderantur ibid.
Ossium tempus desquammationum 56.a.50
Ossa rariora citius, solidiora serius absceedunt. ibid.
Ossis caluariæ rimæ, linimento nigro liniendæ. 51.b.10
Os caluariæ dum secatur, ferramenta sæpius recipienda, & in rosaceo immergenda 52.b.10
Os capitis dum secatur, sectionis altitudo consideretur ibid.
Os capitis, quomodo scalpro radendum, ubi utilis ignoratur 51.b.10
Os capitis excidendum, quæ primo considerandæ sunt. 51.a.30
Os occipitis robustissimum ex universa caluaria 10.a.30
Os frontis quomodo terminetur 9.b.50
Os frontis unius substantiæ ibid.
Os frontis, interdum diuisum ibid.
Os lambdæ unicum 10.a.30
Ostragam instrumentum 31.a.40
Ossium fractorum accidentia, species, & cognitio. 140.a.50
Ossa fracta, callo tantum obducto uniuntur. 140.b.40
Ossa fracta ui eximenda non sunt. 141.b.40
Ossa caluariæ quando teredine efficiuntur. 68.b.20

P

Paralysis quid 18.a.20.66.a.50
Paralysis quomodo differat ab apoplexia. ibidem
Paralysis causæ internæ 66.b.10
Paralysis causæ externæ ibidem
Paralysis a causa externa sanatur ibidem
Paralysis repentina raro sanatur 66.b.20
Paralysis a nervorum diuisione non sanatur. ibidem.
Partes comulsæ immobiles detinendæ 93.a.40
Partium affectarum differentias curationem uariare. 132.a.40
Partium affectarum rationem habendam esse. 132.a.20
Periostios 9.a.30
Pericranion ibidem
Pericranij inflammati accidentia 61.a.20
Pericardion quid 99.b.10
Pericardij sicci indicia & accidentia. ibidem
Pericardion inter ignobiles partes reputatur. ibidem.
Pericardij humor a Galeno non tractatus. 99.b.30
Pericardion corruptum a Galeno uisum. ibidem
Phlebotomia magis pharmaco probatur. 62.a.30
Phacon descriptio 42.b.50
Pyulcus instrumentum 102.a.30
Picrocholi qui. 2.b.40
Pia mater 9.b.30
Pillulæ cochiæ quando exhibendæ 62.a.50
Pigmenta quæ dicantur 106.a.20
Plagelarum usus quando opportunus. 141.b.10
Pleuræ ulnerum notæ 99.a.40
Pleuritidis signa 99.a.50
Plumacolorum usus in ulneribus uentris infimi. 119.a.10
Plethora apparente sanguis ab opposito mittendus. 23.b.50
Plethora quomodo tollenda 51.a.50
Plagam, quæ minor fractura est, secare oportet. 36.b.50
Polenta Hippocratis 110.a.30.37.a.20
Potissimæ causæ operationum ferreis instrumentis. 36.a.30
Pollutio fracta caluaria mala 20.b.50
Porus sarcois in ossibus quo pacto gignatur. 140.b.50
Prædictiones, in fracta caluaria, unde sumendæ. 20.a.30
Prædictio recta quid faciat ibidem
Prædicendo primum iudicium a uirtute sumendum. 20.a.50
Prædictiones in ulneribus unde sumendæ. 116.b.40
Praxis chirurgica unde acquirenda 4.b.40
Prudens medicus, hominem qui seruari non potest, non attingat 39.a.10
Propulsorium instrumentum duplex. 130.a.30.40
Pueri stilo ulnerati, ab empirico curati, quid euenerit. 88.a.40
Puerorum caluaria quibus modis frangatur. 12.a.50
Puer iuxta pupillam stilo ulneratus, sanitati restitutus 77.a.50
Punctura nervi occæcata, magni timoris. 86.a.20
Purgatio quibus conueniat 103.a.10
Purgationes in ulneribus faciendæ, a quibus. ibidem
Purgatio uentris, ab indicatione præcautrice sumitur 24.a.30
Pulsus durus, & extensus quid portendat 21.a.10
Pulsus durus & inæqualis ibidem
Pulsus languidus ibidem
Putredo quid 29.a.40
Pulvis cephalicus 25.b.9
Pulueris cephalici confectura 57.a.20
Pulvillorum conditiones 7.a.50
Pulvillorum materia 7.b.10
Pulvillorum numerus, forma, & finis ibidem
Pulmonum substantia qualis 107.a.10
Pulmones sensu priuatos esse 100.a.40
Pulmonum officium ibidem
Pulmonum sectorum accidentia ibidem
Pulmonum vulnera, quo pacto dignoscantur. 107.a.10
Pulmonum vulneratorum prognostica 108.b.50
Pulmonum portio ab aere alterata, quo pacto secanda ibidem.30
Pulmonibus vulneratis, medicamenta interius sumenda ibidem.4
Pulmones, sola tussi optime expurgantur. 103.b.10
Pulmonum vulneratorum, curatio 107.a.50
Pulmonibus vulneratis, metalla intus sumpta inimica. ibidem.30
Pulmonum humiditatẽ non decenter per uesicam expurgari ibidem
Pus momentia medicamenta 137.a.50
Pus momentium medicamentorum formulæ uariæ. 137.b.30
Pus optimum quale 20.b.50

INDEX

Q

Quæ in universum a chirurgo considerantur. 3.b.30
Quæ vires ualidas reddunt 25.a.40.60.b.10
Quæ exercitij loco administranda 25.a.20
Quæ uulnerum unionem impedire solent 25.b.20
Quæ uulnera angustiores scalpros requirant. 33.b.10
Quæ inflammationes prohibent 33.b.40
Quæ ante Chirurgiam consideranda sunt 38.a.40
Quies uulneribus optimum remedium 25.a.10
Quæ carnem gignunt 57.a.20
Quid aspecilli operatione expectetur 30.b.20
Qui capitis uulnera patiuntur, motus omnes dimittant 25.a.40
Quando uena secanda est 33.b.20
Quid per insaniam intelligat Hippocrates. 62.a.20
Quid per sphacelum cerebri, intelligendum sit. 64.a.40
Quæ capiti adhibentur, calida qualitatibus esse debent 57.a.10
Qualitates simplices raro a chirurgis considerantur. 59.a.50

R

Ragamia, scissura caluariæ 12.b.40
Radioli conditiones 15.b.40
Repentina conuulsio quando generatur. 80.b.40
Resina terebinthina quæ optima 98.b.10
Resinæ terebinthinæ laus, & operatio 29.b.30
Reuellentia auxilia 131.b.10
Repellentia medicamenta quæ 137.a.20
Renum læsionis cognitio 116.a.40
Renum substantia & officium ibidem
Renum uulneratorum curatio 123.b.30
Rima quid 12.b.50
Rima semper contusioni adiuncta ibidem
Rima quadrifariam consideratur ibidem
Rigor quid 17.b.20
Rigorum causæ diuersæ 17.b.40
Rodini crudi usus 56.b.20
Rodini crudi nomina, & laus ibidem
Rodini crudi confectura ibidem
Rochetarum uariæ imagines 135.a.10

S

Sanctі medicamenti, uires ac descriptio. 104.a.20
Sanguis a uenis quibus modis effluat 6.b.20
Sanguinis fluxus quomodo sistatur 6.b.30
Sanguinis fluxus causæ 120.b 50
Sanguinis fluxus remedia ibidem
Sanguinis missio in uulneribus quo pacto fienda. 120.b.30
Sanguis extra uenas, propriam mutat naturam. 110.b.40
Sanguinis erumpentis a uena aut arteria, notæ. 111.a.30
Sanguinis conglobati in thorace, indicia & cura. 112.a.30
Sanguinei sputi auxilia ibidem.50
Sanguinem è uulneribus fundi mediocriter, prodesse. 136.b.20
Sanies in uulneribus crassum excrementum. 138.a.20
Sarcotica medicamenta uaria 98.a.20.138.b.40
Sanguis a pulmonibus qualis 107.a.10
Sanguinis missionem prohibentia 23.b.40
Sagittarum uariæ formæ 126.b.10
Sagittas infixas extrahendi modi quamplurimi uarij 127.b.50
Sagittæ dum extrahuntur, quæ consideranda sunt. 130.a.50
Sagittæ quando extrahendæ sint 127.30.40
Sagittarum uulnus quo pacto tractandum ibidem.30
Sagittas infixas ossibus, extrahendi modi ibidem.50
Sagittas infixas corpori, extrahentia instrumenta uaria 128.b.20
Sclopetorum uulnerum accidentia 139.a.30
Sclopetorum uulnera duas primam habere intentiones 139.b.10
Sclopetorum uulnera necessario caua fieri. 136.b.30
Sclopetorum uulnera quando curanda 137.b.50
Sclopetorum uulnera quas habeant indicationes. 132.a.20
Sclopetorum uulnera, atque eorum curationes. 131.b.10
Septum transuersum quid, ac eius nomina diuersæ. 100.b.30
Septi transuersi offensi indicia ibidem
Septi transuersi uulnera, cur curatu difficilia. 101.a.10
Septi transuersi uulnera, quæ sanabilia, & quæ insanabilia ibidem
Sectiones carnis, tribus de causis fiendæ. 36.b.50
Sectiones magnæ multa adducunt incommoda. 31.a.10
Sectionum formæ tres 37.a.10
Sedes quid 12.b.40
Sedes species fracturæ caluariæ 12.b.30
Sedes affecta, primo consideranda 9.a.10
Sectio in sclopetorum uulneribus, quando facienda. 132.b.50
Secta prima empirica 34.b.40
Secta secunda empirica 35.b.50
Secta tertia rationalis 36.a.30
Serrulæ subtiles, ac earum imagines 34.a.20
Semen maxima ex parte a capite prodire. 124.b.20

Scal-

Scalper lunatus 32.a.10
Scalper excisorius cauus 32.a.20
Scalper raforius, Hipp. 31.b 30
Scalper aduncus, Celsi ibidem
Scalper arcuatus, Pauli ibidem
Scolopomacherion instrumentum 27.b.20
Scbidatidon, fracturæ caluariæ species 140.b.10
Signa critica 63.a.40
Siccitas uulneris a quibus causis producatur. 98.b.40
Solutio continui, morbus communis 3.a.10
Solutum quomodo uniatur 4.a.10
Solutionis continui cura, unio est 3.a.20
Somnus utilis qualis 24.b.40
Somnus longus malus 24.b.30
Somni longi causæ 19.a.10
Sordes, quomodo generatur in ulceribus. 138.b.40
Sordes, quo pacto dignoscatur ibidem
Sordes, quibus auxilijs detergatur ibidem.a.20
Sostrati unguentum 102.a.50
Spasmus, uide conuulsio; specillum connexum. 133.a.20
Spasma cranij fractura 12.54.0
Spatumen curium, instrumentum 27.b.200. 105.b.10
Species fracturarum apud Gallyres 14.b.50
Specilli uarij esse debent 30.b.30
Specilli qualitates ibidem
Specilli nomina diuersa ibidem
Specillum materia 30.b.30.132.b.20
Specillum annulare 133.a.40
Speculum instrumentum 134.b.50
Spina dorsi afficitur exforti ictu 14.b.40
Spinæ uulneratæ iudicia 101.a.20
Spinæ uulneratæ prognostica 110.b.10
Spinæ uulneratæ curatio 110.a.10
Splenis uulnerati accidentia 115.b.30
Splenis uulnerati curatio 123.b.10
Spuma unde fiat 67.b.10.107.a.10
Spleniorum usus quando opportunus 141.b.10
Sphaceli causæ cognitio & cura 142.a.40
Stupor quid 13.b.10
Stuporis notæ 13.b.20
Stylus plumbeus ad quid utile 98.b.30
Sthernon quid sit, quotq. ossibus constat 97.b.20
Sudor criticus nullo modo cohibendus 24.b.10
Subiectum chirurgiæ, theorica, & practica 2.b.40. 50
Suendi ratio communis 6.b.50
Sutura in molli parte accommodatur 6.a.40
Suturæ fines quot ibidem
Suturarum usus 14.b.10
Suturarum capitis uulnera cur uerenda 20.b.40
Suturæ capitis non secandæ 38.a.30
Suturæ capitis notabiles 9.b.40
Suturæ squammosæ 9.b.50
Sutura capitis interdum perforanda 40.a.20
Suturarum utrumque latus, multoties perforamus. 40.a.10
Suturarum uarietas consideranda 40.a.20
Superuacaneum quomodo tollatur 4.a.20
Suppurare uulnus, iudicium bonum 67.b.20
Suppurari quid sit 104.b.50
Suppuratorum dignotio ibidem
Suppuratorum curatio 105.b.20
Suppuratorum sectio 105.b.30.106.a.10
Suppuratoriæ ablutiones 106.a.10.30
Suppurationes magnæ sectæ, pus totum semel non educendum 105.b.50
Syrupi in uulneribus thoracis qui 16.b.30
Symptomata modo citius, modo serius apparere solent 19.b.10
Symptomatum natura consideranda 51.a.10
Symptoma interdum curationem peruertit 90.a.50
Syringothomien instrumentum 27.b.20
Syringothomi nomina, & usus 112.a.10.118.b.50

T

Tentæ, in thoracis uulneribus forma. 104.a.10
Testium uulneratorum curatio 125.b.50
Telorum differentiæ 126.a.10
Telorum differentiæ a figura mistæ 126.b.10
Tela dum extrahi debent, quatuor scopi proponendi 126.a.10
Tela quomodo extrahenda ibidem
Telorum tria esse genera 131.b.10
Telorum uulnera ac globulorum, semper composita ibidem
Terebrum torculatum 136.a.30
Terebri torculati fodi imago 129.a.10
Terebri torculati concaui imago ibidem.20
Tempus symptomatum quando terminatur. 56.a.10
Tempus operationum sumitur ab indigentia respectu diuersorum 38.b.10
Temperies partis cur seruanda 137.a.20
Tenaculæ cannulatæ imago ibidem
Tenaculæ denticulatæ imago ibidem
Terminus abrasionis ossium 29.a.10
Tetragona forma sectionis 37.a.50
Trigona forma sectionis 37.b.20
Tempora nullo modo secanda 38.a.10
Tempus de squammationum ossium 56.a.50
Terebrum quo fabri utuntur 41.a.10
Terebrum abaptista 41.b.20
Terebra diuersis alis munita 44.a.20
Terebra limata 44.a.10
Terebra imaginata. 44.a.40
Terminus abrasionis ossium 29.a.10
Tegula terrea quando utenda 57.a.10
Tetanos 90.b.40
Tendonum natura, & usus 80.a.10
Tendones quomodo uriantur ibidem

Thoracis

INDEX

Thoracis vulnera ac eorum differentiæ 97.a.50
Thoracis nomina, & thorax quid sit. 97.b.10
Thoracis partes contentæ 97.b.30
Thoracis vulnera, quæ lethalia, & magis & minus. 97.b.40
Thoracis penetrantia vulnera 97.b.50
Thoracis vulnera lenia. 98.a.20
Thoracis vulnera quæ curationem desiderant. 98.a.30
Thoracis vulnerum intentiones quatuor ibidem
Thoracis vulnera carnosa tantum, quomodo tractanda 98.b.50
Thorace vulnerato, quid nam agendum sit 98.b.30
Thoracis vulneris penetrantis, dignotio ac prædictio. ibidem
Thoracis vulnera absque ullo symptomate sanata. 99.a.50
Thoracis penetrantium vulnerum curatio 101.b.20
Thoracis vulnerum penetrantium, intentiones sex. ibidem
Thoracis vulnera, aliqua statim agglutinanda. 102.a.10
Thorace vulnerato, sanguis quomodo mittendus. ibidem.
Thorace vulnerato, oleosa omnia abigenda 104.a.10
Thorace vulnerato, ne in eo sanguis conglobetur, secretum 104.a.30
Thorace vulnerato, sanguis quomodo ab eo euacuatur 102.a.10.112.a.30
Thorace vulnerato, sanies quomodo euacuanda. 103.a.50
Thorace vulnerato, quibus instrumentis materia tollitur. 103.b.10
Thoracis materia, quo pacto per urinaria vasa, aut alium ex purgatur. 105.a.30
Thorace vulnerato, per quos canales materia contenta ad asperam arteriam progrediatur. 105.a.10
Thoracis vulnera, quomodo internis remedijs reganter. 104.b.50
Thoracis sectio, quo instrumento facienda 105.b.10
Thoracis sectio ubi facienda 105.b.20
Thoracis vulnerum accidentia omnia 110.b.30
Thorace vulnerato, sanguinis copiose emanantis curatio ibidem.50
Thoracis vulneris dilatandi ratio. 111.b.50
Thoracis dolor, quomodo tollendus. 113.a.40
Thoracis inflammatione affecti curatio 113.b.20
Thoracis inflammationum internarum signa ibidem
Thorace vulnerato, sanguinei sputi remedia. 112.a.50
Thorace vulnerato, distillationis remedia. 112.b.40
Thorace vulnerato, tussis molestiæ, auxilia. 102.b.50. 113.a.20
Tlasma caluariæ fractura 13.b.10
Tlases caluariæ fractura ibidem
Tracheæ vulneratæ accidentia 100.b.10
Tracheæ vulneratæ curatio 109.a.10
Trochiscorum ad putredines nervorum variæ compositi
Triapharmacum in nervis vulneratis non utendum. 89.a.30
Trichismos caluariæ fractura 12.b.50
tiones 90.a.20
Tumores præter naturam, non fiunt absque partium diuisione 3.a.20
Tunicæ subiungentis habitudo, & officium. 9.b.20

V

Vectis instrumentum 31.a.40
Vertibulorum descriptio 44.b.50
Vertigo fracta caluaria unde oritur 17.a.30
Vertibulum ouale 45.b.10
Venæ cauæ perforatæ notiones 100.a.10
Venæ cauæ perforatæ prædictiones 116.b.20
Venæ sauciatæ cognitio 111.a.40
Venæ sectio in vulneribus venenatis unde fienda. 142.a.30
Venenati vulneris cognitio 142.a.10
Venenati vulneris curatio 142.a.10
Ventriculi læsi indicia 115.a.30
Ventriculi officium 115.a.40
Ventriculi structura ibidem.50
Ventriculi vulnerati accidentia communia. ibidem.
Ventriculi vulnerum curatio, & prognostica. 122.a.10
Ventriculi vulnus, naturæ dimittendus 112.b.30
Ventriculo vulnerato, purgationes superius non admittuntur ibidem.10
Vesicæ incisæ cognitiones 116.a.30
Vesicæ collum vulneratum sanari posse. ibidem.40
Vesicæ sauciatæ curatio 124.a.30
Vesicæ vulnera in parte nervosa desperata. ibidem.40
Vesica vulnerata, purgationem non competere. ibidem
Vesica vulnerata, quæ decocta injicienda ibidem.50
Vesica vulnerata, omnia calida adhibenda 124.b.10
Ventris infimi descriptio 114.b.30
Ventris infimi vulnerum diuisio ibidem.40
Ventris infimi, vulnus non penetrans, leue esse. ibidem.50
Ventris infimi vulnerum penetrantium curatio. 114.b.10
Ventris infimi simplicium vulnerum curatio. 116.b.50
Ventris infimi compositi vulneris curatio 117.a.40
Ventris infimi vulnerum penetrantium signa. 115.a.10
Venus capite vulnerato fugienda 24.b.20
Vnguenta cephalica 57.a.20
Vteri læsi cognitiones 116.b.10
Vteri situs 114.b.20
Vteri perforati curatio 124.b.20
Vomitus fracta caluaria, improbatur 24.a.50
Vomitus unde proueniat fracta caluaria 17.a.10

Vol-

INDEX

Volsellæ, aut vulsillæ, formæ variæ ac utilitates. 23.a.50
Victus ratio per gradus distinguitur 22.b.40
Victus tenuis in morbis longis reprobatur ibid.
Vinum vulneribus inimicissimum 23.a.50
Vinum quando vulneratis exhibendum 23.a.20
Vinum quomodo vulneratis exhibendum 23.b.20
Vires perpetuo considerandæ 51.a.10
Vnguentorum variæ descriptiones 104.a.10
Vnio chirurgiæ operatricis subiectum 2.b.50
Vnio quid 3.a.30
Vrinæ quando considerandæ 63.b.10
Vrinæ malæ quales ibid.
Vrinæ turbidæ fractæ calua malæ 21.a.10
Vrinæ claræ fracta calua malæ ibid.
Vt fracta caluaria, prægnoscatur, quid agendum. 15.b.20
Vulnus quid 12.b.20
Vulnus penetrans pro composito habetur 98.a.10
Vulnera quo pacto magna dicantur 10.a.20
Vulnus simplex quomodo intelligatur 12.b.10
Vulnus compositum quale 12.b.20
Vulnus simplex, sola partium unione sanatur. 6.a.30
Vulnerum capitis variæ progressiones 11.a.40
Vulnus pericranij periculosum 10.b.10
Vulnus verticis non leuis negotij 10.a.20
Vulnera frontis salubria 10.a.10
Vulnera temporum lethalia 10.a.40
Vulnera capitis magna qualia 23.b.40
Vulnera pericranij cur timenda 26.a.30
Vulnera lethalia ex Hipp. 57.b.40
Vulnera cerebri sauciata 57.b.50
Vulnus quando curandum 50.b.40
Vulnus sanatur agglutinatione, & concretione. 25.b.40
Vulneribus omnibus prodest, abstinentia, & aqua. 22.b.10
Vulneribus omnibus recentibus sanguinis missio confert 24.a.10
Vulnere illico accepto, sanguis mittendus non est. ibid.
Vulnus capitis, quando sutura uniendum. 25.b.50
Vulnera contusa omnia digerenda 28.a.50
Vulnus erudum quid faciat ibid.40
Vulneris siccitas signum lethale 67.b.20
19.a.20
Vulnus siccum redditur a multis causis. 67.b.30
19 a.40
Vulnera laxa bona, & qualia 67.b.40
Vulnus nimis intumescere periculosum ibid.
Vulnus nihil intumescere periculosissimum. ibid.
Vulnera pus generantia salubria 81.a.50
Vulnera ligamentorum periculo uacant. 81.b.30
Vulnerum nervorum differentiæ 80.a.30
Vulnerum nervorum, curatiua indicatio, una est 82.a 10
Vulnerato nervo, vulnus apertum detinendum. ibid.
Vulnera panniculorum, quæ lethalia 81.b.40
Vulnerum nervorum, inflammationes quomodo curandæ 89.a.30
Vulnerati omnes, & si mortalia appareant accidentia nullo modo deslituendi, sed remedia omnia tentanda 19.a.50
Vulnera sclopetorum quomodo curanda. 137.b.50

X

Xyphoides cartilago 79.b.20

Z

Zygi cannulati imago 130.a.30
Zygi caudati imago ibid.

FINIS.

Quæ perperam impreſſa ſunt, ſic legantur.

Primus numerus folium, littera a, primam eius faciem b, ſecundam denotat, alter numerus lineam, a numero in margine poſito incipiendo, demonſtrat.

Fol. 12 b linea ultima meningas lege meninges.
13 b 35 in ſit udum lege in ſitu dum.
14 b 12 aſsidua lege aſſidua.
16 b 38 deſtructis lege detractis.
22 b 61 uapoteſem lege uapores.
24 b 55 profligantur lege profliguntur.
28 b 35 leta lege lora.
24 a 58 lotionis lege lotis.
31 a 10 cur lege cure. 12 iungit lege cingit.
31 a 19 habent lege habente.
40 a 29 anteriori lege anterior.
54 a 31 ſi ignorat lege ignorans.
58 b linea ultima uiſceribus lege ulceribus.
60 b 16 oxychrodino lege oxirodino
62 b 24 rubeo lege rubea. imbuto lege imbuta.
63 b 19 uiſius lege uirtus.
67 a 37 tollatur, adminiſtratio & ſubito.
68 b 48 æri lege æris.
75 a 49 linimentum lege linamentum.
75 b 13 immerito lege iniecto.
76 b 47 modico lege medico.
82 a 35 tollatur illa dictio ſtræ.
85 a 23 oxycraceo lege oxycroceo.
86 a 30 53 agglutinatum lege inglutinatum.
86 b 14 abiegina lege abietina. 49 & lege ex euphorbio.
87 b 10 camomillinum lege camomellino.
88 a 39 quem lege qui.
90 b 11 ita lege igitur.
90 a 39 iſi lege iſide.
90 a 42 niſi lege in.
93 a 54 decenter lege decenti.
93 b 17 expers fuerit lege non fuerit.
94 a 20 album lege alborum.
94 a 51 diania lege diaria.
100 b 20 exurit lege excurit.
103 b 13 opus lege pus.
103 b 45 aliis lege alis.
111 a 32 morrhoſagia lege hæmorrhagia.
113 a 23 effatio lege efflatio.
113 b 49 per lege ſemper.
117 a 48 eorum lege eorum.
117 a 57 quam pars carnis lege quam pars ſit carnis.
117 b 16 tollendæ lege tollendi 18 deſcendens lege deſcenſus.
118 b 48 expreſſe lege expreſſo.
123 b 29 iiis lege inciſis.
123 b 36 tollatur uerbum illud eſt.
123 b 37 iudicatur lege indicatur.
128 b 13 uocantur lege uocatur.
130 b 35 ſquurila lege ſqurila.
132 a 19 exilari lege exilire.
133 a 30 ſpecillum conuexum ponatur inferius 40 ubi ſpecillum annullare & è contra.
140 a 17 neruoſæ lege neruoſas.
141 a 10 primum ſub dematur.
141 a 32 cæteras lege cetera.